







# EUTROPII
## BREVIARIUM
# HISTORIAE ROMANAE
## CUM FRAGMENTIS.

---

AD
OPTIMORUM LIBRORUM FIDEM
ADCURAVIT
*C. H. WEISE.*

---


*EDITIO STEREOTYPA.*

---

LIPSIAE
SUMTIBUS ET TYPIS CAROLI TAUCHNITII.
1828.

---

Ladenpreis 2 Groschen.


HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY
MAR 6 1962

# PRAEFATIO.

*Eutropii breviarium, primum omnino fontem, ex quo haurienda est rerum Romanarum notitia a tironibus, ut de novo integroque recuderet bibliopola honoratissimus, eo commotus est, quod, quos antea iam novis his typis Anglicis hac forma expressos emiserat autores, emtoribus perquam acceptos esse senserat; quo in genere sunt Virgilius, Cornelius, Horatius, Ovidius; brevi etiam exhibebuntur Terentius Phaedrusque, summa cura expressi. Ideo neque hunc scriptorem hoc ornatu destitutum esse voluit; in eo edendo idem consilium secutus, quod in reliquis, ut textus optimus quam emendatissime lectorum oculis subiiceretur; imprimis autem sphalmatum exturbandorum intentissima gereretur cura; idque merito, in auctore, quem inter primos a tironibus legendum esse, ab initio dixi. Est enim Eutropius, ut notissimum, recentioris quidem inter Latinos aetatis, vixitque sub imperatoribus Constantino, cui ab epistolis fuisse legitur, Iuliano, quem in Persiam*

*comitatus est, Valenteque, cuius iussu librum ipsum composuit. Unde dictionis eius non idem potest esse genus, quod Ciceronis et Caesaris Liviive aetatis proprium fuit. Idem tamen omnem persequitur historiam populi Romani, ea usus in narrando simplicitate, ut hac ipsa, quae non minima est in scribendo virtus, cum utilitate delectationem pariat, facilitate autem ad reliquos legendos apprime incitet. In Graecum sermonem conversus est a Lucio Capitone et a Paeanio, qui brevi post Eutropium vixisse perhibetur. Textus autem interpolatus olim multifariam fuerat a Paulo, Diacono Aquileiensi, monacho Sec. IX.; a quibus insertionibus primus eum Egnatius, deinde Schonhovius et Vinetus ex libris manuscr. vindicaverunt. Plurimum autem opis ad eum perpurgandum contulerunt antehac Verheyckius, et inter recentiores Tzschuckius, in editione maiore, anno super. sec. 96 in lucem edita; qui et in minore editione prosecutus est textus emendationem, adhibito codice Gothano seculi 8 aut 9; cuius ex lectionibus hic quoque, quae probabiliores viderentur, receptae sunt.*

*Scr. Lipsiae d.* 21. *Sept.* 1825.

C. H. W.

# DOMINO VALENTI MAXIMO

## PERPETUO AUGUSTO.

Res Romanas ex voluntate mansuetudinis tuae, ab urbe condita ad nostram memoriam, quae in negotiis vel bellicis vel civilibus eminebant, per ordinem temporum brevi narratione collegi strictim, additis etiam his, quae in principum vita egregia exstiterunt; ut tranquillitatis tuae possit mens divina laetari, prius se illustrium virorum facta in administrando imperio secutam, quam cognosceret lectione.

# EUTROPII
## BREVIARIUM
# HISTORIAE ROMANAE.
## LIBER PRIMUS.

---

### *ARGUMENTUM.*

1. *Urbis Romae origo Romulo conditore.* 2 - 8. *Septem regum Romanorum mores, instituta et res gestae.* 9. *Mutata imperii forma exacto Tarquinio Superbo, rege ultimo, et substituta consulum dignitas.* 10. *Bellum a Tarquinio Superbo motum,* 11. *Porsena, Etruscorum rege, adiuvante. Bellum cum Sabinis.* 12. *Dictaturae origo.* 13. *Populi seditio et orta inde tribunicia potestas.* 14. *Victoria de Volscis, qui, ante a Tarquinio Superbo victi, bellum reparaverant.* 15. *Coriolanus urbi, unde expulsus erat, bellum infert, Volscorum opibus adiutus, sed matris uxorisque fletu et deprecatione superatus recedit.* 16. *Fabiorum pugna cum Veientibus et caedes. Census civium.* 17. *Quinctii Cincinnati dictatoris vitae ratio et res fortiter gestae.* 18. *Decemvirorum imperium.* 19. *Bellum cum Fidenatibus, Veientibus et Volscis.* 20. *Bellum Gallicum.*

## Cap. I.

Romanum imperium, quo neque ab exordio ullum fere minus, neque incrementis toto orbe amplius humana potest memoria recordari, a ROMULO exordium habet; qui Reae Silviae, Vestalis virginis, filius, et, quantum putatus est, Martis, cum REMO fratre uno partu editus est. Is cum inter pastores latrocinaretur, octodecim annos natus, urbem exiguam in Palatino monte constituit, XI. Cal. Maii, Olympiadis sextae anno tertio, post Troiae excidium, ut, qui plurimum minimumque, tradunt, trecentesimo nonagesimo quarto.

Cap. II. (I.) Condita civitate, quam ex nomine suo ROMAM vocavit, haec fere egit. Multitudinem finitimorum in civitatem recepit; centum ex senioribus legit, quorum consilio omnia ageret, quos senatores nominavit propter senectutem. Tum, cum uxores ipse et populus suus non haberent, invitavit ad spectaculum ludorum vicinas urbis Romae nationes, atque earum virgines rapuit. Commotis bellis propter raptarum iniuriam, Caeninenses vicit, Antemnates, Crustuminos, Sabinos, Fidenates, Veientes; haec omnia oppida urbem cingunt. Et cum orta subito tempestate non comparuisset, anno regni trigesimo septimo ad deos transisse creditus est et consecratus. Deinde Romae per quinos dies senatores imperaverunt; et his regnantibus annus unus completus est.

Cap. III. (II.) Postea NUMA POMPILIUS A. U.
rex creatus est; qui bellum quidem nullum gessit, 39
sed non minus civitati, quam Romulus, profuit. Nam et leges Romanis moresque constituit; qui consuetudine proeliorum iam latrones ac semibarbari putabantur; et annum descripsit in duodecim

menses, prius sine aliqua computatione confusum; et infinita Romae sacra ac templa constituit. Morbo decessit, quadragesimo tertio imperii anno.

A. U. Cap. IV. (III.) Huic successit TULLUS HO-
82 STILIUS. Hic bella reparavit, Albanos vicit, qui ab urbe Roma XII. milliario sunt; Veientes et Fidenates, quorum alii sexto milliario absunt ab urbe Roma, alii octavo decimo, bello superavit, urbem ampliavit, adiecto Coelio monte. Cum triginta duobus annis regnasset, fulmine ictus, cum domo sua arsit.

A. U. Cap. V. (IV.) Post hunc ANCUS MARCIUS,
114 Numae ex filia nepos, suscepit imperium. Contra Latinos dimicavit; Aventinum montem civitati adiecit, et Ianiculum; apud ostium Tiberis civitatem supra mare sexto decimo milliario ab urbe Roma condidit. Vigesimo quarto anno imperii morbo periit.

A. U. Cap. VI. (V.) Deinde regnum PRISCUS
138 TARQUINIUS accepit. Hic numerum senatorum duplicavit; circum Romae aedificavit; ludos Romanos instituit, qui ad nostram memoriam permanent. Vicit idem etiam Sabinos, et non parum agrorum, sublatum iisdem, urbis Romae territorio adiunxit, primusque triumphans urbem intravit. Muros fecit et cloacas; Capitolium inchoavit. Trigesimo octavo imperii anno per Anci filios occisus est, regis eius, cui ipse successerat.

A. U. Cap. VII. (VI.) Post hunc SERVIUS TUL-
176 LIUS suscepit imperium, genitus ex nobili femina, captiva tamen et famula. Hic quoque Sabinos subegit; montes tres, Quirinalem, Viminalem, Esquilinum, urbi adiunxit; fossas circa murum duxit. Primus omnium censum ordinavit, qui adhuc per orbem terrarum incognitus erat. Sub eo Roma, omnibus in censum delatis, habuit capitum LXXXIII

millia civium Romanorum cum his, qui in agris erant. Occisus est XLV imperii anno, scelere generi sui Tarquinii, filii eius regis, cui ipse successerat, et filiae, quam Tarquinius habebat uxorem.

Cap. VIII. (VII.) LUCIUS TARQUINIUS SUPERBUS, septimus atque ultimus regum, Volscos, quae gens ad Campaniam euntibus non longe ab urbe est, vicit; Gabios civitatem et Suessam Pometiam subegit; cum Tuscis pacem fecit, et templum Iovi in Capitolio aedificavit. Postea Ardeam oppugnans, in octavo decimo milliario ab urbe positam civitatem, imperium perdidit. Nam cum filius eius, et ipse Tarquinius iunior, nobilissimam feminam Lucretiam, eandemque pudicissimam, Collatini uxorem, stuprasset, eaque de iniuria marito, et patri, et amicis questa fuisset, in omnium conspectu se occidit. Propter quam causam Brutus, parens et ipse Tarquinii, populum concitavit, et Tarquinio ademit imperium. Mox exercitus quoque eum, qui civitatem Ardeam cum ipso rege oppugnabat, reliquit, veniensque ad urbem rex, portis clausis, exclusus est. Cumque imperasset annos viginti quinque, cum uxore et liberis suis fugit. Ita Romae regnatum est per septem reges annis ducentis quadraginta tribus, cum adhuc Roma, ubi plurimum, vix usque ad quintum decimum milliarium possideret. A. U. 220

Cap. IX. (VIII.) Hinc CONSULES coepere pro uno rege duo hac causa creari, ut, si unus malus esse voluisset, alter eum, habens potestatem similem, coërceret. Et placuit, ne imperium longius, quam annuum haberent, ne per diuturnitatem potestatis insolentiores redderentur, sed civiles semper essent, qui se post annum scirent futuros esse privatos. Fuerunt igitur anno primo,

A. u. expulsis regibus, coss. L. Iunius Brutus, qui ma-
245 xime egerat, ut Tarquinius pelleretur, et Tarqui-
nius Collatinus, maritus Lucretiae. Sed Tarqui-
nio Collatino statim sublata dignitas est. Placue-
rat enim, ne quisquam in urbe maneret, qui Tar-
quinius vocaretur. Ergo accepto omni patrimonio
suo, ex urbe migravit, et loco ipsius factus est
Valerius Publicola consul. (IX.) Commovit tamen
bellum urbi Romae rex Tarquinius, qui fuerat ex-
pulsus, et collectis multis gentibus, ut in regnum
posset restitui, dimicavit.

Cap. X. In prima pugna Brutus consul, et
Aruns, Tarquinii filius, in vicem se occiderunt.
Romani tamen ex ea pugna victores recesserunt.
Brutum Romanae matronae, defensorem pudicitiae
suae, quasi communem patrem, per annum luxe-
A. u. runt. Valerius Publicola Sp. Lucretium Tricipiti-
246 num collegam sibi fecit, Lucretiae patrem; quo
morbo mortuo, iterum Horatium Pulvillum colle-
gam sibi sumsit. Ita primus annus quinque con-
sules habuit, cum Tarquinius Collatinus urbe ces-
sisset propter nomen, Brutus proelio perisset, Sp.
Lucretius morbo mortuus esset.

Cap. XI. (X.) Secundo quoque anno iterum
Tarquinius, ut reciperetur in regnum, bellum Ro-
manis intulit, auxilium ei ferente Porsena, Tusciae
rege; et Romam paene cepit. Verum tunc quoque
A. u. victus est. Tertio anno post reges exactos Tar-
247 quinius, cum suscipi non posset in regnum, neque
ei Porsena, qui pacem cum Romanis fecerat, auxi-
lium praestaret, Tusculum se contulit, quae civi-
tas non longe ab urbe est, atque ibi per quatuor-
A. u. decim annos privatus cum uxore consenuit. Quar-
248 to anno post reges exactos, cum Sabini Romanis
bellum intulissent, victi sunt, et de his est trium-
phatum. Quinto anno Valerius ille, Bruti collega.

et quater cos. fataliter mortuus est; adeo pau- A. U. per, ut, collatis a populo nummis, sumtum habue- 251 rit sepulturae; quem matronae, sicut Brutum, annum luxerunt.

Cap. XII. (XI.) Nono anno post reges exactos, cum gener Tarquinii, ad iniuriam soceri vindicandam, ingentem collegisset exercitum, nova Romae dignitas est creata, quae DICTATURA ap- A. U. pellatur, maior quam consulatus. Eodem anno 253 etiam MAGISTER EQUITUM factus est, qui dictatori obsequeretur. Neque quidquam similius potest dici, quam dictatura antiqua, huic imperii potestati, quam nunc tranquillitas vestra habet; maxime cum Augustus quoque Octavianus, de quo postea dicemus, et ante eum Caius Caesar sub dictaturae nomine atque honore regnaverint. Dictator autem Romae primus fuit Lartius; magister equitum primus Sp. Cassius.

Cap. XIII. (XII.) Sexto decimo anno post A. U. reges exactos seditionem populus Romae fecit, tan- 260 quam a senatu atque consulibus premeretur. Tum et ipse sibi TRIBUNOS PLEBIS, quasi proprios iudices et defensores, creavit, per quos contra senatum et consules tutus esse posset.

Cap. XIV. Sequenti anno Volsci bellum repa- A. U. raverunt, et, victi acie, etiam Coriolos civitatem, 261 quam habebant optimam, perdiderunt.

Cap. XV. (XIII.) Octavo decimo anno post A. U. eiectos reges expulsus ex urbe Q. Marcius, dux 264 Romanorum, qui Coriolos ceperat, Volscorum civitatem, ad ipsos Volscos contendit iratus; et auxilia contra Romanos accepit, Romanosque saepe vicit. Usque ad quintum milliarium urbis accessit, oppugnaturus etiam patriam, legatis, qui pacem petebant, repudiatis, nisi ad eum mater Veturia et uxor Volumnia ex urbe venissent, quarum fletu

et deprecatione superatus, removit exercitum. Atque hic secundus post Tarquinium fuit, qui dux contra patriam suam esset.

A. U. 275 Cap. XVI. (XIV.) Caesone Fabio et Tito Virginio coss. trecenti nobiles homines, qui ex Fabia familia erant, contra Veientes bellum soli susceperunt, promittentes senatui et populo, per se omne certamen implendum. Itaque profecti omnes nobiles, et qui singuli magnorum exercituum duces esse deberent, in proelio conciderunt. Unus omnino superfuit ex tanta familia, qui propter aetatem puerilem duci non potuerat ad pugnam. Post haec census in urbe habitus est, et inventa sunt civium capita CXIX millia, CCCXIX.

Cap. XVII. (XV.) Sequenti anno, cum in Algido monte, ab urbe duodecimo ferme milliario, Romanus obsideretur exercitus, L. Quinctius Cin-
A. U. 296 cinnatus dictator est factus; qui agrum quatuor iugerum possidens, manibus suis colebat. Is cum in opere et arans esset inventus, sudore deterso, togam praetextam accepit, et, caesis hostibus, liberavit exercitum.

A. U. 302 Cap. XVIII. (XVI.) Anno CCC et altero ab urbe condita imperium consulare cessavit, et pro duobus coss. decem facti sunt, qui summam potestatem haberent, DECEMVIRI nominati. Sed cum primo anno bene egissent, secundo unus ex iis, Appius Claudius, Virginii cuiusdam, qui honestis iam stipendiis contra Latinos in monte Algido militabat, filiam virginem corrumpere voluit; quam pater occidit, ne stuprum a decemviro sustineret, et regressus ad milites, movit tumultum. Sublata est decemviris potestas, ipsique damnati sunt.

A. U. 317 Cap. XIX. (XVII.) Anno trecentesimo decimo quinto ab urbe condita, Fidenates contra Romanos rebellaverunt. Auxilium his praestabant

Veientes, et rex Veientium Tolumnius. Quae ambae civitates tam vicinae urbi sunt, ut Fidenae sexto, Veientes XVIII milliario absint. Coniunxerunt se his et Volsci. Sed Mamerco Aemilio dictatore et L. Quinctio Cincinnato, magistro equitum, victi, etiam regem perdiderunt. Fidenae captae et excisae.

Cap. XX. (XVIII.) Post XX deinde annos A. U.
Veientani rebellaverunt. Dictator contra ipsos mis- 349
sus est Furius Camillus, qui primum eos vicit acie; A. U.
mox etiam civitatem diu obsidens cepit, antiquissi- 359
mam Italiae atque ditissimam. Post eam cepit et A. U.
Faliscos, non minus nobilem civitatem; sed com- 361
mota est ei invidia, quasi praedam male divisisset, damnatusque ob eam causam, et expulsus civitate
est. Statim Galli Senones ad urbem venerunt, et A. U.
victos Romanos undecimo milliario a Roma apud 364
flumen Alliam secuti, etiam urbem occuparunt; neque defendi quidquam, nisi Capitolium, potuit. Quod cum diu obsedissent, et iam Romani fame laborarent, a Camillo, qui in vicina civitate exu-
labat, Gallis superventum est, gravissimeque victi A. U.
sunt. Postea tamen, accepto etiam auro, ne Capi- 365
tolium obsiderent, recesserunt; sed secutus eos Camillus ita cecidit, ut et aurum, quod his datum fuerat, et omnia, quae ceperant, militaria signa
revocaret. Ita tertio triumphans urbem ingressus A. U.
est, et appellatus secundus Romulus, quasi et ipse 365
patriae conditor.

# LIBER SECUNDUS.

## ARGUMENTUM.

*1. Tribuni militares consulari potestate pro duobus consulibus creantur. Camillus Volscos, Aequos et Sutrinos, 2. Quinctius Cincinnatus Praenestinos vincit. 3. In locum Tribunorum militarium consulari potestate succedunt consules instaurati. 4. Camilli mors et laus. 5. Gallorum in Italiam irruentium fuga. 6. Census iterum habetur. M. Valerius Corvus in duello Gallum vincit. 7. Bellum contra Latinos prospere gestum. 8. 9. Variae Samnitium clades, quibus diuturnum illud bellum sublatum est. 10. Victoria de Gallis illorumque sociis Tuscis et Samnitibus. 11-14. Bellum Tarentinum et cum Pyrrho, Epiri rege, Italis multis sociis. 15. Ptolemaeus Aegypti rex legatos Romam mittit. 16. Picentes vincuntur 17. et Sallentini. 18-28. Census civium. Bellum Punicum primum eiusque diversae vices.*

### Cap. I.

Anno trecentesimo sexagesimo quinto ab urbe condita, post captam autem primo, dignitates mutatae A.U. 365 sunt, et pro duobus COSS. facti TRIBUNI MILITARES consulari potestate. Hinc iam coepit Romana res crescere. Nam Camillus eo anno Volscorum civitatem, quae per septuaginta annos bellum gesserat, vicit, et Aequorum urbem, et Sutrino-

rum, omnibus deletis eorum exercitibus, occupavit, et tres simul triumphos egit.

Cap. II. Titus etiam Quinctius Cincinnatus A. U.
Praenestinos, qui usque ad urbis Romae portas 375
cum bello venerant, persecutus, ad flumen Alliam
vicit; octo civitates, quae sub ipsis agebant, Romanis adiunxit; ipsam Praenestem aggressus, in deditionem accepit; quae omnia ab eo gesta sunt viginti diebus, triumphusque ipsi decretus.

Cap. III. Verum dignitas Tribunorum militarium non diu perseveravit. Nam post aliquantum A. U.
nullos placuit fieri, et quadriennium ita in ur- 379
be fluxit, ut potestates ibi maiores non essent. Re- A. U.
sumserunt tamen Tribuni militares consulari po- 383
testate iterum dignitatem, et triennio perseverave- A. U.
runt. Rursus consules facti. 389

Cap. IV. (II.) L. Genucio, et Q. Servilio A. U.
coss. mortuus est Camillus; honor ei secundus 390
post Romulum delatus est.

Cap. V. T. Quinctius dictator adversus Gal- A. U.
los, qui ad Italiam venerant, missus est. Hi ab 394
urbe quarto milliario trans Anienem fluvium consederant. Ibi nobilissimus de senatoribus iuvenis T. Manlius provocantem Gallum, ad singulare certamen progressus, occidit, et sublato torque aureo, colloque suo imposito, in perpetuum Torquati et sibi et posteris cognomen accepit. Galli fugati A. U.
sunt; mox per C. Sulpitium dictatorem etiam victi. 394
Non multo post a C. Marcio Tusci victi sunt; VIII millia captivorum ex his in triumphum ducti.

Cap. VI. (III.) Census iterum habitus est. A. U.
Et cum Latini, qui a Romanis subacti erant, mili- 401
tes praestare nollent, ex Romanis tantum tirones A. U.
lecti sunt, factaeque legiones decem; qui modus 406
sexaginta, vel amplius, armatorum millia efficiebat.

Parvis adhuc Romanis rebus, tanta tamen in re militari virtus erat. Quae cum profectae essent adversus Gallos, duce L. Furio, quidam ex Gallis unum ex Romanis, qui esset optimus, provocavit. Tum se M. Valerius tribunus militum obtulit, et cum processisset armatus, corvus ei supra dextrum brachium sedit. Mox commissa adversus Gallum pugna, idem corvus alis et unguibus Galli oculos verberavit, ne rectum posset adspicere. Ita a tribuno Valerio interfectus, non solum victoriam ei, sed etiam nomen dedit. Nam postea idem Corvus est dictus. Ac propter hoc meritum annorum trium et viginti c o s. est factus.

A. U. Cap. VII. Latini, qui noluerant milites dare,
415 hoc quoque a Romanis exigere coeperunt, ut unus
consul ex eorum, alter ex Romanorum populo crearetur. Quod cum esset negatum, bellum contra
eos susceptum est, et ingenti pugna superati sunt;
A. U. ac de his perdomitis triumphatum est. Statuae con-
417 sulibus ob meritum victoriae in Rostris positae
sunt. Eo anno etiam Alexandria ab Alexandro Macedone condita est.

Cap. VIII. Iam Romani potentes esse coeperunt. Bellum enim in centesimo et tricesimo fere milliario apud Samnitas gerebatur, qui medii sunt
A. U. inter Picenum, Campaniam et Apuliam. L. Papi-
430 rius Cursor cum honore dictatoris ad id bellum
profectus est. Qui cum Romam redisset, Q. Fabio Maximo, magistro equitum, quem apud exercitum reliquit, praecepit, ne se absente pugnaret. Ille, occasione reperta, felicissime dimicavit, et Samnitas delevit. Ob quam rem a dictatore capitis damnatus, quod se vetante pugnasset, ingenti favore militum et populi liberatus est; tanta Papirio seditione commota, ut paene ipse interficeretur.

Cap. IX. Postea Samnites Romanos, T. Vetu- A. u.
rio et Sp. Postumio coss. apud Furculas Caudinas 433
angustiis locorum conclusos, ingenti dedecore vi-
cerunt, et sub iugum miserunt. Pax tamen a se-
natu et populo soluta est, quae cum ipsis propter
necessitatem facta fuerat. Postea Samnites victi A. u.
sunt a L. Papirio consule: septem millia eorum sub 434
iugum missa. Papirius de Samnitibus triumpha-
vit. Eo tempore Appius Claudius censor Aquam A. u.
Claudiam induxit, et viam Appiam stravit. Samni- 442
tes, reparato bello, Q. Fabium Maximum vicerunt, A. u.
tribus millibus hominum occisis. Postea, cum pa- 462
ter ei Fabius Maximus legatus datus fuisset, et
Samnitas vicit, et plurima eorum oppida cepit.
Deinde P. Cornelius Rufinus, Manius Curius Den-
tatus, ambo coss. contra Samnitas missi, ingen-
tibus proeliis eos confecere. Tum bellum cum
Samnitibus per annos novem et XL. actum sustu-
lerunt; neque ullus hostis fuit intra Italiam, qui
Romanam virtutem magis fatigaverit.

Cap. X. Interiectis aliquot annis, iterum se A. u.
Gallorum copiae contra Romanos Tuscis Samni- 469
tibusque iunxerunt; sed cum Romam tenderent,
a Cn. Cornelio Dolabella cos. deletae sunt.

Cap. XI. (VI.) Eodem tempore Tarentinis, A. u.
qui iam in ultima Italia sunt, bellum indictum est, 471
qui legatis Romanorum iniuriam fecissent. Hi Pyr-
rhum, Epiri regem, contra Romanos auxilium po-
poscerunt, qui ex genere Achillis originem trahe-
bat. Is mox ad Italiam venit, tumque primum
Romani cum transmarino hoste dimicaverunt. Mis-
sus est contra eum consul P. Valerius Laevinus,
qui, cum exploratores Pyrrhi cepisset, iussit eos
per castra duci, ostendi omnem exercitum, tum-
que dimitti, ut renunciarent Pyrrho, quaecunque
a Romanis agerentur. Commissa mox pugna, cum

iam Pyrrhus fugeret, elephantorum auxilio vicit, quos incognitos Romani expaverunt; sed nox proelio finem dedit. Laevinus tamen per noctem fugit. Pyrrhus Romanos mille octingentos cepit, eosque summo honore tractavit; occisos sepelivit. Quos cum adverso vulnere et truci vultu etiam mortuos iacere vidisset, tulisse ad coelum manus dicitur, cum hac voce: *se totius orbis dominum esse potuisse, si tales sibi milites contigissent.*

A. u. 472 Cap. XII. (VII.) Postea Pyrrhus, iunctis sibi Samnitibus, Lucanis, Bruttiisque, Romam perrexit, omnia ferro ignique vastavit, Campaniam depopulatus est, atque ad Praenestem venit milliario ab urbe octavo decimo. Mox terrore exercitus, qui cum consule sequebatur, in Campaniam se recepit. Legati ad Pyrrhum de redimendis captivis missi, ab eo honorifice suscepti sunt; captivos sine pretio Romam misit. Unum ex legatis Romanorum, Fabricium, sic admiratus est, ut, cum eum pauperem esse cognovisset, quarta parte regni promissa, sollicitare voluerit, ut ad se transiret; contemptusque a Fabricio est. Quare cum Pyrrhus ingenti Romanorum admiratione teneretur, legatum misit, qui pacem aequis conditionibus peteret, praecipuum virum, Cineam nomine, ita ut Pyrrhus partem Italiae, quam iam armis occupaverat, obtineret.

Cap. XIII. Pax displicuit, remandatumque Pyrrho a senatu est, eum cum Romanis, nisi ex Italia recessisset, pacem habere non posse. Tum Romani iusserunt captivos omnes, quos Pyrrhus reddiderat, infames haberi, quod armati capi potuissent, nec ante eos ad veterem statum reverti, quam si binorum hostium occisorum spolia retulissent. Ita legatus Pyrrhi reversus est. A quo cum quaereret Pyrrhus, *qualem Romam comperisset?* Cineas dixit: *regum se patriam vidisse; sci-*

*licet tales illic fere omnes, qualis unus Pyrrhus apud Epirum et reliquam Graeciam putaretur.* (VIII.) Missi sunt contra Pyrrhum duces P. Sul- A. U.
picius et Decius Mus, consules. Certamine com- 473
misso Pyrrhus vulneratus est, elephanti interfecti, XX millia caesa hostium, et ex Romanis tantum quinque millia. Pyrrhus Tarentum fugatus.

Cap. XIV. Interiecto anno, contra Pyrrhum A. U.
Fabricius est missus, qui prius inter legatos solli- 474
citari non potuerat, quarta parte regni promissa. Tum, cum vicina castra ipse et rex haberent, medicus Pyrrhi ad eum nocte venit, promittens, se veneno Pyrrhum occisurum, si sibi aliquid polliceretur; quem Fabricius vinctum reduci iussit ad dominum, Pyrrhoque dici, quae contra caput eius medicus spopondisset. Tunc rex admiratus eum, dixisse fertur: *Ille est Fabricius, qui difficilius ab honestate, quam sol a cursu suo averti potest.* Tum rex ad Siciliam profectus est; Fabricius, victis A. U.
Samnitibus et Lucanis, triumphavit. coss. dein- 475
de, Curius Dentatus et Cornelius Lentulus, adver- A. U.
sus Pyrrhum missi sunt; Curius contra eum pu- 477
gnavit, exercitum eius cecidit, ipsum Tarentum fugavit, castra cepit. Ea die caesa hostium XXIII millia. Curius in consulatu triumphavit; primus A. U.
Romam elephantos quatuor duxit. Pyrrhus etiam 478
a Tarento mox recessit, et apud Argos, Graeciae civitatem, occisus est.

Cap. XV. (IX.) C. Fabio Licino et C. Clau- A. U.
dio Canina coss. anno urbis conditae CCCCLXXIX, 479
legati Alexandrini, a Ptolemaeo missi, Romam venere, et a Romanis amicitiam, quam petierant, obtinuerunt.

Cap. XVI. Quinto Ogulnio, C. Fabio Pictore A. U.
coss. Picentes bellum commovere, et ab insequen- 483

A. U. tibus coss. P. Sempronio, Appio Claudio, victi
484 sunt; et de his triumphatum est. Conditae a Ro-
manis civitates, Ariminum in Gallia, et Beneven-
tum in Samnio.

A. U. Cap. XVII. M. Atilio Regulo, L. Iulio Libone
485 coss. Sallentinis in Apulia bellum indictum est,
A. U. captique sunt cum civitate simul Brundisini, et de
486 his triumphatum est.

A. U. Cap. XVIII. (X.) Anno CCCCLXXXVIII cum
488 iam clarum urbis Romae nomen esset, arma tamen
extra Italiam mota non fuerant. Ut igitur cogno-
sceretur, quae copiae Romanorum essent, census
est habitus; inventa sunt civium capita CCXCII
millia CCCXXXIV; quanquam a condita urbe nun-
quam bella cessassent. Et contra Afros bellum
susceptum est primum, Appio Claudio, Q. Fulvio
coss. In Sicilia contra eos pugnatum est, et
Appius Claudius de Afris et rege Siciliae Hierone
triumphavit.

A. U. Cap. XIX. Insequenti anno, Valerio Maximo
489 et M'. Otacilio coss. in Sicilia a Romanis res ma-
gnae gestae sunt. Tauromenitani, Catinenses et
praeterea quinquaginta civitates in fidem acceptae
sunt. Tertio anno in Sicilia contra Hieronem bel-
lum patratum est. Is cum omni nobilitate Syra-
cusanorum pacem a Romanis impetravit, deditque
A. U. argenti talenta ducenta. Afri in Sicilia victi sunt,
490 et de his secundo Romae triumphatum est.

A. U. Cap. XX. Quinto anno belli Punici, quod
492 contra Afros agebatur, primum Romani C. Duilio
et Cn. Cornelio Asina coss. in mari dimicaverunt,
paratis navibus rostratis, quas Liburnas vocant.
Consul Cornelius fraude deceptus est. Duilius,
commisso proelio, Carthaginiensium ducem vicit,
XXXI naves cepit, XIV mersit, VII millia hostium
cepit, III millia occidit. Neque ulla victoria Ro-

manis gratior fuit, quod, invicti terra, iam etiam mari plurimum possent. C. Aquillio Floro, L. Scipione coss. Scipio Corsicam et Sardiniam vastavit, multa millia inde captivorum abduxit, triumphum egit. A. U. 493

Cap. XXI. (XI.) L. Manlio Vulsone, M. Atilio Regulo coss. bellum in Africam translatum est; contra Hamilcarem, Carthaginiensium ducem, in mari pugnatum, victusque est. Nam perditis LXIV navibus, retro se recepit. Romani XXII amiserunt. Sed cum in Africam transissent, primam Clypeam, Africae civitatem, in deditionem acceperunt. Consules usque ad Carthaginem processerunt, multisque vastatis, Manlius victor Romam rediit, et XXVII millia captivorum reduxit; Atilius Regulus in Africa remansit. Is contra Afros aciem instruxit; contra tres Carthaginiensium duces dimicans, victor fuit; XVIII millia hostium cecidit, quinque millia cum XVIII elephantis cepit; LXXIV civitates in fidem accepit. Tum victi Carthaginienses pacem a Romanis petierunt; quam cum Regulus nollet, nisi durissimis conditionibus, dare, Afri auxilium a Lacedaemoniis petierunt; et duce Xanthippo, qui a Lacedaemoniis missus fuerat, Romanorum dux Regulus victus est ultima pernicie. Nam duo millia tantum ex omni Romano exercitu refugerunt; quingenti cum imperatore Regulo capti sunt; XXX millia occisa; Regulus ipse in catenas coniectus. A. U. 496

Cap. XXII. (XII.) M. Aemilio Paullo, Servio Fulvio Nobiliore coss. ambo Romani consules ad Africam profecti sunt cum trecentarum navium classe; primum Afros navali certamine superant. Aemilius consul centum et quatuor naves hostium demersit; triginta cum pugnatoribus cepit; XV millia hostium aut occidit, aut cepit; militem suum ingenti praeda ditavit. Et subacta Africa tum fuis- A. U. 497

set, nisi tanta fames fuisset, ut diutius exspectare exercitus non posset. Consules, cum victrici classe redeuntes, circa Siciliam naufragium passi sunt, et tanta tempestas fuit, ut ex quadringentis sexaginta quatuor navibus octoginta servari vix potuerint. Neque ullo tempore tanta maritima tempestas audita est. Romani tamen statim ducentas naves reparaverunt, neque in aliquo animus his infractus fuit.

A. U. 499 Cap. XXIII. (XIII.) Cn. Servilius Caepio et C. Sempronius Blaesus coss. cum ducentis sexaginta navibus ad Africam profecti sunt; aliquot civitates ceperunt; praedam ingentem reducentes, naufragium passi sunt. Itaque cum continuae calamitates Romanis displicerent, decrevit Senatus, ut a maritimis proeliis recederetur, et tantum sexaginta naves ad praesidium Italiae salvae essent.

A. U. 501 Cap. XXIV. L. Caecilio Metello, C. Furio Pacilo coss. Metellus in Sicilia Afrorum ducem, cum CXXX elephantis et magnis copiis venientem, superavit, XX millia hostium cecidit, XXVI elephantos cepit, reliquos errantes per Numidas, quos in auxilium habebat, collegit et Romam deduxit ingenti pompa, cum CXXX elephantorum numerus omnia itinera compleret.

Cap. XXV. (XIV.) Post haec mala Carthaginienses Regulum ducem, quem ceperant, petierunt, ut Romam proficisceretur, et pacem a Romanis obtineret, ac permutationem captivorum faceret. Ille Romam cum venisset, inductus in senatum, nihil quasi Romanus egit, dixitque, *se ex illa die, qua in potestatem Afrorum venisset, Romanum esse desiisse.* Itaque et uxorem a complexu removit, et senatui suasit, ne pax cum Poenis fieret; *illos enim, fractos tot casibus, spem nullam habere; se tanti non esse, ut tot millia captivorum propter unum*

*se, et senem, et paucos, qui ex Romanis capti fuerant, redderentur.* Itaque obtinuit. Nam Afros, pacem petentes, nullus admisit; ipse Carthaginem rediit, offerentibusque Romanis, ut eum Romae tenerent, negavit, se in ea urbe mansurum, in qua, postquam Afris servierat, dignitatem honesti civis habere non posset. Regressus igitur ad Africam, omnibus suppliciis exstinctus est.

Cap. XXVI. (XV.) P. Claudio Pulchro, L. Iunio coss. Claudius contra auspicia pugnavit, et a Carthaginiensibus victus est. Nam ex CCXX navibus cum XXX fugit, nonaginta cum pugnatoribus captae sunt, demersae ceterae. Alius quoque consul classem naufragio amisit, exercitum tamen salvum habuit, quia vicina litora erant. A. U. 503

Cap. XXVII. (XVI.) C. Lutatio Catulo, A. Postumio Albino coss. anno belli Punici XXIII, Catulo bellum contra Afros commissum est. Profectus est cum CCC navibus in Siciliam. Afri contra ipsum CCCC paraverunt. Nunquam in mari tantis copiis pugnatum est. Lutatius Catulus navem aeger adscendit; vulneratus enim in pugna superiore fuerat. Contra Lilybaeum, civitatem Siciliae, pugnatum est ingenti virtute Romanorum. Nam LXXIII Carthaginiensium naves captae sunt, CXXV demersae, XXXII millia hostium capta, XIII occisa; infinitum auri argentique pondus in potestatem Romanorum redactum. Ex classe Romana XII naves demersae. Pugnatum est VI. Idus Martias. Statim Carthaginienses pacem petierunt, tributaque est eis pax; captivi Romanorum, qui tenebantur a Carthaginiensibus, redditi sunt. Etiam Carthaginienses petierunt, ut redimi eos captivos liceret, quos ex Afris Romani tenebant. Senatus iussit sine pretio dari eos, qui in publica custodia essent. Qui autem a privatis A. U. 510

tenerentur, ut, pretio dominis reddito, Carthaginem redirent; atque id pretium ex fisco magis, quam a Carthaginiensibus solveretur.

A. U. 511 Cap. XXVIII. Q. Lutatius, A. Manlius coss. creati, bellum Faliscis intulerunt, quae civitas Italiae opulenta quondam fuit: quod ambo coss. intra sex dies, quam venerant, transegerunt, XV millibus hostium caesis; ceteris pace concessa, agro tamen ex medietate sublato.

# LIBER TERTIUS.

## *ARGUMENTUM.*

1. *Ptolemaeus Aegypti rex promissa a Romanis auxilia in bello contra Antiochum, Syriae regem, recusat. Hiero, Siciliae rex, ludos spectatum Romam venit.* 2. *Bellum Ligusticum feliciter gestum, metusque Punici sublatus.* 3. *Otium per orbem Romanum.* 4. *Bellum Illyricum.* 5. 6. *Clades Gallorum in Italiam irrumpentium.* 7 - 23. *Bellum Istricum et Punicum secundum, variis regionibus et rerum vicissitudinibus gestum.*

### Cap. I.

Finito igitur Punico bello, quod per XXIII annos tractum est, Romani iam clarissima gloria noti, legatos ad Ptolemaeum, Aegypti regem, miserunt, auxilia promittentes, quia rex Syriae Antiochus ei bellum intulerat. Ille gratias Romanis egit, auxilia non accepit; iam enim fuerat pugna transacta. Eodem tempore potentissimus rex Siciliae Hiero

Romam venit ad ludos spectandos, et ducenta millia modiorum tritici populo donum exhibuit.

Cap. II. L. Cornelio Lentulo, Fulvio Flacco A. U.
coss. quibus Hiero Romam venerat, etiam contra 515
Ligures intra Italiam bellum gestum est, et de his triumphatum. Carthaginienses tum bellum reparare tentabant, Sardinienses, qui ex conditione pacis Romanis parere debebant, ad rebellandum impellentes. Venit tamen legatio Carthaginiensium Romam, et pacem impetravit.

Cap. III. T. Manlio Torquato, C. Atilio Bulbo A. U.
coss. de Sardis triumphatum est, et, pace 517
omnibus locis facta, Romani nullum bellum habuerunt; quod his post Romam conditam semel tantum, Numa Pompilio regnante, contigerat.

Cap. IV. L. Postumius Albinus, Cn. Fulvius A. U.
Centumalus coss. bellum contra Illyrios gesse- 523
runt, et multis civitatibus captis, etiam reges in deditionem accceperunt. Ac tum primum de Illyriis A. U.
triumphatum est. 524

Cap. V. (II.) L. Aemilio cos. ingentes Gal- A. U.
lorum copiae Alpes transierunt. Sed pro Romanis 527
tota Italia consensit, traditumque est a Fabio historico, qui ei bello interfuit, DCCC millia hominum parata ad id bellum fuisse. Sed res per cos. tantum prospere gesta est; XL millia hostium interfecta sunt, et triumphus Aemilio decretus.

Cap. VI. Aliquot deinde annis post contra Gallos intra Italiam pugnatum est, finitumque est bellum M. Claudio Marcello, Cn. Cornelio Scipione A. U.
coss. Tunc Marcellus cum parva manu equitum 530
dimicavit, et regem Gallorum, Virdomarum nomine, manu sua occidit. Postea cum collega ingentes copias Gallorum peremit, Mediolanum expugnavit, grandem praedam Romam pertulit; ac trium-

phans Marcellus spolia Galli, stipiti imposita, humeris suis vexit.

A. U. Cap. VII. M. Minucio Rufo, P. Cornelio coss.
531 Istris bellum illatum est, quia latrocinati navibus Romanorum fuerant, quae frumenta exhibebant,
A. U. perdomitique sunt omnes. (III.) Eodem anno
534 bellum Punicum secundum Romanis illatum est per Hannibalem, Carthaginiensium ducem, qui Saguntum Hispaniae civitatem, Romanis amicam, oppugnare aggressus est, annum agens vicesimum aetatis, copiis congregatis CL millium. Huic Romani per legatos denunciaverunt, ut bello abstineret. Is legatos admittere noluit. Romani etiam Carthaginem miserunt, ut mandaretur Hannibali, ne bellum contra socios populi Romani gereret. Dura responsa a Carthaginiensibus reddita. Saguntini interea fame victi sunt; captique ab Hannibale ultimis poenis afficiuntur.

Cap. VIII. Tum P. Cornelius Scipio cum exercitu in Hispaniam profectus est, Tiberius Sempronius in Siciliam; bellum Carthaginiensibus indictum est. (IV.) Hannibal, relicto in Hispania fratre Hasdrubale, Pyrenaeum transiit; Alpes, adhuc ea parte invias, sibi patefecit. Traditur, ad Italiam LXXX millia peditum, et XX millia equitum, septem et XXX elephantos adduxisse. Interea multi Ligures et Galli Hannibali se coniunxerunt. Sempronius Gracchus, cognito ad Italiam Hannibalis adventu, ex Sicilia exercitum Ariminum traiecit.

Cap. IX. P. Cornelius Scipio Hannibali primus occurrit; commisso proelio, fugatis suis, ipse vulneratus in castra rediit. Sempronius Gracchus et ipse confligit apud Trebiam amnem. Is quoque vincitur. Hannibali multi se in Italia dediderunt.
A. U. Inde ad Tusciam veniens Hannibal Flaminio con-
535 suli occurrit; ipsum Flaminium interemit. Roma-

norum XXV millia caesa sunt, ceteri diffugerunt. Missus adversus Hannibalem postea a Romanis Q. Fabius Maximus. Is eum, differendo pugnam, ab impetu fregit; mox inventa occasione vicit.

Cap. X. (V.) Quingentesimo et quadragesimo A. U.
anno a condita urbe L. Aemilius Paullus, P. Teren- 536
tius Varro contra Hannibalem mittuntur, Fabioque succedunt; qui Fabius ambos coss. monuit, ut Hannibalem, calidum et impatientem ducem, non aliter vincerent, quam proelium differendo. Verum cum impatientia Varronis consulis, contradicente consule altero, apud vicum, qui Cannae appellatur, in Apulia pugnatum esset, ambo coss. ab Hannibale vincuntur. In ea pugna III millia Afrorum pereunt, magna pars de exercitu Hannibalis sauciatur; nullo tamen Punico bello Romani gravius accepti sunt. Periit enim in eo Aemilius Paullus consul, consulares aut praetorii XX, senatores capti aut occisi XXX, nobiles viri CCC, militum XL millia, equitum III millia et quingenti. In quibus malis nemo tamen Romanorum pacis mentionem habere dignatus est. Servi, quod nunquam ante, manumissi et milites facti sunt.

Cap. XI. (VI.) Post eam pugnam multae Italiae civitates, quae Romanis paruerant, se ad Hannibalem transtulerunt. Hannibal Romanis obtulit, ut captivos redimerent; responsumque est a senatu, eos cives non esse necessarios, qui, cum armati essent, capi potuissent. Ille omnes postea variis suppliciis interfecit, et tres modios aureorum annulorum Carthaginem misit, quos e manibus equitum Romanorum, senatorum et militum detraxerat. Interea in Hispania, ubi frater Hannibalis Hasdrubal remanserat cum magno exercitu, ut eam totam Afris subigeret, a duobus Scipionibus, Romanis ducibus, vincitur, perditque in pugna XXXV millia homi-

num. Ex his capiuntur x millia; occiduntur xxv. Mittuntur ei a Carthaginiensibus ad reparandas vires xii millia peditum, iv millia equitum, xx elephanti.

A. C. 537 Cap. XII. (VII.) Anno quarto post, quam in Italiam Hannibal venit, M. Claudius Marcellus cos. apud Nolam, civitatem Campaniae, contra Hannibalem bene pugnavit. Hannibal multas civitates Romanorum per Apuliam, Calabriam et Bruttios occupavit; quo tempore etiam rex Macedoniae Philippus ad eum legatos misit, promittens auxilia contra Romanos sub hac conditione, ut, deletis Romanis, ipse quoque contra Graecos ab Hannibale auxilia acciperet. Captis igitur legatis Philippi et re cognita, Romani in Macedoniam M. Valerium Laevinum ire iusserunt; in Sardiniam T. Manlium Torquatum proconsulem. Nam etiam ea sollicitata ab Hannibale Romanos deseruerat.

Cap. XIII. Ita uno tempore quatuor locis pugnabatur: in Italia contra Hannibalem; in Hispaniis contra fratrem eius Hasdrubalem; in Macedonia contra Philippum; in Sardinia contra Sardos et alterum Hasdrubalem Carthaginiensem. Is a T. Manlio proconsule, qui ad Sardiniam missus fuerat, vivus est captus, occisa cum eo xii millia, capti mille quingenti, et a Romanis Sardinia subacta. Manlius victor captivos et Hasdrubalem Romam reportavit. Interea etiam Philippus a Laevino in Macedonia vincitur, et in Hispania a Scipionibus Hasdrubal et Mago, tertius frater Hannibalis.

A. U. 541 Cap. XIV. (VIII.) Decimo anno post, quam Hannibal in Italiam venerat, P. Sulpicio, Cn. Fulvio coss. Hannibal usque ad quartum milliarium urbis accessit; equites eius usque ad portam. Mox consulum metu, cum exercitu venientum, Hannibal ad Campaniam se recepit. In Hispania a fra-

tre eius Hasdrubale ambo Scipiones, qui per mul-
tos annos victores fuerant, interficiuntur; exerci-
tus tamen integer mansit; casu enim magis erant,
quam virtute, decepti. Quo tempore etiam a con- A. U.
sule Marcello Siciliae magna pars capta est, quam 540
tenere Afri coeperant, et nobilissimae urbis Syra-
cusanae praeda ingens Romam perlata est. Laevi-
nus in Macedonia cum Philippo, et multis Graeciae
populis, et rege Asiae Attalo amicitiam fecit, et ad
Siciliam profectus, Hannonem quendam, Afrorum
ducem, apud Agrigentum civitatem cum ipso oppido
cepit, eumque Romam cum captivis nobilibus misit;
XL civitates in deditionem accepit, XXVI expu-
gnavit. Ita, omni Sicilia recepta, Macedonia fra-
cta, cum ingenti gloria Romam regressus est. Han- A. U.
nibal in Italia Cn. Fulvium consulem subito aggres- 542
sus, cum octo millibus hominum interfecit.

Cap. XV. (IX.) Interea ad Hispanias, ubi,
occisis duobus Scipionibus, nullus Romanus dux
erat, P. Cornelius Scipio mittitur, filius P. Scipio- A. U.
nis, qui ibidem bellum gesserat, annos natus qua- 541
tuor et viginti; vir Romanorum omnium et sua
aetate, et posteriori tempore fere primus. Is Car- A. U.
thaginem Hispaniae capit; in qua omne aurum, et 542
argentum, et belli apparatum Afri habebant; nobi-
lissimos quoque obsides, quos ab Hispanis accepe-
rant; Magonem etiam, fratrem Hannibalis, ibidem
capit, quem Romam cum aliis mittit. Romae in-
gens laetitia post hunc nuntium fuit. Scipio Hispa-
norum obsides parentibus reddidit. Quare omnes
fere Hispaniae ad eum uno animo transierunt. Post
quae Hasdrubalem, Hannibalis fratrem, victum
fugat, et praedam maximam capit.

Cap. XVI. Interea in Italia cos. Q. Fabius A. U.
Maximus Tarentum cepit, in qua ingentes copiae 543
Hannibalis erant. Ibi etiam ducem Hannibalis Car-

thalonem occidit, xxv millia captivorum vendidit, praedam militibus dispertivit, pecuniam hominum venditorum ad fiscum retulit. Tum multae civitates Romanorum, quae ad Hannibalem transierant, rursus se Fabio Maximo dediderunt. (X.) Insequenti anno Scipio, in Hispania egregias res egit, et per se, et per fratrem suum L. Scipionem, LXX civitates recepit. In Italia tamen male pugnatum est. Nam Claudius Marcellus cos. ab Hannibale occisus est.

Cap. XVII. Tertio anno post, quam Scipio ad Hispaniam profectus est, rursus res inclutas gerit, regem Hispaniarum, magno proelio victum, in amicitiam accepit, et primus omnium a victo obsides non poposcit.

Cap. XVIII. Desperans Hannibal, Hispanias contra Scipionem ducem diutius posse retineri, fratrem suum Hasdrubalem in Italiam cum omnibus copiis evocavit. Is veniens eodem itinere, quo
A. U. etiam Hannibal venerat, a consulibus Appio Clau-
545 dio Nerone et M. Livio Salinatore apud Metaurum fluvium et Senam, Piceni civitatem, in insidias compositas incidit; strenue tamen pugnans, occisus est; ingentes eius copiae captae, aut interfectae sunt; magnum pondus auri atque argenti Romam relatum. Posthaec Hannibal diffidere de belli coepit eventu. Romanis ingens animus accessit. Ita-
A. U. que et ipsi evocaverunt ex Hispania P. Cornelium
546 Scipionem. Is Romam cum ingenti gloria venit.
A. U. Cap. XIX. Q. Caecilio, L. Valerio coss.
546 omnes civitates, quae in Bruttiis ab Hannibale tenebantur, Romanis se tradiderunt.

Cap. XX. (XI.) Anno XIV post, quam in
A. U. Italiam Hannibal venerat, Scipio, qui multa in
547 Hispania bene egerat, consul est factus, et in Africam missus; cui viro divinum quiddam inesse exi-

stimabatur, adeo ut putaretur etiam cum numinibus habere sermonem. Is in Africa contra Hannonem, ducem Afrorum, pugnat, exercitum eius interficit. Secundo proelio castra capit cum quatuor A. U.
millibus et quingentis militibus, XI millibus occi- 549
sis. Syphacem, Numidiae regem, qui se Afris coniunxerat, capit, et castra eius invadit. Syphax, cum nobilissimis Numidis et infinitis spoliis, Romam ab Scipione mittitur. Qua re audita, omnis fere Italia Hannibalem deserit. Ipse a Carthaginiensibus redire in Africam iubetur, quam Scipio vastabat.

Cap. XXI. Ita anno XVII ab Hannibale Ita- A. U.
lia liberata est. (XII.) Legati Carthaginiensium 550
pacem a Scipione petiverunt; ab eo ad senatum Romam missi sunt; quadraginta et quinque diebus induciae datae sunt, quousque Romam ire et regredi possent; et XXX millia pondo argenti ab his accepta sunt. Senatus ex arbitrio Scipionis pacem iussit cum Carthaginiensibus fieri. Scipio his conditionibus dedit, *ne amplius, quam* XXX *naves, haberent; ut* D *millia pondo argenti darent; captivos et perfugas redderent.*

Cap. XXII. Interim, Hannibale veniente ad Africam, pax turbata est, multa hostilia ab Afris facta sunt; legati tamen eorum ex urbe venientes, a Romanis capti sunt, et, iubente Scipione, dimissi. Hannibal quoque frequentibus proeliis victus a Scipione, petit etiam ipse pacem. Cum ventum esset ad colloquium, iisdem conditionibus data est, quibus prius; addita quingentis millibus pondo argenti c millia librarum, propter novam perfidiam. Carthaginiensibus conditiones displicuerunt, iusseruntque Hannibalem pugnare. Infertur a Scipione et Masinissa, alio rege Numidarum, qui amicitiam cum Scipione fecerat, Carthagini bellum. (XIII.)

Hannibal tres exploratores ad Scipionis castra misit, quos captos Scipio circumduci per castra iussit, ostendique eis totum exercitum; mox etiam prandium dari dimittique, ut renunciarent Hannibali, quae apud Romanos vidissent.

Cap. XXIII. Interea proelium ab utroque duce instructum est, quale vix ulla memoria fuit, cum peritissimi viri copias suas ad bellum educerent. Scipio victor recedit, paene ipso Hannibale capto, qui primum cum multis equitibus, deinde cum XX, postremo cum quatuor evasit. Inventa in castris Hannibalis argenti pondo XX millia, auri LXXX, cetera supellectilis copiosa. Post id certamen pax cum Carthaginiensibus facta est. Scipio
A. U. 551 Romam rediit, ingenti gloria triumphavit, atque Africanus ex eo appellari coeptus est. Finem accepit secundum Punicum bellum, post annum septimum decimum, quam coeperat.

# LIBER QUARTUS.

## ARGUMENTUM.

1. 2. *Bellum Macedonicum contra Philippum regem.* 3. 4. *Syriacum contra Antiochum regem.* 5. *Fulvii triumphus de Aetolis, et mors Hannibalis.* 6-8. *Bellum Macedonicum secundum contra Perseum, et Illyricum contra Gentium, triumphique de iis acti.* 9. *Res a Mummio in Hispania prospere gestae.* 10-12. *Bellum Punicum tertium et Carthaginis excidium.* 13. *Bellum Macedonicum tertium contra Pseudophilippum.* 14. *Bellum Achaicum s. Corinthium a Mummio gestum Corinthique*

*excidium.* 15. *Bellum Macedonicum quartum contra Pseudoperseum.* 16. *Res in Hispania contra Viriathum feliciter gestae.* 17. *Bellum Numantinum a Scipione profligatum.* 18. *Attalus per testamentum populum Romanum regni heredem constituit.* 19. *Triumphi Iunii Bruti de Callaecis et Lusitanis, et Scipionis Africani de Numantinis.* 20. *Bellum contra Aristonicum in Asia infeliciter a Crasso gestum, a Perperna profligatum.* 21. *Carthago reparata et Romana colonia facta.* 22. *Bellum cum Gallis Transalpinis et Bituito, Arvernorum duce, illoque devicto triumphus.* 23. *Colonia Narbonem deducitur.* 24. *Ignominiosum contra Scordiscos in Thracia bellum, Catone duce.* 25. *Triumphi de Sardinia et Thracia acti.* 26. 27. *Bellum Iugurthinum.*

## Cap. I.

Transacto Punico bello, secutum est MACEDONICUM contra Philippum regem. A. U. 552

Cap. II. Quingentesimo et quinquagesimo primo anno ab urbe condita T. Quinctius Flamininus A. U. adversus Philippum rem prospere gessit; pax ei 554 data est his legibus, *ne Graeciae civitatibus, quas Romani contra eum defenderant, bellum inferret: ut captivos et transfugas redderet: quinquaginta solum naves haberet, reliquas Romanis daret: per annos decem quaterna millia pondo argenti praestaret, et obsidem daret filium suum Demetrium.* T. Quinctius etiam Lacedaemoniis intulit bellum; ducem eorum Nabidem vicit, et, quibus voluit conditionibus, in fidem accepit. Ingenti gloria duxit ante currum nobilissimos obsides, Demetrium, Philippi filium, et Armenem Nabidis.

Cap. III. (II.) Transacto bello Macedonico secutum est SYRIACUM contra Antiochum regem,

A. U. P. Cornelio Scipione, M'. Acilio Glabrione coss.
561 Huic Antiocho Hannibal se iunxerat; Carthaginem, patriam suam, metu, ne Romanis traderetur, relinquens. M'. Acilius Glabrio in Achaia bene pugnavit; castra regis Antiochi nocturna pugna capta sunt, ipse fugatus. Philippo, quia contra Antiochum Romanis auxilio fuisset, filius Demetrius redditus est.

A. U. Cap. IV. L. Cornelio Scipione, C. Laelio
562 coss. Scipio Africanus fratri suo L. Cornelio Scipioni consuli legatus contra Antiochum profectus est. Hannibal, qui cum Antiocho erat, navali proelio victus est. Ipse postea Antiochus circa Sipylum ad Magnesiam, Asiae civitatem, a cos. Cornelio Scipione ingenti proelio fusus est. Auxilio fuit Romanis in ea pugna Eumenes, Attali regis frater, qui Eumeniam in Phrygia condidit. L millia peditum, III equitum eo certamine ex parte regis occisa sunt. Tum rex Antiochus pacem petiit; iisdem conditionibus data est a senatu, quamquam victo, quibus ante offerebatur: ut ex Europa et Asia recederet, atque intra Taurum se contineret: X millia talentorum et XX obsides praeberet: Hannibalem, concitorem belli, dederet. Eumeni regi donatae sunt omnes Asiae civitates, quas Antiochus bello perdiderat; et Rhodiis, qui auxilium Romanis contra regem Antiochum tulerant, multae urbes concessae sunt. Scipio Romam rediit, ingenti gloria triumphavit; nomen et ipse, ad imitationem fratris Asiagenis (Asiatici) accepit, quia Asiam vicerat; sicut frater ipsius propter Africam domitam Africanus appellabatur.

A. U. Cap. V. Spurio Postumio Albino, Q. Marcio
566 Philippo coss. M. Fulvius de AETOLIS triumphavit. Hannibal, qui victo Antiocho, ne Romanis traderetur, ad Prusiam, Bithyniae regem, fugerat,

repetitus etiam ab eo est per T. Quinctium Flaminium; et cum tradendus Romanis esset, venenum bibit, et apud Lybissam, in finibus Nicomediensium, sepultus est.

Cap. VI. (III.) Philippo rege Macedoniae mortuo, qui et adversum Romanos bellum gesserat, et postea Romanis contra Antiochum auxilium tulerat, filius eius PERSEUS in Macedonia rebellavit, ingentibus copiis ad bellum paratis. Nam adiutores habebat Cotyn, Thraciae regem, et Illyrici, Gentium nomine. Romanis autem in auxilium erant Eumenes, Asiae rex, Ariarathes Cappadociae, Antiochus Syriae, Ptolemaeus Aegypti, Masinissa Numidiae. Prusias autem Bithyniae, quamquam sororem Persei uxorem haberet, utrisque se aequum praebuit. Dux Romanorum P. Licinius cos. contra eum missus est, et a rege gravi proelio victus. A. U. 581 Neque tamen Romani, quamquam superati, regi petenti pacem praestare voluerunt, nisi his conditionibus: *ut se et suos senatui et populo Rom. dederet.* Mox missus contra eum L. Aemilius Paullus cos. et in Illyricum C. Anicius praetor contra Gentium. A. U. 584 Sed Gentius facile uno proelio victus, mox se dedidit. Mater eius, et uxor, et duo filii, frater quoque simul in potestatem Romanorum venerunt. Ita bello intra XXX dies perfecto, ante cognitum est Gentium victum, quam coeptum bellum nuntiaretur.

Cap. VII. (IV.) Cum Perseo autem Aemilius Paullus cos. III Non. Septembris dimicavit, vicitque eum, XX millibus peditum eius occisis. Equitatus cum rege fugit integer; Romanorum C milites amissi sunt; urbes Macedoniae omnes, quas rex tenuerat, Romanis se dediderunt. Ipse rex, cum desereretur ab amicis, venit in Paulli potestatem. Sed honorem ei Aemilius, non quasi victo, habuit.

Nam et volentem ad pedes sibi cadere, non permisit, et iuxta se in sella collocavit. Macedonibus et Illyriis hae leges a Romanis datae: *ut liberi essent, et dimidium eorum tributorum praestarent, quae regibus praestitissent*; ut appareret, populum Rom. pro aequitate magis, quam avaritia dimicare. Atque in conventu infinitorum populorum Paullus haec pronunciavit; et legationes multarum gentium, quae ad eum venerant, magnificentissime convivio pavit, dicens: *eiusdem hominis esse debere, et bello vincere, et convivii apparatu elegantem esse.*

Cap. VIII. Mox LXX civitates Epiri, quae rebellarant, cepit; praedam militibus distribuit; Romam cum ingenti pompa rediit in nave Persei, quae inusitatae magnitudinis fuisse traditur, adeo
A. U. ut XVI ordines dicatur habuisse remorum. Trium-
585 phavit autem magnificentissime in curru aureo, cum duobus filiis, utroque latere adstantibus. Ducti sunt ante currum duo regis filii, et ipse Perseus,
A. U. XLV annos natus. Post eum etiam C. Anicius de
586 Illyriis triumphavit. Gentius cum fratre et filiis ante currum ductus est. Ad hoc spectaculum multarum gentium reges Romam venerunt; inter alios etiam venit Attalus atque Eumenes, Asiae reges; atque Prusias Bithyniae. Magno honore accepti sunt, et, permittente senatu, dona, quae attulerant, in Capitolio posuerunt. Prusias etiam filium suum Nicomedem senatui commendavit.

Cap. IX. Insequenti anno L. Mummius in Hispania bene pugnavit. Marcellus postea consul res ibidem prospere gessit.

Cap. X. (V.) TERTIUM deinde BELLUM CONTRA CARTHAGINEM suscipitur, sexcentesi-
A. U. mo et altero anno ab urbe condita, L. Manlio Cen-
603 sorino, et M. Manlio coss. anno LI post, quam

secundum Punicum bellum transactum erat. Hi profecti Carthaginem oppugnaverunt. Contra eos Hasdrubal, dux Carthaginiensium, dimicabat. Phamea, dux alius, equitatui praeerat Carthaginiensium. Scipio tunc, Scipionis Africani nepos, tribunus ibi militabat. Huius apud omnes ingens metus et reverentia erat. Nam et paratissimus ad dimicandum et consultissimus habebatur. Itaque per eum multa prospere a coss. gesta sunt. Nec quidquam magis vel Hasdrubal vel Phamea vitabant, quam contra eam Romanorum partem committere, ubi Scipio dimicabat.

Cap. XI. Per idem tempus Masinissa, rex Numidarum, per annos sexaginta fere amicus populi Romani, anno vitae XCVII mortuus, XLIV filiis relictis, Scipionem divisorem regni inter filios esse iussit. A. U. 604

Cap. XII. Cum igitur clarum Scipionis nomen esset, iuvenis adhuc cos. est factus, et contra Carthaginem missus. Is eam cepit ac diruit. Spolia ibi inventa, quae variarum civitatum excidiis Carthago collegerat; et ornamenta urbium civitatibus Siciliae, Italiae, Africae reddidit, quae sua recognoscebant. Ita Carthago septingentesimo anno, quam condita erat, deleta est. Scipio nomen, quod avus eius acceperat, meruit; scilicet, ut propter virtutem etiam ipse Africanus iunior vocaretur. A. U. 605 A. U. 606

Cap. XIII. (VI.) Interim in Macedonia quidam PSEUDOPHILIPPUS arma movit, et Romanum praetorem, P. Iuventium, contra se missum, ad internecionem vicit. Post eum Q. Caecilius Metellus dux a Romanis contra Pseudophilippum missus est, et XXV millibus ex militibus eius occisis, Macedoniam recepit; ipsum etiam Pseudophilippum in potestatem suam redegit.

Cap. XIV. CORINTHIIS quoque bellum indictum est, nobilissimae Graeciae civitati, propter iniuriam legatorum Romanorum. Hanc Mummius consul cepit ac diruit. Tres igitur Romae simul celeberrimi triumphi fuerunt: Africani, ex Africa; ante cuius currum ductus est Hasdrubal: Metelli, ex Macedonia; cuius currum praecessit Andriscus, qui et Pseudophilippus: Mummii, ex Corintho; ante quem signa aenea, et pictae tabulae, et alia urbis clarissimae ornamenta praelata sunt.

A. U. 606

Cap. XV. (VII.) Iterum in Macedonia PSEUDOPERSEUS, qui se Persei filium esse dicebat, collectis servitiis, rebellavit; et, cum sexdecim armatorum millia haberet, a Tremellio quaestore superatus est.

A. U. 610

Cap. XVI. Eodem tempore Metellus in Celtiberia apud Hispanos res egregias gessit. Successit ei Q. Pompeius. Nec multo post Q. quoque Caepio ad idem bellum missus est; quod quidam VIRIATHUS contra Romanos in Lusitania gerebat. Quo metu Viriathus a suis interfectus est, cum quatuordecim annis Hispanias adversum Romanos movisset. Pastor primo fuit; mox latronum dux; postremo tantos ad bellum populos concitavit, ut assertor contra Romanos Hispaniae putaretur. Et cum interfectores eius praemium a Caepione consule peterent, responsum est, *nunquam Romanis placuisse, imperatorem a suis militibus interfici.*

A. U. 610
A. U. 611

Cap. XVII. (VIII.) Q. Pompeius deinde consul a NUMANTINIS, quae Hispaniae civitas fuit opulentissima, superatus, pacem ignobilem fecit. Post eum C. Hostilius Mancinus cos. iterum cum Numantinis pacem fecit infamem; quam populus et senatus iussit infringi, atque ipsum Mancinum hostibus tradi, ut in illo, quem auctorem foederis habebant, iniuriam soluti foederis vindicarent. Post

A. U. 611
A. U. 615

tantam igitur ignominiam, qua a Numantinis bis
Romani exercitus fuerant subiugati, P. Scipio Afri-
canus, secundo consul factus, ad Numantiam mis- A. U.
sus est. Is primum militem vitiosum et ignavum, 618
exercendo magis, quam puniendo, sine aliqua acer-
bitate correxit. Tum multas Hispaniae civitates
partim bello cepit, partim in deditionem accepit.
Postremo ipsam Numantiam, diu obsessam, fame
confecit, et a solo evertit; reliquam provinciam
in fidem accepit.

Cap. XVIII. Eo tempore Attalus rex Asiae,
frater Eumenis, mortuus est, heredemque populum
Romanum reliquit. Ita imperio Romano per testa-
mentum Asia accessit.

Cap. XIX. Mox etiam Decimus Iunius Brutus A. U.
de Callaecis et Lusitanis triumphavit magna gloria: 620
et P. Scipio Africanus de Numantinis secundum
triumphum egit XIV anno post, quam priorem de
Africa egerat.

Cap. XX. Motum interim in Asia bellum est
ab ARISTONICO, Eumenis filio, qui ex concubina
susceptus fuerat. Is Eumenes frater Attali fuerat.
Adversus eum missus Pontifex P. Licinius Cras- A. U.
sus, infinita regum habuit auxilia. Nam et Bithy- 621
niae rex Nicomedes Romanos iuvit, et Mithridates
Ponticus, cum quo bellum postea gravissimum fuit,
et Ariarathes Cappadox, et Pylaemenes Paphlagon.
Victus est tamen Crassus in proelio et interfectus;
caput eius Aristonico oblatum est, corpus Smyrnae
sepultum. Postea Perperna, consul Romanus, qui A. U.
successor Crasso veniebat, audita belli fortuna, ad 622
Asiam celeravit, et acie victum Aristonicum apud
Stratonicen civitatem, quo fugerat, fame ad dedi-
tionem compulit. Aristonicus iussu senatus Romae
in carcere strangulatus est: triumphari enim de eo

non poterat, quia Perperna apud Pergamum, Romam rediens, diem obierat.

A. U. 627 Cap. XXI. L. Caecilio Metello et T. Quinctio Flaminino coss. Carthago in Africa iussu senatus reparata est, quae nunc manet; annis duobus et viginti post, quam a Scipione fuerat eversa. Deducti eo sunt cives Romani.

A. U. 628 Cap. XXII. (X.) Anno DCXXVII ab urbe condita, C. Cassius Longinus et Sex. Domitius Calvinus, consules, GALLIS TRANSALPINIS bellum intulerunt, et Arvernorum tunc nobilissimae civitati, atque eorum duci Bituito, infinitamque multitudinem iuxta Rhodanum fluvium interfecerunt. Praeda ex torquibus Gallorum ingens Romam perlata est. Bituitus se Domitio dedidit, atque ab eo Romam deductus est, magnaque gloria consules ambo triumphaverunt.

A. U. 633

A. U. 634 Cap. XXIII. M. Porcio Catone et Q. Marcio Rege coss. DCXXXIII anno ab urbe condita Narbona in Gallia colonia deducta est. Postea L. Metello et Q. Mucio Scaevola coss. de Dalmatia triumphatum est.

A. U. 635

A. U. 638 Cap. XXIV. Ab urbe condita anno DCXXXV C. Cato consul Scordiscis intulit bellum, ignominioseque pugnavit.

A. U. 639 Cap. XXV. C. Caecilio Metello et Cn. Carbone coss. duo Metelli fratres eodem die, alterum ex Sardinia, alterum ex Thracia triumphum egerunt; nuntiatumque Romae est, Cimbros e Gallia in Italiam transisse.

A. U. 641 Cap. XXVI. (XI.) P. Scipione Nasica et L. Calpurnio Bestia coss. IUGURTHAE, Numidarum regi, bellum illatum est, quod Adherbalem et Hiempsalem, Micipsae filios, fratres suos, reges et P. R. amicos interemisset. Missus adversus eum cos. Calpurnius Bestia, corruptus regis pecunia,

pacem cum eo flagitiosissimam fecit, quae a senatu improbata est. Postea contra eundem, insequen- A. U.
ti anno, Spurius Postumius Albinus profectus est. 642
Is quoque per fratrem ignominiose contra Numidas pugnavit.

Cap. XXVII. Tertio missus Q. Caecilius Me- A. U.
tellus consul, exercitum ingenti severitate et mode- 643
ratione correctum, cum nihil in quenquam cruentum faceret, ad disciplinam Romanam reduxit. Iugurtham variis proeliis vicit, elephantos eius occidit, vel cepit, multas civitates ipsius in deditionem accepit. Et cum iam bello finem positurus esset, successum est ei a C. Mario. Is Iugurtham et Bocchum, Mauritaniae regem, qui auxilium Iugurthae ferre coeperat, pariter superavit. Aliquanta et ipse oppida Numidiae cepit, belloque terminum posuit, capto Iugurtha per quaestorem suum Cornelium Sullam, ingentem virum, tradente Bocche Iugurtham, qui pro eo ante pugnaverat. A M. A. U.
Iunio Silano, collega Q. Metelli, Cimbri in Gallia; 643
et a Minucio Rufo in Macedonia Scordisci et Tri- A. U.
balli; et a Servilio Caepione in Hispania Lusitani 644
victi sunt; et duo triumphi de Iugurtha, primus A. U.
per Metellum, secundus per Marium acti sunt. An- 645
te currum tamen Marii Iugurtha cum duobus filiis ductus est catenatus, et mox iussu consulis in carcere strangulatus.

# LIBER QUINTUS.

## *ARGUMENTUM.*

*1. 2. Bellum Cimbricum, sociis Germanorum et Gallorum gentibus, post magnam cladem compressum. 3. Bellum sociale in Italia summo rerum discrimine gestum. 4. Bellum civile primum, seu Marianum. 5 - 9. Bellum Mithridaticum, cui interponitur Thracium, et Mariani continuatio et finis.*

## Cap. I.

Dum bellum in Numidia contra Iugurtham geritur, Romani consules M. Manlius et Q. Caepio a Cimbris et Teutonibus, et Tigurinis, et Ambronibus, quae erant Germanorum et Gallorum gentes, victi sunt iuxta flumen Rhodanum; et ingenti internecione attriti, etiam castra sua et magnam partem exercitus perdiderunt. Timor Romae grandis fuit, quantus vix Hannibalis tempore Punici belli, ne iterum Galli Romam venirent. Ergo Marius post victoriam Iugurthinam secundo cos. est factus, bellumque ei contra Cimbros et Teutonas decretum est. Tertio quoque ei et quarto delatus est consulatus: quia bellum Cimbricum protrahebatur. Sed in quarto consulatu collegam habuit Q. Lutatium Catulum. Cum Cimbris itaque conflixit, et duobus proeliis cc millia hostium cecidit. LXXX millia cepit, et ducem eorum Teutobodum; propter quod meritum absens quinto cos. est factus.

Cap. II. Interea Cimbri et Teutones, quorum copia adhuc infinita erat, ad Italiam transierunt. Iterum a C. Mario et Q. Catulo contra eos dimicatum est; sed a Catuli parte felicius. Nam proelio, quod simul ambo gesserunt, CXL millia, aut in pugna, aut in fuga, caesa sunt; LX millia capta. Romani milites ex utroque exercitu trecenti perierunt. Tria et triginta Cimbris signa sublata sunt. Ex his exercitus Marii duo reportavit, Catuli exercitus XXX et unum. Is belli finis fuit; triumphus utrique decretus est.

Cap. III. (II.) Sex. Iulio Caesare et L. Mar- A. U.
cio Philippo coss. sexcentesimo quinquagesimo 661
nono anno ab urbe condita, cum prope alia omnia bella cessarent, in Italia gravissimum bellum Picentes, Marsi, Pelignique moverunt; qui, cum annis numerosis iam populo Romano obedirent, tum libertatem sibi aequam asserere coeperunt. Perni-
ciosum admodum hoc bellum fuit. P. Rutilius con- A. U.
sul in eo occisus est, Caepio, nobilis iuvenis, et 662
Porcius Cato, alius cos. Duces autem adversus A. U.
Romanos Picentibus et Marsis fuerunt T. Vettius, 663
Hierius Asinius, T. Herennius, A. Cluentius. A Romanis bene contra eos pugnatum est a C. Mario, qui sexies consul fuerat, et a Cn. Pompeio, maxime tamen a L. Cornelio Sulla, qui inter alia egregia ita Cluentium, hostium ducem, cum magnis copiis fudit, ut ex suis unum amitteret. Quadriennio, cum gravi tamen calamitate, hoc bellum tractum est. Quinto demum anno finem accepit per L. Cornelium Sullam consulem, cum antea in eodem bello ipse multa strenue, sed praetor egisset.

Cap. IV. (III.) Anno urbis conditae DCLXII A. U.
primum Romae bellum CIVILE commotum est: 664
eodem anno etiam Mithridaticum. Causam bello civili C. Marius sexies cos. dedit. Nam cum Sulla

consul contra Mithridatem gesturus bellum, qui Asiam et Achaiam occupaverat, mitteretur, isque exercitum in Campania paullisper teneret, ut belli Socialis, (de quo diximus) quod intra Italiam gestum fuerat, reliquiae tollerentur; Marius affectavit, ut ipse ad bellum Mithridaticum mitteretur. Qua re Sulla commotus, cum exercitu ad urbem venit. Illic contra Marium et Sulpicium dimicavit. Primus urbem Romam armatus ingressus est, Sulpicium interfecit, Marium fugavit, atque ita COSS.
A. U. ordinatis in futurum annum, Cn. Octavio et L.
665 Cornelio Cinna, ad Asiam profectus est.

Cap. V. Mithridates enim, qui Ponti rex erat, atque Armeniam minorem et totum Ponticum mare in circuitu cum Bosporo tenebat, primo Nicomedem, amicum populi Romani, Bithynia voluit expellere, senatuique mandavit, bellum se ei propter iniurias, quas passus fuerat, illaturum. A senatu responsum est Mithridati; si id faceret, quod bellum a Romanis et ipse pateretur. Quare iratus Cappadociam statim occupavit, et ex ea Ariobarzanem, regem et amicum populi Romani, fugavit. Mox etiam Bithyniam invasit et Paphlagoniam, pulsis ex ea regibus, amicis populi Romani, Pylaemene et Nicomede. Inde Ephesum contendit, et per omnem Asiam literas misit, ut, ubicunque inventi essent cives Romani, uno die occiderentur.

Cap. VI. Interea etiam Athenae, civitas Achaiae, ab Aristione Atheniensi Mithridati tradita est. Miserat enim iam ad Achaiam Mithridates Archelaum, ducem suum, cum centum et viginti millibus equitum ac peditum, per quem etiam reliqua Graecia occupata est. (IV.) Sulla Archelaum apud Piraeeum, non longe ab Athenis, obsedit, ipsamque urbem cepit; postea commisso proelio contra Archelaum, ita eum vicit, ut ex

cxx millibus vix decem Archelao superessent, ex Sullae exercitu xiv tantum homines interficerentur. Hac pugna Mithridates cognita, lxx millia lectissima ex Asia Archelao misit, contra quem Sulla iterum commisit. Primo proelio xv millia hostium interfecta sunt, filiusque Archelai Diogenes; secundo omnes Mithridatis copiae exstinctae sunt. Archelaus ipse triduo nudus in paludibus latuit. Hac re audita, Mithridates cum Sulla de pace agi iussit.

Cap. VII. Interim eo tempore Sulla etiam Dardanos, Scordiscos, Dalmatas, et Maedos partim vicit, alios in fidem accepit. Sed cum legati a rege Mithridate, qui pacem petebant, venissent, non aliter se daturum Sulla esse respondit, nisi rex, relictis his, quae occupaverat, ad regnum suum rediisset. Postea tamen ad colloquium ambo venerunt; pax inter eos ordinata est, ut Sulla, A. U.
ad bellum civile festinans, a tergo periculum non 668
haberet. (V.) Nam dum Sulla in Achaia atque Asia Mithridatem vincit, Marius, qui fugatus erat, A. U.
et Cornelius Cinna, unus ex consulibus, bellum 665
in Italia repararunt, et ingressi urbem Romam, nobilissimos ex senatu et consulares viros interfecerunt; multos proscripserunt; ipsius Sullae domo eversa, filios et uxorem ad fugam compulerunt. Universus reliquus senatus ex urbe fugiens, ad Sullam in Graeciam venit, orans, ut patriae subveniret. Ille in Italiam traiecit, bellum civile gesturus adversus Norbanum et Scipionem coss. Et primo proelio contra Norbanum dimicavit non A. U.
longe a Capua. Tum vii millia eius cecidit, vi 669
millia cepit, cxxiv suorum amisit. Inde etiam ad Scipionem se convertit, et ante proelium totum eius exercitum sine sanguine in deditionem accepit.

Cap. VIII. Sed cum Romae mutati consules
A. U. essent, Marius, Marii filius, ac Papirius Carbo
670 consulatum accepissent, Sulla contra Marium iuniorem dimicavit, et, xx millibus eius occisis, cccc de suis perdidit. Mox etiam urbem ingressus est. Marium, Marii filium, Praenestem persecutus, obsedit, et ad mortem compulit. Rursus pugnam gravissimam habuit contra Lambonium et Carinatem, duces partis Marianae, ad portam Collinam. LXX millia hostium in proelio contra Sullam fuisse dicuntur; XII millia se Sullae dediderunt, ceteri in acie, in castris, in fuga, insatiabili ira victoris consumti sunt. (VI.) Cn. quoque Carbo, cos. alter, ab Arimino ad Siciliam fugit, et ibi per Cn. Pompeium interfectus est; quem adolescentem Sulla atque annos unum et viginti natum, cognita eius industria, traditis exercitibus praefecerat, ut secundus a Sulla haberetur.

Cap. IX. Occiso ergo Carbone Siciliam Pompeius recepit. Transgressus inde ad Africam, Domitium, Marianae partis ducem, et Hiarbam, regem Mauritaniae, qui Domitio auxilium ferebat,
A. U. occidit. Post haec Sulla de Mithridate ingenti
672 gloria triumphavit. Cn. etiam Pompeius, quod nulli Romanorum tributum erat, quartum et xx
A. U. annum agens, de Africa triumphavit. Hunc finem
673 habuerunt duo bella funestissima; Italicum, quod et Sociale dictum est, et civile, quae ambo tracta sunt per annos decem. Consumserunt ultra CL millia hominum; viros consulares XXIV, praetorios VII, aedilitios LX, senatores fere CC.

# LIBER SEXTUS.

## ARGUMENTUM.

1. *Bellum Sertorianum in Hispania, eius auctore a suis occiso, finitum.* 2. *Bellum in Macedonia et conterminis regionibus et triumphus Scribonii Curionis inde actus.* 3. *Servilii Isaurici, qui et primus Taurum penetravit, de Cilicia, Lycia et Isauria victoriae et triumphus.* 4. *Bellum in Illyrico et Dalmatia a Cosconio prospere gestum.* 5. *Lepidi, consulis, motus civiles oppressi, et triumphi aliquorum ducum.* 6. *Nicomedes, Bithyniae rex, moriens Romanos facit heredes. Sequuntur varia bella, veluti Mithridaticum tertium;* 7. *servile a Spartaco concitatum et post multas calamitates a Licinio Crasso tertio anno compositum;* 8. *Mithridatici, Tigranis, Armeniae regis, auxilio confirmati continuatio et* 9. *fortuna secunda;* 10. *contra Thracas et Danubii accolas; Luculli utriusque, qui duces fuerant, triumphi;* 11. *Creticum, subacta insula, a Metello confectum. Apion populum Romanum heredem constituit;* 12. *piraticum Pompeio; Mithridaticum eodem duce profligatum.* 13. 14. *Res a Pompeio contra Tigranem aliosque Asiae reges et populos gestae, et regnorum consecuta inde conversio.* 15. *Bellum Catilinarium.* 16. *Metelli et Pompeii triumphi.* 17. *Iulii Caesaris bellum Gallicum.* 18. *Crassi Parthicum cum eius nece et exercitus clade gestum.* 19. *Bellum civile inter Cae-*

*sarem et Pompeium, eius variae vices, Pompeio victo et occiso aucta Caesaris potentia, et occisio.*

Cap. I.

A. U. 674 Marco Aemilio Lepido, Q. Catulo consulibus, cum Sulla rempublicam composuisset, bella nova exarserunt: unum in Hispania; aliud in Pamphylia et Cilicia; tertium in Macedonia; quartum in Dalmatia. Nam SERTORIUS, qui partium Marianarum fuerat, timens fortunam ceterorum, qui interemti erant, ad bellum commovit Hispanias. Missi sunt contra eum duces Q. Caecilius Metellus, filius eius, qui Iugurtham regem vicit, et L. Domitius, praetor. A Sertorii duce Hirtuleio Domitius occisus; Metellus vario successu contra Sertorium dimicavit. Postea cum impar pugnae solus Metellus putaretur, Cn. Pompeius ad Hispanias missus est. Ita duobus ducibus adversis Sertorius fortuna varia saepe pugnavit. A. U. 680 Octavo demum anno a suis occisus est, et finis ei bello datus per Cn. Pompeium adolescentem et Q. Metellum Pium; atque omnes prope Hispaniae in ditionem populi Romani redactae sunt.

A. U. 674 Cap. II. Ad Macedoniam missus est Appius Claudius. Post consulatum levia proelia habuit contra varias gentes, quae Rhodopam provinciam incolebant; A. U. 677 atque ibi morbo mortuus est. Missus ei successor C. Scribonius Curio post consulatum. Is Dardanos vicit, et usque ad Danubium penetravit; A. U. 681 triumphumque meruit, et intra triennium finem bello dedit.

Cap. III. Ad Ciliciam et Pamphyliam missus A. U. 674 est P. Servilius ex consule, vir strenuus. Is Ciliciam subegit, Lyciae urbes clarissimas oppugnavit et cepit, in his Phaselidem, Olympum, Corycum Ciliciae. Isauros quoque aggressus ad deditionem

redegit, atque intra triennium bello finem dedit. Primus omnium Romanorum in Tauro iter fecit. Revertens triumphum accepit, et nomen *Isaurici* meruit.

Cap. IV. Ad Illyricum missus est C. Cosconius pro consule: multam partem Dalmatiae subegit, Salonas cepit, et composito bello Romam post biennium rediit.

Cap. V. (IV.) Iisdem temporibus consul M. Aemilius Lepidus, Catuli collega, bellum civile voluit commovere; intra tamen unam aestatem motus eius oppressus est. Ita uno tempore multi simul triumphi fuerunt: Metelli ex Hispania, Pompeii secundus ex Hispania, Curionis ex Macedonia, Servilii ex Isauria. A. U. 674

Cap. VI. (V.) Anno urbis conditae DCLXXVI. L. Licinio Lucullo, et M. Aurelio Cotta coss. mortuus est Nicomedes, rex Bithyniae, et testamento populum Romanum fecit heredem. Mithridates, pace rupta, Bithyniam et Asiam rursus voluit invadere. Adversus eum ambo consules missi, variam habuere fortunam. Cotta apud Chalcedonem victus ab eo acie, etiam intra oppidum coactus est et obsessus. Sed cum se inde Mithridates Cyzicum transtulisset, ut Cyzico capta totam Asiam invaderet, Lucullus ei alter consul occurrit: ac dum Mithridates in obsidione Cyzici commoratur, ipse eum a tergo obsedit, fameque consumsit, et multis proeliis vicit; postremo Byzantium (quae nunc Constantinopolis est) fugavit, navali quoque proelio duces eius Lucullus oppressit. Ita una hieme et aestate a Lucullo centum fere millia regis extincta sunt. A. U. 678

Cap. VII. (VI.) Anno urbis Romae DCLXXVIII Macedoniam provinciam M. Licinius Lucullus accepit, consobrinus Luculli, qui contra Mithridaten A. U. 680

A. U. bellum gerebat. Et in Italia novum bellum subito
679 commotum est. Septuaginta enim quatuor gladia-
tores, ducibus Spartaco, Crixo et Oenomao, effra-
cto Capuae ludo, effugerunt, et per Italiam vagan-
tes, paene non levius bellum in ea, quam Hanni-
bal moverat, paraverunt. Nam multis ducibus, et
A. U. duobus simul Romanorum consulibus victis, sexa-
680 ginta fere millium armatorum exercitum congre-
gaverunt; victique sunt in Apulia a M. Licinio
A. U. Crasso proconsule, et post multas calamitates Ita-
681 liae, tertio anno, bello huic finis impositus.

A. U. Cap. VIII. (VII.) Sexcentesimo octogesimo
681 primo urbis conditae anno, P. Cornelio Lentulo,
et Cn. Aufidio Oreste, coss. duo tantum gravia
bella in imperio Romano erant, Mithridaticum et
Macedonicum. Haec duo Luculli agebant, L. Lu-
cullus et M. Lucullus. L. ergo Lucullus post pu-
gnam Cyzicenam, qua vicerat Mithridaten, et na-
valem, qua duces eius oppresserat, persecutus est
eum, et, recepta Paphlagonia atque Bithynia, etiam
regnum eius invasit: Sinopen et Amison, civitates
Ponti nobilissimas, cepit. Secundo proelio apud
Cabira civitatem, quo ingentes copias ex omni
regno adduxerat Mithridates, cum xxx millia le-
ctissima regis a quinque millibus Romanorum va-
stata essent, Mithridates fugatus est, et castra
eius direpta. Armenia quoque minor, quam tenue-
rat, eidem sublata est. Susceptus tamen est Mi-
thridates post fugam a Tigrane, Armeniae rege,
qui tunc ingenti gloria imperabat. Persas saepe
vicerat, Mesopotamiam occupaverat, et Syriam,
et Phoenices partem.

Cap. IX. Ergo Lucullus, repetens hostem fu-
gatum, etiam regnum Tigranis, qui Armeniis impe-
A. U. rabat, ingressus est: Tigranocerta, civitatem Arme-
683 niae nobilissimam regni Armeniaci, cepit: ipsum

regem cum sexcentis millibus clibanariorum, et centum millibus sagittariorum et armatorum venientem, XVII millia militum habens, ita vicit, ut magnam partem Armeniorum deleverit. Inde Nisi- A. U.
bin profectus, eam quoque civitatem cum regis 684
fratre cepit. Sed hi, quos in Ponto Lucullus reliquerat, cum exercitus parte, ut regiones victas etiam Romanorum tuerentur, negligenter se et avare agentes, occasionem iterum Mithridati in Pontum irrumpendi dederunt, atque ita bellum renovatum est. Lucullo paranti, capta Nisibi, con- A. U.
tra Persas expeditionem, successor est missus. 685

Cap. X. (VIII.) Alter autem Lucullus, qui Macedoniam administrabat, Bessis primus Romanorum intulit bellum, atque eos ingenti proelio in Haemo monte superavit: oppidum Uscudamam, quod Bessi habitabant, eodem die, quo aggressus est, vicit; Cabylen cepit; usque Danubium penetravit. Inde multas supra Pontum positas civitates A.
aggressus est. Illic Apolloniam evertit; Calatin, Parthenopolin, Tomos, Histrum, Burziaonem cepit, belloque confecto, Romam rediit. Ambo tamen triumphaverunt: Lucullus, qui contra Mithridaten pugnaverat, maiori gloria, cum tantorum regnorum victor redisset.

Cap. XI. (IX.) Confecto bello Macedonico, manente Mithridatico, quod, recedente Lucullo, rex collectis auxiliis reparaverat, bellum CRETICUM ortum est. Ad id missus Caecilius Metellus, A. U.
ingentibus proeliis intra triennium omnem provin- 683
ciam cepit, appellatusque est Creticus, atque ex ea insula triumphavit. Quo tempore Libya quoque A. U.
Romano imperio per testamentum Apionis, qui rex 656
eius fuerat, accessit; in qua inclutae civitates erant, Berenice, Ptolemais et Cyrene.

Cap. XII. (X.) Dum haec geruntur, PIRA-

tae omnia maria infestabant ita, ut Romanis, toto orbe victoribus, sola navigatio tuta non esset.
A. U. Quare id bellum Cn. Pompeio decretum est; quod
685 intra paucos menses, ingenti et felicitate et celeri-
A. U. tate confecit. Mox ei delatum bellum etiam con-
686 tra regem Mithridaten et Tigranen: quo suscepto, Mithridaten in Armenia minore nocturno proelio vicit, castra diripuit: quadraginta millibus eius occisis, viginti tantum de exercitu suo perdidit, et duos centuriones. Mithridates cum uxore fugit, et duobus comitibus. Neque multo post, cum in suos saeviret, Pharnacis, filii sui, apud milites se-
A. U. ditione, ad mortem coactus, venenum hausit.
688 Hunc finem habuit Mithridates. Periit autem apud Bosporum, vir ingentis industriae consiliique. Regnavit annis sexaginta, vixit septuaginta duobus; contra Romanos bellum habuit annis quadraginta.

A. U. Cap. XIII. (XI.) Tigrani deinde Pompeius
686 bellum intulit. Ille se ei dedit, et in castra Pompeii sexto decimo milliario ab Artaxata venit, ac diadema suum, cum procubuisset ad genua Pompeii, in manibus ipsi collocavit; quod ei Pompeius reposuit, honorificeque eum habitum, regni tamen parte multavit, et grandi pecunia. Ademta est ei Syria, Phoenice, Sophene: sex millia praeterea talentorum argenti, quae populo Romano daret, quia bellum sine causa Romanis commovisset.

Cap. XIV. Pompeius mox etiam Albanis bellum intulit, et eorum regem Oroden ter vicit; postremo per epistolas et munera rogatus, veniam ei ac pacem dedit. Iberiae quoque regem Artocen vicit acie, et in deditionem accepit. Armeniam minorem Deiotaro, Galatiae regi, donavit, quia socius belli Mithridatici fuerat. Attalo et Pylaemeni Paphlagoniam reddidit; Aristarchum Colchis re-

gem imposuit. Mox Ituraeos et Arabas vicit; et
cum venisset in Syriam, Seleuciam, vicinam Antio-
chiae civitatem, libertate donavit, quod regem Ti-
granem non recepisset. Antiochensibus obsides
reddidit: aliquantum agrorum Daphnensibus de-
dit, quo lucus ibi spatiosior fieret, delectatus amoe-
nitate loci, et aquarum abundantia. Inde ad Iudae- A. U.
am transgressus, Hierosolyma, caput gentis, ter- 689
tio mense cepit, duodecim millibus Iudaeorum occi-
sis, ceteris in fidem acceptis.* His gestis, in Asiam
se recepit et finem antiquissimo bello dedit.

Cap. XV. (XII.) M. Tullio Cicerone orato-
re, et C. Antonio coss. anno ab urbe condita
DCLXXXIX. L. Sergius Catilina, nobilissimi gene- A. U.
ris vir, sed ingenii pravissimi, ad delendam pa- 689
triam coniuravit cum quibusdam, claris quidem,
sed audacibus viris. A Cicerone urbe expulsus est:
socii eius deprehensi, in carcere strangulati sunt.
Ab Antonio, altero consule, Catilina ipse proelio A. U.
victus est et interfectus. 690

Cap. XVI. (XIII.) Sexcentesimo nonagesimo A. U.
anno ab urbe condita D. Iunio Silano, et L. Mure- 690
na coss. Metellus de Creta triumphavit; Pom- A. U.
peius de bello Piratico et Mithridatico. Nulla un- 691
quam pompa triumphi similis fuit. Ducti sunt
ante eius currum filii Mithridatis, filius Tigranis,
et Aristobulus, rex Iudaeorum: praelata est ingens
pecunia, auri atque argenti infinitum. Hoc tem-
pore nullum per orbem terrarum grave bellum
erat.

Cap. XVII. (XIV.) Anno urbis conditae A. U.
DCXCIII. C. Iulius Caesar, qui postea imperavit, 693
cum L. Bibulo consul est factus. Decreta est ei
Gallia et Illyricum, cum legionibus decem. Is pri-
mo vicit Helvetios, qui nunc Sequani appellantur.
Deinde vincendo per bella gravissima usque ad

Oceanum Britannicum processit. Domuit autem annis novem fere omnem Galliam, quae inter Alpes, flumen Rhodanum, Rhenum et Oceanum est, et circuitu patet ad bis et tricies centena millia
A. U. passuum. Britannis mox bellum intulit, quibus
698 ante eum ne nomen quidem Romanorum cognitum erat; et eos quoque victos, obsidibus acceptis, stipendiarios fecit. Galliae autem tributi nomine annuum imperavit sestertium quadringenties, Germanosque trans Rhenum aggressus, immanissimis proeliis vicit. Inter tot successus ter male pugnavit: apud Arvernos semel praesens, et absens in Germania bis. Nam legati eius duo, Titurius et Aurunculeius, per insidias caesi sunt.

Cap. XVIII. (XV.) Circa eadem tempora, an-
A. U. no urbis conditae DCXCVII, M. Licinius Crassus,
697 collega Cn. Pompeii Magni in consulatu secundo,
A. U. contra Parthos missus est, et cum circa Carras con-
699 tra omina et auspicia dimicasset, a Surena, Orodis regis duce, victus, ad prostremum interfectus est cum filio, clarissimo et praestantissimo iuvene. Reliquiae exercitus per C. Cassium quaestorem servatae sunt, qui singulari animo perditas res tanta virtute restituit, ut Persas, rediens trans Euphratem, crebris proeliis vinceret.

Cap. XIX. (XVI.) Hinc iam bellum civile successit exsecrandum et lacrymabile, quo, praeter calamitates, quae in proeliis acciderunt, etiam Populi Romani fortuna mutata est. Caesar enim, rediens ex Gallia victor, coepit poscere alterum consulatum, atque ita, ut sine dubietate ei aliqua deferretur. Contradictum est a Marcello cos. a
A. U. Bibulo, a Pompeio, a Catone, iussusque dimissis
703 exercitibus ad urbem redire. Propter quam iniuriam ab Arimino, ubi milites congregatos habebat, adversum patriam cum exercitu venit. Consules

cum Pompeio, senatusque omnis atque universa nobilitas ex urbe fugit, et in Graeciam transiit; apud Epirum, Macedoniam, Achaiam, Pompeio duce, senatus contra Caesarem bellum paravit.

Cap. XX. Caesar, vacuam urbem ingressus, A. U.
dictatorem se fecit. Inde Hispanias petiit. Ibi 703
Pompeii exercitus validissimos et fortissimos cum tribus ducibus, L. Afranio, M. Petreio, M. Varrone, superavit. Inde regressus, in Graeciam transiit, adversum Pompeium dimicavit. Primo proelio victus est et fugatus; evasit tamen, quia nocte interveniente Pompeius sequi noluit; dixitque Caesar, *nec Pompeium scire vincere, et illo tantum die se potuisse superari.* Deinde in Thessalia apud Palaeopharsalum, productis utrimque ingentibus copiis, dimicaverunt. Pompeii acies habuit XL millia peditum, equites in sinistro cornu sexcentos, in dextro quingentos; praeterea totius Orientis auxilia, totam nobilitatem, innumeros senatores, praetorios, consulares, et qui magnorum iam populorum victores fuissent. Caesar in acie sua habuit peditum non integra XXX millia, equites mille.

Cap. XXI. Nunquam adhuc Romanae copiae in unum, neque maiores, neque melioribus ducibus, convenerant, totum terrarum orbem facile subacturae, si contra barbaros ducerentur. Pugnatum tamen est ingenti contentione, victusque ad postremum Pompeius, et castra eius direpta sunt. Ipse fugatus Alexandriam petiit, ut a rege Aegypti, cui tutor a senatu datus fuerat propter iuvenilem eius aetatem, acciperet auxilia; qui fortunam magis, quam amicitiam secutus, occidit Pom- A. U.
peium; caput eius et anulum Caesari misit. Quo 704
conspecto, Caesar etiam lacrimas fudisse dicitur, tanti viri intuens caput, et generi quondam sui.

Cap. XXII. (XVII.) Mox Caesar Alexandriam

venit. Ipsi quoque Ptolemaeus parare voluit insidias; qua causa regi bellum illatum est. Victus in Nilo periit, inventumque est corpus eius cum lorica aurea. Caesar Alexandria potitus, regnum Cleopatrae dedit, Ptolemaei sorori, cum qua consuetudinem stupri habuerat. Rediens inde Caesar Pharnacem, Mithridatis Magni filium, qui Pompeio in auxilium apud Thessaliam fuerat, rebellantem in Ponto, atque multas populi Romani pro-
A. U. vincias occupantem, vicit acie; postea ad mortem
705 coëgit.

Cap. XXIII. (XVIII.) Inde Romam regressus,
A. U. tertio se consulem fecit cum M. Aemilio Lepido,
706 qui ei dictatori magister equitum ante annum fuerat. Inde in Africam profectus est, ubi infinita nobilitas cum Iuba, Mauritaniae rege, bellum reparaverat. Duces autem Romani erant P. Cornelius Scipio, ex genere antiquissimo Scipionis Africani: (hic etiam socer Pompeii Magni fuerat) M. Petreius, Q. Varus, M. Porcius Cato, L. Cornelius Faustus, Sullae dictatoris filius. Contra hos, commisso proelio, post multas dimicationes victor fuit Caesar. Cato, Scipio, Petreius, Iuba, ipsi se occiderunt. Faustus, Pompeii gener a Caesare interfectus est.

A. U. Cap. XXIV. (XIX.) Post annum Caesar Ro-
707 mam regressus, quarto se consulem fecit, et statim ad Hispanias est profectus; ubi Pompeii filii, Cnaeus et Sextus, ingens bellum reparaverant. Multa proelia fuerunt; ultimum apud Mundam civitatem, in quo adeo Caesar paene victus est, ut, fugientibus suis, se voluerit occidere, ne post tantam rei militaris gloriam, in potestatem adolescentium, natus annos sex et quinquaginta, veniret. Denique reparatis suis vicit; ex Pompeii filiis maior occisus est, minor fugit.

Cap. XXV. (XX.) Inde Caesar, bellis civilibus toto orbe compositis, Romam rediit; agere insolentius coepit, et contra consuetudinem Romanae libertatis. Cum ergo et honores ex sua voluntate praestaret, qui a populo ante deferebantur, nec Senatui ad se venienti assurgeret, aliaque regia ac paene tyrannica faceret, coniuratum est in eum a LX vel amplius senatoribus equitibusque Romanis. Praecipui fuerunt inter coniuratos duo Bruti, ex eo genere Bruti, qui primus Romae consul fuerat et reges expulerat; C. Cassius et Servilius Casca.
Ergo Caesar, cum senatus die inter ceteros venis- A. u.
set ad curiam, XXIII vulneribns confossus est. 708

# LIBER SEPTIMUS.

## *ARGUMENTUM.*

1. *Interfecto Iulio Caesare bella civilia instaurantur, rem publicam turbante Antonio.* 2. *Antonius fugatus confugit ad Lepidum, cuius opera Octaviano, alterius partis duci, reconciliatur. Illorum triumviratus.* 3. *Bellum a Bruto et Cassio, Caesaris percussoribus, motum, illorumque caedes. Divisio rei publicae inter Antonium et Octavianum. Antonii frater, Lucius, novus civilis belli auctor, opprimitur.* 4. *Bellum cum Sexto Pompeio pace componitur.* 5. *Agrippa in Aquitania res prospere gerit. Ventidius Bassus de Parthis, qui in Syriam irruperant, victis triumphum agit.* 6. *Sext. Pompeius, rupta pace, bellum instaurat, et victus interficitur. Antonius Cleopatram, Aegypti reginam, in matrimonium ducit, et vanam in Parthos expedi-*

*tionem suscipit. 7. Bellum inter Octavianum et Antonium, et huius post pugnam infelicem apud Actium cum Cleopatra interitus. Aegyptus Romano imperio adiicitur. 8. Octavianus, Augusti nomine accepto, inde solus rempublicam obtinet et egregie moderatur. 9. 10. Augusti bella, victoriae, vita, mores, auctoque Romano imperio obitus. 11. Tiberius, Augusti successor, post vitam pessime actam cum summo omnium gaudio moritur. 12. Caligula, sceleratus princeps, bello contra Germanos ignave gesto, occiditur. 13. Claudius, parum sibi in vitae moderatione constans, Britanniam devincit. 14. Neronis luxuria, libido et crudelitas praeter alia crimina memorantur. Britannia paene amittitur, Armenia a Parthis eripitur; Pontus tamen Polemoniacus et Alpes Cottiae Romano imperio accedunt. 15. Nero omnibus execrabilis hostisque a senatu iudicatus ipse se interficit. 16. Galba, senex, post breve imperium occiditur. 17. Otho, cum a Vitellio, imperii aemulo, urgeretur, ad evitandam belli civilis calamitatem voluntaria morte obit. 18. Vitellius, Neronis imitator, ingluvie maxime notabilis, ignominiose perit. 19. 20. Vespasiani virtutes et res in bellis gestae, quibus Romano imperio accesserunt Vecta insula, factaeque provinciae Achaia, Lycia, Rhodus, Samus, Thracia, Cilicia, Commagene. 21. 22. Titi, principis optimi, laetissimum imperium. 23. Domitianus, diversis moribus foedus, contra Sarmatas, Cattos et Dacos bella gerit et triumphos multis calamitatibus redemtos agit; cum Romae multa opera fecisset, ob scelera interficitur.*

## Cap. I.

Anno Urbis septingentesimo fere ac nono, interfecto Caesare, bella civilia reparata sunt. Percus-

soribus enim Caesaris senatus favebat. Antonius A. U.
cos. partium Caesaris, civilibus bellis opprimere 708
eos conabatur. Ergo turbata republica multa Antonius scelera committens, a senatu hostis iudicatus est. Missi ad eum persequendum duo coss. A. U.
Pansa et Hirtius, et Octavianus adolescens, annos 709
x et VIII natus, Caesaris nepos, quem ille testamento heredem reliquerat, et nomen suum ferre iusserat. Hic est, qui postea Augustus est dictus, et rerum potitus. Quare profecti contra Antonium tres duces, vicerunt eum. Evenit tamen, ut victores coss. ambo morerentur. Quare tres exercitus uni Caesari Augusto paruerunt.

Cap. II. Fugatus Antonius, amisso exercitu, confugit ad Lepidum, qui Caesaris magister equitum fuerat, et tunc copias militum grandes habebat; a quo susceptus est. Mox Lepido operam dante, Caesar cum Antonio pacem fecit, et quasi vindicaturus patris sui mortem, a quo per testamentum fuerat adoptatus, Romam cum exercitu profectus, extorsit, ut sibi xx anno consulatus daretur. Senatum proscripsit, cum Antonio et Lepido, et rempublicam armis tenere coepit. Per hos etiam Cicero orator occisus est, multique alii nobiles.

Cap. III. (II.) Interea Brutus et Cassius, interfectores Caesaris, ingens bellum moverunt: A. U.
erant enim per Macedoniam et Orientem multi exer- 710
citus, quos occupaverant. Profecti igitur contra eos Caesar Octavianus Augustus et M. Antonius (remanserat enim ad defendendam Italiam Lepidus) apud Philippos, Macedoniae urbem, contra eos pugnaverunt. Primo proelio victi sunt Antonius et Caesar; periit tamen dux nobilitatis Cassius: secundo Brutum et infinitam nobilitatem, quae cum illis bellum gesserat, victam interfecerunt. Ac sic

A. U. bellum gerebat. Et in Italia novum bellum subito
679 commotum est. Septuaginta enim quatuor gladiatores, ducibus Spartaco, Crixo et Oenomao, effracto Capuae ludo, effugerunt, et per Italiam vagantes, paene non levius bellum in ea, quam Hannibal moverat, paraverunt. Nam multis ducibus, et
A. U. duobus simul Romanorum consulibus victis, sexa-
680 ginta fere millium armatorum exercitum congregaverunt; victique sunt in Apulia a M. Licinio
A. U. Crasso proconsule, et post multas calamitates Ita-
681 liae, tertio anno, bello huic finis impositus.

A. U. Cap. VIII. (VII.) Sexcentesimo octogesimo
681 primo urbis conditae anno, P. Cornelio Lentulo, et Cn. Aufidio Oreste coss. duo tantum gravia bella in imperio Romano erant, Mithridaticum et Macedonicum. Haec duo Luculli agebant, L. Lucullus et M. Lucullus. L. ergo Lucullus post pugnam Cyzicenam, qua vicerat Mithridaten, et navalem, qua duces eius oppresserat, persecutus est eum, et, recepta Paphlagonia atque Bithynia, etiam regnum eius invasit: Sinopen et Amison, civitates Ponti nobilissimas, cepit. Secundo proelio apud Cabira civitatem, quo ingentes copias ex omni regno adduxerat Mithridates, cum xxx millia lectissima regis a quinque millibus Romanorum vastata essent, Mithridates fugatus est, et castra eius direpta. Armenia quoque minor, quam tenuerat, eidem sublata est. Susceptus tamen est Mithridates post fugam a Tigrane, Armeniae rege, qui tunc ingenti gloria imperabat, Persas saepe vicerat, Mesopotamiam occupaverat, et Syriam, et Phoenices partem.

Cap. IX. Ergo Lucullus, repetens hostem fugatum, etiam regnum Tigranis, qui Armeniis impe-
A. U. rabat, ingressus est: Tigranocerta, civitatem Arme-
683 niae nobilissimam regni Armeniaci, cepit; ipsum

regem cum sexcentis millibus clibanariorum, et centum millibus sagittariorum et armatorum venientem, XVII millia militum habens, ita vicit, ut magnam partem Armeniorum deleverit. Inde Nisibin profectus, eam quoque civitatem cum regis fratre cepit. Sed hi, quos in Ponto Lucullus reliquerat, cum exercitus parte, ut regiones victas etiam Romanorum tuerentur, negligenter se et avare agentes, occasionem iterum Mithridati in Pontum irrumpendi dederunt, atque ita bellum renovatum est. Lucullo paranti, capta Nisibi, contra Persas expeditionem, successor est missus.
A. U. 684
A. U. 685

Cap. X. (VIII.) Alter autem Lucullus, qui Macedoniam administrabat, Bessis primus Romanorum intulit bellum, atque eos ingenti proelio in Haemo monte superavit: oppidum Uscudamam, quod Bessi habitabant, eodem die, quo aggressus est, vicit; Cabylen cepit; usque Danubium penetravit. Inde multas supra Pontum positas civitates aggressus est. Illic Apolloniam evertit; Calatin, Parthenopolin, Tomos, Histrum, Burziaonem cepit, belloque confecto, Romam rediit. Ambo tamen triumphaverunt: Lucullus, qui contra Mithridaten pugnaverat, maiori gloria, cum tantorum regnorum victor redisset.
A

Cap. XI. (IX.) Confecto bello Macedonico, manente Mithridatico, quod, recedente Lucullo, rex collectis auxiliis reparaverat, bellum CRETICUM ortum est. Ad id missus Caecilius Metellus, ingentibus proeliis intra triennium omnem provinciam cepit, appellatusque est *Creticus*, atque ex insula triumphavit. Quo tempore Libya quoque Romano imperio per testamentum Apionis, qui rex eius fuerat, accessit; in qua inclutae civitates erant, Berenice, Ptolemais et Cyrene.
A. U. 683
A. U. 656

Cap. XII. (X.) Dum haec geruntur, PIRA-

TAE omnia maria infestabant ita, ut Romanis,
toto orbe victoribus, sola navigatio tuta non esset.
A. U. Quare id bellum Cn. Pompeio decretum est; quod
685 intra paucos menses, ingenti et felicitate et celeri-
A. U. tate confecit. Mox ei delatum bellum etiam con-
686 tra regem Mithridaten et Tigranen: quo suscepto,
Mithridaten in Armenia minore nocturno proelio
vicit, castra diripuit: quadraginta millibus eius
occisis, viginti tantum de exercitu suo perdidit,
et duos centuriones. Mithridates cum uxore fugit,
et duobus comitibus. Neque multo post, cum in
suos saeviret, Pharnacis, filii sui, apud milites se-
A. U. ditione, ad mortem coactus, venenum hausit.
688 Hunc finem habuit Mithridates. Periit autem
apud Bosporum, vir ingentis industriae consilii-
que. Regnavit annis sexaginta, vixit septuaginta
duobus; contra Romanos bellum habuit annis qua-
draginta.

A. U. Cap. XIII. (XI.) Tigrani deinde Pompeius
686 bellum intulit. Ille se ei dedit, et in castra Pom-
peii sexto decimo milliario ab Artaxata venit, ac
diadema suum, cum procubuisset ad genua Pom-
peii, in manibus ipsi collocavit; quod ei Pompeius
reposuit, honorificeque eum habitum, regni tamen
parte multavit, et grandi pecunia. Adempta est ei
Syria, Phoenice, Sophene: sex millia praeterea
talentorum argenti, quae populo Romano daret,
quia bellum sine causa Romanis commovisset.

A. U. Cap. XIV. Pompeius mox etiam Albanis bel-
688 lum intulit, et eorum regem Oroden ter vicit; po-
stremo per epistolas et munera rogatus, veniam ei
A. U. ac pacem dedit. Iberiae quoque regem Artocen
688 vicit acie, et in deditionem accepit. Armeniam
minorem Deiotaro, Galatiae regi, donavit, quia so-
cius belli Mithridatici fuerat. Attalo et Pylaemeni
Paphlagoniam reddidit; Aristarchum Colchis re-

gem imposuit. Mox Ituraeos et Arabas vicit; et cum venisset in Syriam, Seleuciam, vicinam Antiochiae civitatem, libertate donavit, quod regem Tigranem non recepisset. Antiochensibus obsides reddidit: aliquantum agrorum Daphnensibus dedit, quo lucus ibi spatiosior fieret, delectatus amoenitate loci, et aquarum abundantia. Inde ad Iudae- A. U.
am transgressus, Hierosolyma, caput gentis, ter- 689
tio mense cepit, duodecim millibus Iudaeorum occisis, ceteris in fidem acceptis. His gestis, in Asiam se recepit et finem antiquissimo bello dedit.

Cap. XV. (XII.) M. Tullio Cicerone oratore, et C. Antonio coss. anno ab urbe condita
DCLXXXIX. L. Sergius Catilina, nobilissimi gene- A. U.
ris vir, sed ingenii pravissimi, ad delendam pa- 689
triam coniuravit cum quibusdam, claris quidem, sed audacibus viris. A Cicerone urbe expulsus est: socii eius deprehensi, in carcere strangulati sunt.
Ab Antonio, altero consule, Catilina ipse proelio A. U.
victus est et interfectus. 690

Cap. XVI. (XIII.) Sexcentesimo nonagesimo A. U.
anno ab urbe condita D. Iunio Silano, et L. Mure- 690
na coss. Metellus de Creta triumphavit; Pom- A. U.
peius de bello Piratico et Mithridatico. Nulla un- 691
quam pompa triumphi similis fuit. Ducti sunt ante eius currum filii Mithridatis, filius Tigranis, et Aristobulus, rex Iudaeorum: praelata est ingens pecunia, auri atque argenti infinitum. Hoc tempore nullum per orbem terrarum grave bellum erat.

Cap. XVII. (XIV.) Anno urbis conditae A. U.
DCXCIII. C. Iulius Caesar, qui postea imperavit, 693
cum L. Bibulo consul est factus. Decreta est ei Gallia et Illyricum, cum legionibus decem. Is primo vicit Helvetios, qui nunc Sequani appellantur. Deinde vincendo per bella gravissima usque ad

Oceanum Britannicum processit. Domuit autem annis novem fere omnem Galliam, quae inter Alpes, flumen Rhodanum, Rhenum et Oceanum est, et circuitu patet ad bis et tricies centena millia
A. U. passuum. Britannis mox bellum intulit, quibus
698 ante eum ne nomen quidem Romanorum cognitum erat; et eos quoque victos, obsidibus acceptis, stipendiarios fecit. Galliae autem tributi nomine annuum imperavit sestertium quadringenties, Germanosque trans Rhenum aggressus, immanissimis proeliis vicit. Inter tot successus ter male pugnavit: apud Arvernos semel praesens, et absens in Germania bis. Nam legati eius duo, Titurius et Aurunculeius, per insidias caesi sunt.

Cap. XVIII. (XV.) Circa eadem tempora, an-
A. U. no urbis conditae DCXCVII, M. Licinius Crassus,
697 collega Cn. Pompeii Magni in consulatu secundo,
A. U. contra Parthos missus est, et cum circa Carras con-
699 tra omina et auspicia dimicasset, a Surena, Orodis regis duce, victus, ad prostremum interfectus est cum filio, clarissimo et praestantissimo iuvene. Reliquiae exercitus per C. Cassium quaestorem servatae sunt, qui singulari animo perditas res tanta virtute restituit, ut Persas, rediens trans Euphratem, crebris proeliis vinceret.

Cap. XIX. (XVI.) Hinc iam bellum civile successit exsecrandum et lacrymabile, quo, praeter calamitates, quae in proeliis acciderunt, etiam Populi Romani fortuna mutata est. Caesar enim, rediens ex Gallia victor, coepit poscere alterum consulatum, atque ita, ut sine dubietate ei aliqua deferretur. Contradictum est a Marcello cos. a
A. U. Bibulo, a Pompeio, a Catone, iussusque dimissis
703 exercitibus ad urbem redire. Propter quam iniuriam ab Arimino, ubi milites congregatos habebat, adversum patriam cum exercitu venit. Consules

cum Pompeio, senatusque omnis atque universa nobilitas ex urbe fugit, et in Graeciam transiit; apud Epirum, Macedoniam, Achaiam, Pompeio duce, senatus contra Caesarem bellum paravit.

Cap. XX. Caesar, vacuam urbem ingressus, A. U.
dictatorem se fecit. Inde Hispanias petiit. Ibi 703
Pompeii exercitus validissimos et fortissimos cum tribus ducibus, L. Afranio, M. Petreio, M. Varrone, superavit. Inde regressus, in Graeciam transiit, adversum Pompeium dimicavit. Primo proelio victus est et fugatus; evasit tamen, quia nocte interveniente Pompeius sequi noluit; dixitque Caesar, *nec Pompeium scire vincere, et illo tantum die se potuisse superari.* Deinde in Thessalia apud Palaeopharsalum, productis utrimque ingentibus copiis, dimicaverunt. Pompeii acies habuit XL millia peditum, equites in sinistro cornu sexcentos, in dextro quingentos; praeterea totius Orientis auxilia, totam nobilitatem, innumeros senatores, praetorios, consulares, et qui magnorum iam populorum victores fuissent. Caesar in acie sua habuit peditum non integra XXX millia, equites mille.

Cap. XXI. Nunquam adhuc Romanae copiae in unum, neque maiores, neque melioribus ducibus, convenerant, totum terrarum orbem facile subacturae, si contra barbaros ducerentur. Pugnatum tamen est ingenti contentione, victusque ad postremum Pompeius, et castra eius direpta sunt. Ipse fugatus Alexandriam petiit, ut a rege Aegypti, cui tutor a senatu datus fuerat propter iuvenilem eius aetatem, acciperet auxilia; qui fortunam magis, quam amicitiam secutus, occidit Pom- A. U.
peium; caput eius et anulum Caesari misit. Quo 704
conspecto, Caesar etiam lacrimas fudisse dicitur, tanti viri intuens caput, et generi quondam sui.

Cap. XXII. (XVII.) Mox Caesar Alexandriam

venit. Ipsi quoque Ptolemaeus parare voluit insidias; qua causa regi bellum illatum est. Victus in Nilo periit, inventumque est corpus eius cum lorica aurea. Caesar Alexandria potitus, regnum Cleopatrae dedit, Ptolemaei sorori, cum qua consuetudinem stupri habuerat. Rediens inde Caesar Pharnacem, Mithridatis Magni filium, qui Pompeio in auxilium apud Thessaliam fuerat, rebellantem in Ponto, atque multas populi Romani pro-
A. U. vincias occupantem, vicit acie; postea ad mortem
705 coëgit.

Cap. XXIII. (XVIII.) Inde Romam regressus,
A. U. tertio se consulem fecit cum M. Aemilio Lepido,
706 qui ei dictatori magister equitum ante annum fuerat. Inde in Africam profectus est, ubi infinita nobilitas cum Iuba, Mauritaniae rege, bellum reparaverat. Duces autem Romani erant P. Cornelius Scipio, ex genere antiquissimo Scipionis Africani: (hic etiam socer Pompeii Magni fuerat) M. Petreius, Q. Varus, M. Porcius Cato, L. Cornelius Faustus, Sullae dictatoris filius. Contra hos, commisso proelio, post multas dimicationes victor fuit Caesar. Cato, Scipio, Petreius, Iuba, ipsi se occiderunt. Faustus, Pompeii gener a Caesare interfectus est.

A. U. Cap. XXIV. (XIX.) Post annum Caesar Ro-
707 mam regressus, quarto se consulem fecit, et statim ad Hispanias est profectus; ubi Pompeii filii, Cnaeus et Sextus, ingens bellum reparaverant. Multa proelia fuerunt; ultimum apud Mundam civitatem, in quo adeo Caesar paene victus est, ut, fugientibus suis, se voluerit occidere, ne post tantam rei militaris gloriam, in potestatem adolescentium, natus annos sex et quinquaginta, veniret. Denique reparatis suis vicit; ex Pompeii filiis maior occisus est, minor fugit.

Cap. XXV. (XX.) Inde Caesar, bellis civilibus toto orbe compositis, Romam rediit; agere insolentius coepit, et contra consuetudinem Romanae libertatis. Cum ergo et honores ex sua voluntate praestaret, qui a populo ante deferebantur, nec Senatui ad se venienti assurgeret, aliaque regia ac paene tyrannica faceret, coniuratum est in eum a LX vel amplius senatoribus equitibusque Romanis. Praecipui fuerunt inter coniuratos duo Bruti, ex eo genere Bruti, qui primus Romae consul fuerat et reges expulerat; C. Cassius et Servilius Casca. Ergo Caesar, cum senatus die inter ceteros venisset ad curiam, XXIII vulneribus confossus est. A. U. 708

# LIBER SEPTIMUS.

## ARGUMENTUM.

1. *Interfecto Iulio Caesare bella civilia instaurantur, rem publicam turbante Antonio.* 2. *Antonius fugatus confugit ad Lepidum, cuius opera Octaviano, alterius partis duci, reconciliatur. Illorum triumviratus.* 3. *Bellum a Bruto et Cassio, Caesaris percussoribus, motum, illorumque caedes. Divisio rei publicae inter Antonium et Octavianum. Antonii frater, Lucius, novus civilis belli auctor, opprimitur.* 4. *Bellum cum Sexto Pompeio pace componitur.* 5. *Agrippa in Aquitania res prospere gerit. Ventidius Bassus de Parthis, qui in Syriam irruperant, victis triumphum agit.* 6. *Sext. Pompeius, rupta pace, bellum instaurat, et victus interficitur. Antonius Cleopatram, Aegypti reginam, in matrimonium ducit, et vanam in Parthos expedi-*

*tionem suscipit. 7. Bellum inter Octavianum et Antonium, et huius post pugnam infelicem apud Actium cum Cleopatra interitus. Aegyptus Romano imperio adiicitur. 8. Octavianus, Augusti nomine accepto, inde solus rempublicam obtinet et egregie moderatur. 9. 10. Augusti bella, victoriae, vita, mores, auctoque Romano imperio obitus. 11. Tiberius, Augusti successor, post vitam pessime actam cum summo omnium gaudio moritur. 12. Caligula, sceleratus princeps, bello contra Germanos ignave gesto, occiditur. 13. Claudius, parum sibi in vitae moderatione constans, Britanniam devincit. 14. Neronis luxuria, libido et crudelitas praeter alia crimina memorantur. Britannia paene amittitur, Armenia a Parthis eripitur; Pontus tamen Polemoniacus et Alpes Cottiae Romano imperio accedunt. 15. Nero omnibus exsecrabilis hostisque a senatu iudicatus ipse se interficit. 16. Galba, senex, post breve imperium occiditur. 17. Otho, cum a Vitellio, imperii aemulo, urgeretur, ad evitandam belli civilis calamitatem voluntaria morte obit. 18. Vitellius, Neronis imitator, ingluvie maxime notabilis, ignominiose perit. 19. 20. Vespasiani virtutes et res in bellis gestae, quibus Romano imperio accesserunt Vecta insula, factaeque provinciae Achaia, Lycia, Rhodus, Samus, Thracia, Cilicia, Commagene. 21. 22. Titi, principis optimi, laetissimum imperium. 23. Domitianus, diversis moribus foedus, contra Sarmatas, Cattos et Dacos bella gerit et triumphos multis calamitatibus redemtos agit; cum Romae multa opera fecisset, ob scelera interficitur.*

## Cap. I.

Anno Urbis septingentesimo fere ac nono, interfecto Caesare, bella civilia reparata sunt. Percus-

soribus enim Caesaris senatus favebat. Antonius A. u.
cos. partium Caesaris, civilibus bellis opprimere 708
eos conabatur. Ergo turbata republica multa Antonius scelera committens, a senatu hostis iudicatus est. Missi ad eum persequendum duo coss. A. u.
Pansa et Hirtius, et Octavianus adolescens, annos 709
x et VIII natus, Caesaris nepos, quem ille testamento heredem reliquerat, et nomen suum ferre iusserat. Hic est, qui postea Augustus est dictus, et rerum potitus. Quare profecti contra Antonium tres duces, vicerunt eum. Evenit tamen, ut victores coss. ambo morerentur. Quare tres exercitus uni Caesari Augusto paruerunt.

Cap. II. Fugatus Antonius, amisso exercitu, confugit ad Lepidum, qui Caesaris magister equitum fuerat, et tunc copias militum grandes habebat; a quo susceptus est. Mox Lepido operam dante, Caesar cum Antonio pacem fecit, et quasi vindicaturus patris sui mortem, a quo per testamentum fuerat adoptatus, Romam cum exercitu profectus, extorsit, ut sibi xx anno consulatus daretur. Senatum proscripsit, cum Antonio et Lepido, et rempublicam armis tenere coepit. Per hos etiam Cicero orator occisus est, multique alii nobiles.

Cap. III. (II.) Interea Brutus et Cassius, interfectores Caesaris, ingens bellum moverunt: A. u.
erant enim per Macedoniam et Orientem multi exer- 710
citus, quos occupaverant. Profecti igitur contra eos Caesar Octavianus Augustus et M. Antonius (remanserat enim ad defendendam Italiam Lepidus) apud Philippos, Macedoniae urbem, contra eos pugnaverunt. Primo proelio victi sunt Antonius et Caesar; periit tamen dux nobilitatis Cassius: secundo Brutum et infinitam nobilitatem, quae cum illis bellum gesserat, victam interfecerunt. Ac sic

inter eos divisa est respublica, ut Augustus Hispanias, Gallias et Italiam teneret: Antonius Asiam,
A. U. Pontum, Orientem. Sed in Italia L. Antonius cos.
711 bellum civile commovit, frater eius, qui cum Caesare contra Brutum Cassiumque dimicaverat. Is
A. U. apud Perusiam, Tusciae civitatem, victus et captus
712 est, neque occisus.

A. U. Cap. IV. (III.) Interim a Sexto Pompeio, Cn.
712 Pompeii Magni filio, ingens bellum in Sicilia commotum est, his, qui superfuerant ex partibus Bruti Cassiique, ad eum confluentibus. Bellatum per Caesarem Augustum Octavianum et M. Antonium
A. U adversus Sextum Pompeium. Pax postremo con-
713 venit.

A. U. Cap. V. Eo tempore M. Agrippa in Aquitania
715 rem prospere gessit; et L. Ventidius Bassus irrum-
A. U. pentes in Syriam Persas tribus proeliis vicit. Paco-
713 rum, regis Orodis filium, interfecit eo ipso die, quo olim Orodes, Persarum rex, per ducem Surenam, Crassum occiderat. Hic primus de Parthis iustissimum triumphum Romae egit.

A. U. Cap. VI. Interim Pompeius pacem rupit, et
714 navali proelio victus, fugiens ad Asiam, interfectus
A. U. est. (IV.) Antonius, qui Asiam Orientemque tene-
716 bat, repudiata sorore Caesaris Augusti Octaviani,
A. U. Cleopatram, reginam Aegypti, duxit uxorem. Con-
716 tra Persas ipse etiam pugnavit; primis eos proeliis vicit; regrediens tamen fame et pestilentia laboravit. Et cum instarent Parthi fugienti, ipse pro victo recessit.

A. U. Cap. VII. Hic quoque ingens bellum civile
720 commovit, cogente uxore Cleopatra, regina Aegypti, dum cupiditate muliebri optat etiam in urbe
A. U. regnare. Victus est ab Augusto navali pugna clara
721 et illustri apud Actium, qui locus in Epiro est, ex qua fugit in Aegyptum; et desperatis rebus, cum

omnes ad Augustum transirent, ipse se interemit: Cleopatra sibi aspidem admisit, et veneno eius exstincta est. Aegyptus per Octavianum Augustum imperio Romano adiecta est, praepositusque ei Cn. Cornelius Gallus. Hunc primum Aegyptus Romanum iudicem habuit.

Cap. VIII. Ita bellis toto orbe confectis,
OCTAVIANUS AUGUSTUS Romam rediit, XII
anno, quam COS. fuerat. Ex eo rempublicam per A. u.
quadraginta et quatuor annos solus obtinuit. Ante 723
enim XII annis cum Antonio et Lepido tenuerat.
Ita ab initio principatus eius usque ad finem LVI
anni fuere. (V.) Obiit autem LXXVI anno, morte A. u.
communi, in oppido Campaniae Atella; Romae in 765
campo Martio sepultus est: vir, qui non immerito ex maxima parte Deo similis est putatus. Neque enim facile ullus eo aut in bellis felicior fuit, aut in pace moderatior. XLIV annis, quibus solus gessit imperium, civilissime vixit: in cunctos liberalissimus, in amicos fidissimus; quos tantis evexit honoribus, ut paene aequaret fastigio suo.

Cap. IX. Nullo tempore res Romana magis floruit. Nam exceptis civilibus bellis, in quibus invictus fuit, Romano adiecit imperio Aegyptum, Cantabriam, Dalmatiam, saepe ante victam, sed penitus tunc subactum; Pannoniam, Aquitaniam, Illyricum, Raetiam, Vindelicos, et Salassos in Alpibus; omnes Ponti maritimas civitates: in his nobilissimas Bosporum et Panticapaeon. Vicit autem proeliis Dacos; Germanorum ingentes copias cecidit; ipsos quoque trans Albim fluvium submovit, qui in barbarico longe ultra Rhenum est. Hoc tamen bellum per Drusum privignum suum administravit, sicut per Tiberium, privignum alterum, Pannonicum, quo bello XL millia captivorum ex Germania transtulit, et supra ripam Rheni in Gal-

lia collocavit. Armeniam a Parthis recepit: obsides, (quod nulli antea,) Persae ei dederunt: reddiderunt etiam signa Romana, quae Crasso victo ademerant.

Cap. X. Scythae et Indi, quibus antea Romanorum nomen incognitum fuerat, munera et legatos ad eum miserunt. Galatia quoque sub hoc provincia facta est, cum antea regnum fuisset; primusque eam M. Lollius pro praetore administravit. Tanto autem amore etiam apud barbaros fuit, ut reges, populi Romani amici, in honorem eius conderent civitates, quas Caesareas nominarent; sicut in Mauritania a rege Iuba, et in Palaestina, quae nunc urbs est clarissima. Multi autem reges ex regnis suis venerunt, ut ei obsequerentur: et habitu Romano, togati scilicet, ad vehiculum vel equum ipsius cucurrerunt. Moriens Divus appellatus est. Rempublicam beatissimam Tiberio suc-
A. U. cessori reliquit: qui privignus ei, mox gener, po-
755 stremo adoptione filius fuerat.

P. C. Cap. XI. (VI.) TIBERIUS ingenti socordia
N. imperium gessit, gravi crudelitate, scelesta avari-
14 tia, turpi libidine. Nam nusquam ipse pugnavit: bella per legatos suos gessit: quosdam reges, per blanditias ad se evocatos, nunquam remisit, in quibus Archelaum Cappadocem, cuius etiam regnum in provinciae formam redegit, et maximam civitatem appellari nomine suo iussit, quae nunc Caesarea dicitur, cum Mazaca antea vocaretur. Hic ter-
P. C. tio et vigesimo imperii anno, aetatis septuagesimo
N. octavo, ingenti omnium gaudio mortuus est in
37 Campania.

Cap. XII. (VII.) Successit ei CAIUS CAESAR, cognomento CALIGULA, Drusi, privigni Augusti, et ipsius Tiberii nepos; sceleratissimus, ac funestissimus, et qui etiam Tiberii dedecora

purgaverit. Bellum contra Germanos suscepit; et ingressus Sueviam, nihil strenue fecit. Stupra sororibus intulit; ex una etiam filiam agnovit. Cum adversum cunctos ingenti avaritia, libidine, crudelitate saeviret, interfectus in palatio est anno aetatis XXIX, imperii III, mense X, dieque VIII.

Cap. XIII. (VIII.) Post hunc CLAUDIUS fuit, patruus Caligulae, Drusi, qui apud Mogontiacum monumentum habet, filius; cuius et Caligula nepos erat. Hic medie imperavit, multa gerens tranquille atque moderate, quaedam crudeliter et insulse. Britanniae bellum intulit, quam nullus Romanorum post Iulium Caesarem attige- P.C.
rat, eaque devicta per Cn. Sentium et A. Plautium, N.
illustres et nobiles viros, triumphum celebrem egit. 43
Quasdam insulas etiam, ultra Britanniam in Oceano positas, Romano imperio addidit, quae appellantur Orcades, filioque suo Britannici nomen imposuit. Tam civilis autem circa quosdam amicos exstitit, ut etiam Plautium, nobilem virum, qui in expeditione Britannica multa egregie fecerat, triumphantem ipse prosequeretur, et conscendenti Capitolium laevus incederet. Is vixit annos IV et LX, P.C.
imperavit XIV. Post mortem consecratus est di- N.
vusque appellatus. 54

Cap. XIV. (IX.) Successit huic NERO, Caligulae, avunculo suo, simillimus, qui imperium Romanum et deformavit et deminuit: inusitatae luxuriae sumtuumque, ut qui exemplo Caii Caligulae calidis et frigidis lavaret unguentis, retibus aureis piscaretur, quae blattinis funibus extrahebat. Infinitam partem senatus interfecit; bonis omnibus hostis fuit. Ad postremum se tanto dedecore prostituit, ut et saltaret et cantaret in scena, citharoedico habitu vel tragico. Parricidia multa commisit, fratre, uxore, matre interfectis.

P.C. Urbem Romam incendit, ut spectaculi eius imagi-
N. nem cerneret, quali olim Troia capta arserat. In
64 re militari nihil omnino ausus, Britanniam paene
amisit. Nam duo sub hoc nobilissima oppida capta illic atque eversa sunt: Armeniam Parthi sustulerunt, legionesque Romanas sub iugum miserunt. Duae tamen provinciae sub eo factae sunt, Pontus Polemoniacus, concedente rege Polemone, et Alpes Cottiae, Cottio rege defuncto.

Cap. XV. Per haec Romano orbi exsecrabilis, ab omnibus simul destitutus, et a senatu hostis iudicatus, cum quaereretur ad poenam, (quae poena erat talis, ut nudus per publicum ductus, furca capiti eius inserta, virgis usque ad mortem caederetur, atque ita praecipitaretur de saxo) e palatio fugit, et in suburbano se liberti sui, quod inter Salariam et Nomentanam viam ad quartum urbis milliarium, interfecit. Aedificavit Romae
P.C. thermas, quae ante Neronianae dictae, nunc Ale-
N. xandrinae appellantur. Obiit trigesimo et altero
68 aetatis anno, imperii quarto decimo, atque in eo
omnis familia Augusti consumta est.

Cap. XVI. (X.) Huic Servius GALBA successit, antiquissimae nobilitatis senator, cum septuagesimum et tertium annum ageret aetatis. Ab Hispanis et Gallis imperator electus, mox ab universo exercitu libenter acceptus. Nam privata eius vita insignis fuerat militaribus et civilibus rebus; saepe consul, saepe pro consule, frequenter dux in gravissimis bellis. Huius breve imperium fuit, et quod bona haberet exordia, nisi ad severitatem propensior videretur. Insidiis tamen Othonis oc-
P.C. cisus est, imperii mense septimo; iugulatus in foro
N. Romae, sepultusque in hortis suis, qui sunt Aure-
69 lia via non longe ab urbe Roma.

Cap. XVII. (XI.) OTHO, occiso Galba, inva-

sit imperium, materno genere nobilior, quam paterno, neutro tamen obscuro: in privata vita mollis, et Neronis familiaris: in imperio documentum sui non potuit ostendere. Nam cum iisdem temporibus, quibus Otho Galbam occiderat, etiam Vitellius factus esset a Germanicianis exercitibus imperator, bello contra eum suscepto, cum apud Betriacum in Italia levi proelio victus esset, ingentes tamen copias ad bellum haberet, sponte semetipsum occidit, petentibus militibus, ne tam cito de belli desperaret eventu, cum tanti se non esse
dixisset, ut propter eum civile bellum commove- P. C.
retur. Voluntaria morte obiit, trigesimo et octa- N.
vo aetatis anno, nonagesimo et quinto imperii die. 69

Cap. XVIII. (XII.) Dein VITELLIUS imperio potitus est, familia honorata magis, quam nobili. Nam pater eius non admodum clare natus, tres tamen ordinarios gesserat consulatus. Hic cum multo dedecore imperavit, et gravi saevitia notabilis, praecipue ingluvie et voracitate: quippe cum de die saepe quarto vel quinto feratur epulatus. Notissima certe coena memoriae mandata est, quam ei Vitellius frater exhibuit; in qua, super ceteros sumtus, duo millia piscium, septem avium millia apposita traduntur. Hic cum Neroni similis esse vellet, atque id adeo prae se ferret, ut etiam exsequias Neronis, quae humiliter sepultae fuerant, honoraret, a Vespasiani ducibus occisus est, interfecto prius Sabino, Vespasiani imperatoris fratre, quem cum Capitolio incendit. Interfectus autem est, et cum magno dedecore tractus per urbem Romam publice, nudus, erecta coma et capite, subiecto ad mentum gladio, stercore in vultum et
pectus ab omnibus obviis appetitus; postremo iu- P. C.
gulatus, et in Tiberim deiectus, etiam communi N.
caruit sepultura. Periit autem aetatis anno se- 69

ptimo et quinquagesimo, imperii mense VIII et
die uno.

Cap. XIX. (XIII.) VESPASIANUS huic suc-
cessit, factus apud Palaestinam imperator; prin-
P. C. ceps obscure quidem natus, sed optimis comparan-
N. dus; privata vita illustris, ut qui a Claudio in Ger-
43 maniam, deinde in Britanniam missus, tricies et
bis cum hoste conflixerit, duas validissimas gen-
tes, XX oppida, insulam Vectam, Britanniae pro-
ximam, imperio Romano adiecerit. Romae se in
imperio moderatissime gessit: pecuniae tantum avi-
dior fuit, ita ut eam nulli iniuste auferret; quam
cum omni diligentiae provisione colligeret, tamen
studiosissime largiebatur, praecipue indigentibus.
Nec facile ante eum cuiusquam principis vel maior
est liberalitas comperta, vel iustior. Placidissimae
lenitatis, ut qui maiestatis quoque contra se reos
non facile puniret ultra exsilii poenam. Sub hoc
P. C. Iudaea Romano accessit imperio; et Hierosolyma,
N. quae fuit urbs nobilissima Palaestinae. Achaiam,
70 Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum, quae libe-
rae ante hoc tempus fuerant: item Thraciam, Cili-
ciam, Commagenen, quae sub regibus amicis ege-
rant, in provinciarum formam redegit.

Cap. XX. Offensarum et inimicitiarum imme-
mor fuit: convicia a causidicis et philosophis in
se dicta, leniter tulit: diligens tamen coercitor
disciplinae militaris. Hic cum Tito filio de Hiero-
solymis triumphavit. Per haec cum senatui et po-
pulo, postremo cunctis amabilis ac iucundus esset,
profluvio ventris exstinctus est in villa propria, cir-
ca Sabinos, annum aetatis agens sexagesimum no-
num, imperii nonum et diem septimum: atque inter
divos relatus est. Genituram filiorum ita cogni-
tam habuit, ut, cum multae contra eum coniura-
tiones fierent, quas patefactas ingenti dissimula-

tione contemsit, in senatu dixerit, *aut filios sibi successuros, aut neminem.*

Cap. XXI. (XIV.) Huic TITUS filius succes- P.C.
sit, qui et ipse Vespasianus est dictus; vir omnium N.
virtutum genere mirabilis adeo, ut *amor et deli-* 78
*ciae humani generis* diceretur. Facundissimus, bellicosissimus, moderatissimus: causas latine egit; poemata et tragoedias graece composuit. In oppugnatione Hierosolymorum, sub patre militans XII propugnatores XII sagittarum ictibus confixit. Romae tantae civilitatis in imperio fuit, ut nullum omnino puniret: convictos adversum sese coniurationis ita dimiserit, ut in eadem familiaritate, qua antea, habuerit. Facilitatis et liberalitatis tantae fuit, ut, cum nulli quidquam negaret, et ab amicis reprehenderetur, responderit, *nullum tristem debere ab imperatore discedere;* praeterea, cum quodam die in coena recordatus fuisset, nihil se illo die cuiquam praestitisse, dixerit: *amici, hodie diem perdidi.* Hic Romae amphitheatrum aedificavit, et quinque millia ferarum in dedicatione eius occidit.

Cap. XXII. Per haec inusitato favore dilectus, P.C.
morbo periit in ea, qua pater, villa, post biennium, N.
menses octo, dies XX, quam imperator erat factus, 81
aetatis anno altero et quadragesimo. Tantus luctus eo mortuo publicus fuit, ut omnes tanquam in propria doluerint orbitate. Senatus, obitu ipsius circa vesperam nuntiato, nocte irrupit in curiam, et tantas ei mortuo laudes gratiasque congessit, quantas nec vivo unquam egerat, nec praesenti. Inter divos relatus est.

Cap. XXIII. (XV.) DOMITIANUS mox accepit imperium, frater ipsius iunior: Neroni, aut Caligulae, aut Tiberio similior, quam patri, vel fratri suo. Primis tamen annis moderatus in imperio

fuit, mox ad ingentia vitia progressus, libidinis, iracundiae, crudelitatis, avaritiae, tantum in se odii concitavit, ut merita et patris et fratris aboleret. Interfecit nobilissimos ex senatu: dominum se et deum primus appellari iussit: nullam sibi nisi auream et argenteam statuam in Capitolio poni passus est: consobrinos suos interfecit: superbia quoque in eo exsecrabilis fuit. Expeditiones quatuor habuit: unam adversum Sarmatas; alteram adversum Cattos; duas adversum Dacos. De Dacis Cattisque dupplicem triumphum egit: de Sarmatis solam lauream usurpavit. Multas tamen calamitates iisdem bellis passus est. Nam in Sarmatia legio eius cum duce interfecta, et a Dacis Oppius Sabinus consularis, et Cornelius Fuscus, praefectus praetorio, cum magnis exercitibus occisi sunt. Romae quoque multa opera fecit: in his Capitolium, et Forum transitorium, Odeum, Divorum Porticus, Iseum, Serapeum ac Stadium. Verum
P.C. cum ob scelera universis exosus esse coepisset,
N. interfectus est suorum coniuratione in palatio, an-
96 no aetatis XLV, imperii quinto decimo. Funus eius cum ingenti dedecore per vespillones exportatum, et ignobiliter est sepultum.

# LIBER OCTAVUS.

## *ARGUMENTUM.*

1. *Nervae aequitas et civilitas.* 2-5. *Traianus praeclaris virtutibus ornatus fines Romani imperii, subactis regionibus populisque pluribus, longe lateque profert.* 6. 7. *Hadrianus, Traiani glo-*

*riae invidens, imperii limites contrahit, et paci, literis et aedificationibus studet.* 8. *Antonini Pii virtutes civiles et apud exteros gloria.* 9. *Hinc duos imperatores habuit respublica, Marco et Lucio Antoninis Veris aequo iure regnantibus.* 10. *Lucii, ingenio parum civili, expeditio contra Parthos et triumphus inde revectus.* 11. *Marci doctrina, mores aequi, bella contra Germanos et Marcomannos, quorum hoc longe gravissimum triumpho celebrat.* 15. *Antoninus Commodus, a patre heres regni, addito solemni hinc Caesaris nomine, antea constitutus, moribus dissimilis, contra Germanos feliciter pugnat.* 16. *Helvius Pertinax, grandaevus iam ad imperium evectus, post* 80 *dies militum seditione perit.* 17. *Salvius Iulianus, iure peritissimus, a Severo victus post* 7 *mensium imperium interficitur.* 18. 19. *Septimius Severus, Afer, moribus saevis, ceterum doctus, Pescennium Nigrum et Clodium Albinum, imperii aemulos, opprimit, Parthosque, Arabas et Adiabenos vincit, Britanniam etiam invadit.* 20. *Antonini Caracallae, a quo Antoninianae thermae factae sunt, asperitas et libido.* 21. *Opilii Macrini et Diadumeni, filii, breve imperium, et nulla re memorabile.* 22. *Aurelii Antonini Heliogobali vita impura.* 23. *Aurelius Alexander reportata de Persis victoria et disciplinae militaris severitate notus. Sub eo floruit Ulpianus ICtus.*

## Cap. I.

Anno octingentesimo et quinquagesimo ab urbe P.C.
condita, Vetere et Valente consulibus, respublica N.
ad prosperrimam statum rediit, bonis principibus 96
ingenti felicitate commissa. Domitiano enim, exitiabili tyranno, NERVA successit, vir in privata vita moderatus et strenuus; nobilitatis mediae. Qui senex admodum, operam dante Petronio Secundo,

praefecto praetorio, item Parthenio, interfectore Domitiani, imperator factus, aequissimum se et civilissimum praebuit. Reipublicae divina provi-
P.C. sione consuluit, Traianum adoptando. Mortuus
N. est Romae post annum et quatuor menses imperii
98 sui, ac dies octo, aetatis septuagesimo et altero; atque inter divos relatus est.

Cap. II. Successit ei ULPIUS CRINITUS TRAIANUS, natus Italicae in Hispania, familia antiqua magis, quam clara. Nam pater eius primum cos. fuit: imperator autem apud Agrippinam in Galliis factus est. Rempublicam ita administravit, ut omnibus principibus merito praeferatur. Inusitatae civilitatis et fortitudinis fuit. Romani imperii, quod post Augustum defensum magis fuerat, quam nobiliter ampliatum, fines longe
P.C. lateque diffudit: urbes trans Rhenum in Germania
N. reparavit: Daciam, Decebalo victo, subegit, pro-
106 vincia trans Danubium facta in his agris, quos nunc Thaiphali habent, Victoali et Theruingi. Ea provincia decies centena millia passuum in circuitu tenuit.

P.C. Cap. III. Armeniam, quam occupaverant Par-
N. thi, recepit, Parthamasire occiso, qui eam tene-
114 bat. Albanis regem dedit. Iberorum regem, et Sauromatarum, et Bosporanorum, et Arabum, et Osdroenorum, et Colchorum in fidem accepit. Corduenos, Mardos, Medos occupavit, et Anthemusiam, magnam Persidis regionem, Seleuciam et Ctesiphontem, Babylonem et Messenios vicit ac tenuit: usque ad Indiae fines et mare rubrum accessit, atque ibi tres provincias fecit, Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam, cum his gentibus, quae Madenam attingunt. Arabiam postea in provinciae formam redegit. In mari rubro classem instituit, ut per eam Indiae fines vastaret.

Cap. IV. Gloriam tamen militarem civilitate et moderatione superavit, Romae et per provincias aequalem se omnibus exhibens; amicos salutandi causa frequentans, vel aegrotantes, vel, cum festos dies habuissent, convivia cum iisdem indiscreta vicissim habens; saepe in vehiculis eorum sedens; nullum senatorum laedens; nihil iniustum ad augendum fiscum agens; liberalis in cunctos, publice privatimque ditans omnes et honoribus augens, quos vel mediocri familiaritate cognovisset; orbem terrarum aedificans; multas immunitates civitatibus tribuens; nihil non tranquillum et placidum agens, adeo, ut omni eius aetate unus senator damnatus sit, atque is tamen per senatum, ignorante Traiano. Ob haec per orbem terrarum Deo proximus, nihil non venerationis meruit et vivus et mortuus.

Cap. V. Inter alia dicta hoc ipsius fertur egregium. Amicis eum culpantibus, quod nimis circa omnes communis esset, respondit: *Talem se imperatorem esse privatis, quales esse sibi imperatores privatus optasset.* Post ingentem igitur gloriam, belli domique quaesitam, e Perside rediens, apud Seleuciam Isauriae profluvio ventris exstinctus est. Obiit autem aetatis anno LXIII. mense nono et die quarto: imperii XIX. mense VI. die XV. Inter divos relatus est, solusque omnium intra urbem sepultus. Ossa eius collocata in urna aurea in foro, quod aedificavit, sub columna sita sunt, cuius altitudo CXLIV pedes habet. Huius tantum memoriae delatum est, ut usque ad nostram aetatem non aliter in senatu principibus acclametur, nisi FELICIOR AUGUSTO, MELIOR TRAIANO. Adeo in eo gloria bonitatis obtinuit, ut vel assentantibus, vel vere laudantibus occasionem magnificentissimi praestet exempli.

P. C. N. 117 Cap. VI. (III.) Defuncto Traiano, AELIUS HADRIANUS creatus est princeps; sine aliqua quidem voluntate Traiani, sed operam dante Plotina, Traiani uxore. Nam eum Traianus, quanquam consobrinae filium, vivus noluerat adoptare. Natus et ipse Italicae in Hispania; qui, Traiani gloriae invidens, statim provincias tres reliquit, quas Traianus addiderat; et de Assyria, Mesopotamia et Armenia revocavit exercitus, ac finem imperii esse voluit Euphratem. Idem de Dacia facere conatum amici deterruerunt, ne multi cives Romani barbaris traderentur; propterea quod Traianus, victa Dacia, ex toto orbe Romano infinitas eo copias hominum transtulerat, ad agros et urbes colendas. Dacia enim diuturno bello Decebali viris fuerat exhausta.

Cap. VII. Pacem tamen omni tempore imperii sui habuit, semel tantum per praesidem dimicavit; orbem Romanum circumiit; multa aedificavit. Facundissimus Latino sermone, Graeco eruditissimus fuit; non magnam clementiae gloriam habuit; diligentissimus tamen circa aerarium et militum disciplinam. Obiit in Campania, maior sexagenario, imperii anno XXI. mense X. die XXIX. Senatus ei tribuere noluit divinos honores; tamen cum successor ipsius Titus Aurelius Fulvius Antoninus hoc vehementer exigeret, et universi senatores palam resisterent, tandem obtinuit.

P. C. N. 138

Cap. VIII. (IV.) Ergo Hadriano successit T. ANTONINUS FULVIUS BOIONIUS, idem etiam PIUS nominatus; genere claro, sed non admodum vetere; vir insignis; et qui merito Numae Pompilio conferatur, ita ut Romulo Traianus aequatur. Vixit ingenti honestate privatus, maiori in imperio; nulli acerbus, cunctis benignus: in re militari moderata gloria, defendere magis provincias, quam

amplificare studens: viros aequissimos ad administrandam rempublicam quaerens: bonis honorem habens, improbos sine aliqua acerbitate detestans: regibus amicis venerabilis non minus, quam terribilis, adeo ut barbarorum plurimae nationes, depositis armis, ad eum controversias suas litesque deferrent, sententiaeque eius parerent. Hic ante imperium ditissimus, opes quidem omnes suas stipendiis militum, et circa amicos liberalitatibus minuit; verum aerarium opulentum reliquit. PIUS P.C.
propter clementiam dictus est. Obiit apud Lorium, N.
villam suam, milliario ab urbe XII, vitae anno 161
LXXIII, imperii XXIII, atque inter divos relatus est, et merito consecratus.

Cap IX. (V.) Post hunc imperavit MARCUS ANTONINUS VERUS, haud dubie nobilissimus; quippe cum eius origo paterna a Numa Pompilio, materna a Sallentino rege penderet; et cum eo L. ANTONINUS VERUS. Tumque primum Romana respublica duobus, aequo iure imperium administrantibus, paruit, cum usque ad eos singulos semper habuisset Augustos.

Cap. X. Hi et genere inter se coniuncti fuerunt et affinitate. Nam Verus Antoninus M. Antonini filiam in matrimonium habuit: M. autem Antoninus gener Antonini Pii fuit per uxorem Galeriam Faustinam iuniorem, consobrinam suam. Hi bellum contra Parthos gesserunt; qui post victoriam Traiani tunc primum rebellaverant. Verus Antoninus ad id profectus est: qui Antiochiae et circa Armeniam agens, multa per duces, et ingentia patravit: Seleuciam, Assyriae urbem nobilissimam, cum quadraginta millibus hominum cepit: Parthicum triumphum revexit; cum fratre eodem- P.C.
que socero triumphavit. Obiit tamen in Venetia, N.
cum a Concordia civitate Altinum proficisceretur, 169

et cum fratre in vehiculo sederet, subito sanguine ictus, casu morbi, quem Graeci ἀπόπληξιν vocant. Vir ingenii parum civilis; reverentia tamen fratris nihil unquam atrox ausus. Cum obisset undecimo imperii anno, inter deos relatus est.

Cap. XI. (VI.) Post eum MARCUS ANTO-
P.C. NINUS solus rempublicam tenuit, vir, quem mi-
N. rari facilius quis, quam laudare possit. A princi-
172 pio vitae tranquillissimus, adeo ut in infantia quoque vultum nec ex gaudio, nec ex moerore mutaret. Philosophiae deditus Stoicae; ipse etiam non solum vitae moribus, sed etiam eruditione philosophus: tantae admirationis adhuc iuvenis, ut eum successorem paraverit Hadrianus relinquere: adoptato tamen Antonino Pio, generum esse ei idcirco voluerit, ut hoc ordine ad imperium perveniret.

Cap. XII. Institutus est ad philosophiam per Apollonium Chalcedonium; ad scientiam literarum Graecarum per Sextum Chaeronensem, Plutarchi nepotem; Latinas autem literas eum Fronto, orator nobilissimus, docuit. Hic cum omnibus Romae aequo iure egit, ad nullam insolentiam elatus imperii fastigio: liberalitatis promtissimae: provincias ingenti benignitate et moderatione tractavit. Contra Germanos eo principe res feliciter gestae sunt. Bellum ipse unum gessit Marcomannicum, sed quantum nulla memoria fuit, adeo ut Punicis conferatur. Nam eo gravius est factum, quod universi exercitus Romani perierant. Sub hoc enim tantus casus pestilentiae fuit, ut post victoriam Persicam, Romae ac per Italiam provinciasque maxima hominum pars, militum omnes fere copiae languore defecerint.

Cap. XIII. Ingenti ergo labore et moderatione, cum apud Carnuntum iugi triennio perseverasset, bellum Marcomannicum confecit, quod cum

his Quadi, Vandali, Sarmatae, Suevi atque omnis barbaria commoverat: multa hominum millia interfecit, ac, Pannoniis servitio liberatis, Romae rursus cum Commodo Antonino, filio suo, quem iam Caesarem fecerat, triumphavit. Ad huius belli usum, aerario exhausto, cum largitiones nullas haberet, neque indicere provincialibus aut senatui aliquid vellet, instrumentum regii cultus, facta in foro divi Traiani sectione, distraxit: vasa aurea, pocula crystallina et murrhina, uxoriam ac suam sericam et auream vestem, multa ornamenta gemmarum; ac per duos continuos menses ea venditio habita est, multumque auri redactum. Post victoriam tamen emtoribus pretia restituit, qui reddere comparata voluerunt: molestus nulli fuit, qui maluit semel emta retinere.

Cap. XIV. Hic permisit viris clarioribus, ut convivia eodem cultu, quo ipse, et ministris similibus, exhiberent. In editione munerum post victoriam adeo magnificus fuit, ut centum simul leones exhibuisse tradatur. Cum igitur fortunatam rempublicam et virtute et mansuetudine reddidisset, obiit XVIII imperii anno, vitae LXI, et omnibus certatim annitentibus, inter divos relatus est. P. C. N. 180

Cap. XV. (VII.) Huius successor L. ANTONINUS COMMODUS nihil paternum habuit, nisi quod contra Germanos feliciter et ipse pugnavit. Septembrem mensem ad nomen suum transferre conatus est, ut Commodus diceretur. Sed luxuria et obscenitate depravatus, gladiatoriis armis saepissime in ludo, deinceps etiam in amphitheatro cum huiusmodi hominibus saepe dimicavit. Obiit morte subita, atque adeo, ut strangulatus, vel veneno interfectus putaretur, cum annis XII post patrem et VIII mensibus imperasset; tanta exsecra- P. C. N. 192

tione omnium, ut hostis humani generis etiam mortuus iudicaretur.

Cap. XVI. (VIII.) Huic successit PERTINAX, grandaevus iam, ut qui septuagenariam attigisset aetatem; praefecturam urbi tunc agens, ex S. C.
P. C. imperare iussus. Octogesimo imperii die, praeto-
N. rianorum militum seditione, et Iuliani scelere oc-
193 cisus est.

Cap. XVII. (IX.) Post eum SALVIUS IULIANUS rempublicam invasit, vir nobilis et iure peritissimus; nepos Salvii Iuliani, qui sub divo Hadriano *perpetuum* composuit *edictum*. Victus est a Severo apud Mulvium pontem, interfectus in palatio. Vixit mensibus septem, postquam coeperat imperare.

Cap. XVIII. (X.) Hinc imperii Romani administrationem SEPTIMIUS SEVERUS accepit; oriundus ex Africa, provincia Tripolitana, oppido Lepti. Solus omni memoria et ante et postea ex Africa imperator fuit. Hic primum fisci advocatus, mox militaris tribunus, per multa deinde ac varia officia atque honores usque ad administrationem totius reipublicae venit. Pertinacem se appellari voluit, in honorem eius Pertinacis, qui a Iuliano fuerat occisus. Parcus admodum fuit, natura saevus: bella multa, et feliciter gessit. Pescennium Nigrum, qui in Aegypto et Syria rebellaverat, apud Cyzicum interfecit. Parthos vicit, et Arabas interiores, et Adiabenos. Arabas eo usque superavit, ut etiam provinciam ibi faceret; idcirco Parthicus, Arabicus, Adiabenicus dictus est. Multa toto Romano orbe reparavit. Sub eo etiam Clo-
P. C. dius Albinus, qui in occidendo Pertinace socius
N. fuerat Iuliano, Caesarem se in Gallia fecit, victus-
197 que apud Lugdunum est et interfectus.

Cap. XIX. Severus autem, praeter bellicam

gloriam, etiam civilibus studiis clarus fuit, et lite-
ris doctus, philosophiae scientiam ad plenum ade- P.C.
ptus. Novissimum bellum in Britannia habuit, ut- N.
que receptas provincias omni securitate muniret, 208
vallum per XXXII millia passuum a mari ad mare P.C.
deduxit. Decessit Eboraci admodum senex, impe- N.
rii anno sexto decimo, mense tertio, et divus ap- 211
pellatus est. Filios duos successores reliquit,
Bassianum et Getam: sed Bassiano Antonini nomen
a senatu voluit imponi. Itaque dictus est M. Aure-
lius Antoninus Bassianus, patrique successit. Nam
Geta, hostis publicus iudicatus, confestim periit.

Cap. XX. (XI.) MARCUS igitur AURELIUS
ANTONINUS BASSIANUS, idemque CARACAL-
LA, morum fere paternorum fuit; paullo asperior
et minax. Opus Romae egregium fecit lavacri,
quae Antoninianae appellantur; nihil praeterea me-
morabile. Impatiens libidinis, ut qui novercam P.C.
suam Iuliam uxorem duxerit. Defunctus est in N.
Osdroene apud Edessam, moliens adversum Par- 217
thos expeditionem, anno imperii VI. mense II. vix
egressus aetatis XLIII annum; funere publico ela-
tus est.

Cap. XXI. (XII.) OPILIUS deinde MACRI-
NUS, qui praefectus praetorio erat, cum filio DIA-
DUMENO facti imperatores, nihil memorabile ex
temporis brevitate gesserunt. Nam imperium eo- P.C.
rum duum mensium et unius anni fuit. Seditione N.
militari ambo pariter occisi sunt. 218

Cap. XXII. (XIII.) Creatus est post hos M.
AURELIUS ANTONINUS. Hic Antonini Cara-
callae filius putabatur: sacerdos autem Helioga-
bali templi erat. Is cum Romam ingenti et mili-
tum et senatus exspectatione venisset, probris se P.C.
omnibus contaminavit. Impudicissime et obsce- N.
nissime vixit, biennioque post et VIII mensibus 222

senator esset. Is, bello adversus Germanos felici-
P. C. ter gesto, cum a militibus imperator esset appella-
N. tus, a Pupieno Aquileiae occisus est, deferentibus
238 eum militibus suis, cum filio adhuc puero; cum
quo imperaverat triennio et paucis diebus.

Cap. II. Postea tres simul Augusti fuerunt, PUPIENUS, BALBINUS et GORDIANUS: duo superiores obscurissimo genere; Gordianus nobilis; quippe cuius pater, senior Gordianus, consensu militum, cum proconsulatum Africae ageret, Ma-
P. C. ximino imperante, princeps fuisset electus. Itaque
N. cum Romam venisset, Balbinus et Pupienus in pa-
238 latio interfecti sunt; soli Gordiano imperium reser-
P. C. vatum. Gordianus admodum puer, cum Tranquil-
N. linam Romae duxisset uxorem, Ianum geminum
242 aperuit, et ad orientem profectus, Parthis bellum
intulit, qui iam moliebantur erumpere. Quod qui-
P. C. dem mox feliciter gessit, proeliisque ingentibus
N. Persas afflixit. Rediens haud longe a Romanis fi-
244 nibus interfectus est fraude Philippi, qui post eum
imperavit. Miles ei tumulum vigesimo milliario a Circesso, quod castrum nunc Romanorum est, Euphrati imminens, aedificavit, exsequias Romam revexit, ipsum divum appellavit.

Cap. III. PHILIPPI duo, filius ac pater, Gordiano occiso, imperium invaserunt, atque, exercitu incolumi reducto, ad Italiam e Syria profe-
P. C. cti sunt. His imperantibus millesimus annus Ro-
N. mae urbis ingenti ludorum apparatu spectaculo-
248 rumque celebratus est. Ambo deinde ab exercitu
interfecti sunt: senior Philippus Veronae, Romae iunior. Annis quinque imperaverunt. Inter divos tamen relati sunt.

Cap. IV. Post hos DECIUS e Pannonia inferiore, Budaliae natus, imperium sumsit. Bellum civile, quod in Gallia motum fuerat, oppressit.

Filium suum Caesarem fecit. Romae lavacrum aedificavit. Cum biennio ipse et filius imperas- P.C.
sent, uterque in barbarico interfecti sunt, et inter N.
divos relati. 251

Cap. V. Mox imperatores creati sunt GALLUS HOSTILIANUS et Galli filius, VOLUSIANUS. Sub his Aemilianus in Moesia res novas molitus est: ad quem opprimendum cum ambo profecti essent, Interamnae interfecti sunt, non completo biennio. Nihil omnino clarum gesserunt. P.C.
Sola pestilentia, et morbis, atque aegritudinibus N.
notus eorum principatus fuit. 253

Cap. VI. (V.) AEMILIANUS obscurissime natus, obscurius imperavit, ac tertio mense exstinctus est.

Cap. VII. (VI.) Hinc LICINIUS VALERIA- P.C
NUS, in Raetia et Norico agens, ab exercitu impe- N.
rator, et mox Augustus est factus. GALLIENUS 253
quoque Romae a senatu Caesar est appellatus. Horum imperium Romano nomini perniciosum et paene exitiabile fuit, vel infelicitate principum, vel ignavia. Germani Ravennam usque venerunt. Valerianus, in Mesopotamia bellum gerens, a Sa- P.C.
pore, Persarum rege, superatus est: mox etiam ca- N.
ptus apud Parthos ignobili servitute consenuit. 259

Cap. VIII. Gallienus, cum adolescens factus esset Augustus, imperium primum feliciter, mox commode, ad ultimum perniciose gessit. Nam iuvenis in Gallia et Illyrico multa strenue fecit, occiso apud Mursam Ingenuo, qui purpuram sumserat, et Regaliano. Diu placidus et quietus, mox in omnem lasciviam dissolutus, tenendae reipublicae habenas probrosa ignavia et desperatione laxavit. Alamanni, vastatis Galliis, in Italiam penetraverunt. Dacia, quae a Traiano ultra Danubium fuerat adiecta, amissa est. Graecia, Macedonia,

damnavit: saevus et sanguinarius, ac necessarius magis in quibusdam, quam in ullo amabilis imperator. Trux omni tempore, etiam filii sororis interfector: disciplinae tamen militaris et morum dissolutorum magna ex parte corrector.

Cap. XV. Urbem Romam muris firmioribus cinxit: templum Soli aedificavit, in quo infinitum auri gemmarumque constituit. Provinciam Daciam, quam Traianus ultra Danubium fecerat, intermisit, vastato omni Illyrico et Moesia, desperans, eam posse retineri: abductosque Romanos ex urbibus et agris Daciae in media Moesia collocavit, appellavitque eam Daciam, quae nunc duas Moesias dividit et est in dextra Danubio, in mare fluenti, cum antea fuerit in laeva. Occiditur servi sui fraude, qui ad quosdam militares viros, amicos ipsius, nomina pertulit annotata, falso manum eius imitatus, tanquam Aurelianus ipsos pararet occidere. Itaque ut praeveniretur, ab iisdem interfectus est in itineris medio, quod inter Constantinopolin et Heracleam est stratae veteris. Locus Caenophrurium appellatur. Mors tamen eius inulta non fuit. Meruit quoque inter divos referri. Imperavit annos quinque, menses VI.

Cap. XVI. (X.) TACITUS post hunc suscepit imperium; vir egregie moratus, et reipublicae gerendae idoneus. Nihil tamen clarum potuit
P.C. ostendere, intra sextum mensem imperii morte
N. praeventus. FLORIANUS, qui Tacito successerat,
276 duobus mensibus et diebus XX in imperio fuit; neque quicquam dignum memoria egit.

Cap. XVII. (XI.) Post hunc PROBUS, vir
P.C. illustris gloria militari, ad administrationem reipu-
N. blicae accessit. Gallias a barbaris occupatas in-
276 genti proeliorum felicitate restituit. Quosdam imperium usurpare conatos, scilicet Saturninum in

Oriente, Proculum et Bonosum Agrippinae, multis
certaminibus oppressit. Vineas Gallos et Pannonios
habere permisit; opere militari Almam montem
apud Sirmium, et Aureum apud Moesiam superiorem vineis conseruit, et provincialibus colendas dedit. Hic cum bella innumera gessisset, pace parata
dixit, *brevi milites necessarios non futuros*. Vir acer,
strenuus, iustus, et qui Aurelianum aequaret glo- P. C.
ria militari, morum autem civilitate superaret. In- N.
terfectus est tamen Sirmii, tumultu militari, in tur- 282
ri ferrata. Imperavit annos VI. menses quatuor.

Cap. XVIII. (XII.) Post hunc CARUS est factus Augustus, Narbone natus in Gallia, qui confestim Carinum et Numerianum, filios, Caesares fecit, cum quibus regnavit duobus annis. Sed dum
bellum adversum Sarmatas gerit, nuntiato Persarum tumultu ad Orientem profectus, res contra
Persas nobiles gessit: ipsos proelio fudit: Cochen P. C.
et Ctesiphontem, urbes nobilissimas, cepit: et cum N.
castra supra Tigridem haberet, ictu divini fulmi- 284
nis periit. NUMERIANUS quoque, filius eius,
quem secum ad Persas duxerat, adolescens egregiae indolis, cum oculorum dolore correptus in lecticula veheretur, impulsore Apro, qui socer eius P. C.
erat, per insidias occisus est; et cum dolo occulta- N.
retur ipsius mors, quousque Aper invadere posset 284
imperium, foetore cadaveris prodita est. Milites
enim, qui eum sequebantur, foetore commoti, diductis lecticulae palliis, post aliquot dies mortem
eius notam habere potuerunt.

Cap. XIX. Interea CARINUS, quem Caesarem ad Parthos proficiscens Carus in Illyrico, Gallia, Italia reliquerat, omnibus se sceleribus inquinavit: plurimos innoxios, fictis criminibus, occidit: matrimonia nobilia corrupit; condiscipulis
quoque, qui eum in auditorio vel levi fatigatione

taxaverant, perniciosus fuit. Ob quae omnibus hominibus invisus, non multo post poenas dedit. (XIII.) Nam de Perside victor exercitus rediens, cum Carum Augustum fulmine, Numerianum Caesarem insidiis perdidisset, DIOCLETIANUM imperatorem creavit, Dalmatia oriundum, virum obscurissime natum, adeo ut a plerisque scribae filius, a nonnullis Anulini senatoris libertinus fuisse credatur.

Cap. XX. Is prima militum concione iuravit, Numerianum nullo suo dolo interfectum, et cum iuxta eum Aper, qui Numeriano insidias fecerat, constitisset, in conspectu exercitus manu Diocle-
P. C. tiani percussus est. Postea Carinum, omnium odio
N. et detestatione viventem, apud Margum ingenti
285 proelio vicit, proditum ab exercitu suo, quem fortiorem habebat; certe desertum, inter Viminacium atque Aureum montem. Ita rerum Romanarum potitus, cum tumultum rusticani in Gallia concitassent, et factioni suae Bacaudarum nomen impo-
P. C. nerent, duces autem haberent Amandum et Aelia-
N. num, ad subigendos eos Maximianum Herculium
286 Caesarem misit, qui levibus proeliis agrestes domuit, et pacem Galliae reformavit.

Cap. XXI. Per haec tempora etiam Carausius, qui vilissime natus, strenuae militiae ordine famam egregiam fuerat consecutus, cum apud Bononiam per tractum Belgicae et Armoricae pacandum mare accepisset, quod Franci et Saxones infestabant, multis barbaris saepe captis, nec praeda integra aut provincialibus reddita, aut imperatoribus missa, cum suspicio esse coepisset, consulto ab eo ad-
P. C. mitti barbaros, ut transeuntes cum praeda excipe-
N. ret, atque hac se occasione ditaret; a Maximia-
286 no iussus occidi, purpuram sumsit, et Britannias occupavit.

Cap. XXII. (XIV.) Ita cum per omnem orbem
terrarum res turbatae essent, Carausius in Britan-
niis rebellaret, Achilleus in Aegypto, Africam
Quinquegentiani infestarent, Narseus Orienti bel- P. C.
lum inferret, Diocletianus MAXIMIANUM HERCU- N.
LIUM ex Caesare fecit Augustum, Constantium et 286
Maximianum Caesares: quorum Constantius per fi-
liam nepos Claudii traditur: Maximianus Galerius
in Dacia haud longe a Sardica natus. Atque ut eos
etiam affinitate coniungeret, Constantius privi-
gnam Herculii Theodoram accepit, ex qua postea
sex liberos, Constantini fratres, habuit: Galerius
filiam Diocletiani Valeriam: ambo uxores, quas P. C.
habuerant, repudiare compulsi. Cum Carausio N.
tamen, cum bella frustra tentata essent contra vi- 289
rum rei militaris peritissimum, ad postremum pax P. C.
convenit. Eum post septennium Allectus, socius N.
eius, occidit, atque ipse post eum Britannias trien- 293
nio tenuit: qui ductu Asclepiodoti, praefecti prae-
torio, est oppressus. Ita Britanniae decimo anno 296
receptae.

Cap. XXIII. (XV.) Per idem tempus a Con- P. C.
stantino Caesare in Gallia pugnatum est circa Lin- N.
gonas: die una adversam et secundam fortunam 296
expertus est. Nam cum, repente barbaris ingru-
entibus, intra civitatem esset coactus, tam praeci-
piti necessitate, ut clausis portis in murum funi-
bus tolleretur; vix quinque horis mediis, adven-
tante exercitu, sexaginta fere millia Alamannorum
cecidit. Maximianus quoque Augustus bellum in P. C.
Africa profligavit, domitis Quinquegentianis, et ad N.
pacem redactis. Diocletianus obsessum Alexan- 297
driae Achilleum octavo fere mense superavit, eum-
que interfecit. Victoria acerbe usus est; totam
Aegyptum gravibus proscriptionibus caedibusque
foedavit. Ea tamen occasione ordinavit provide

tione omnium, ut hostis humani generis etiam mortuus iudicaretur.

Cap. XVI. (VIII.) Huic successit PERTINAX, grandaevus iam, ut qui septuagenariam attigisset aetatem; praefecturam urbi tunc agens, ex S. C.
P. C. imperare iussus. Octogesimo imperii die, praeto-
N. rianorum militum seditione, et Iuliani scelere oc-
193 cisus est.

Cap. XVII. (IX.) Post eum SALVIUS IULIANUS rempublicam invasit, vir nobilis et iure peritissimus; nepos Salvii Iuliani, qui sub divo Hadriano *perpetuum* composuit *edictum*. Victus est a Severo apud Mulvium pontem, interfectus in palatio. Vixit mensibus septem, postquam coeperat imperare.

Cap. XVIII. (X.) Hinc imperii Romani administrationem SEPTIMIUS SEVERUS accepit; oriundus ex Africa, provincia Tripolitana, oppido Lepti. Solus omni memoria et ante et postea ex Africa imperator fuit. Hic primum fisci advocatus, mox militaris tribunus, per multa deinde ac varia officia atque honores usque ad administrationem totius reipublicae venit. Pertinacem se appellari voluit, in honorem eius Pertinacis, qui a Iuliano fuerat occisus. Parcus admodum fuit, natura saevus: bella multa, et feliciter gessit. Pescennium Nigrum, qui in Aegypto et Syria rebellaverat, apud Cyzicum interfecit. Parthos vicit, et Arabas interiores, et Adiabenos. Arabas eo usque superavit, ut etiam provinciam ibi faceret; idcirco Parthicus, Arabicus, Adiabenicus dictus est. Multa toto Romano orbe reparavit. Sub eo etiam Clo-
P. C. dius Albinus, qui in occidendo Pertinace socius
N. fuerat Iuliano, Caesarem se in Gallia fecit, victus-
197 que apud Lugdunum est et interfectus.

Cap. XIX. Severus autem, praeter bellicam

gloriam, etiam civilibus studiis clarus fuit, et literis doctus, philosophiae scientiam ad plenum adeptus. Novissimum bellum in Britannia habuit, utque receptas provincias omni securitate muniret, vallum per XXXII millia passuum a mari ad mare deduxit. Decessit Eboraci admodum senex, imperii anno sexto decimo, mense tertio, et divus appellatus est. Filios duos successores reliquit, Bassianum et Getam: sed Bassiano Antonini nomen a senatu voluit imponi. Itaque dictus est M. Aurelius Antoninus Bassianus, patrique successit. Nam Geta, hostis publicus iudicatus, confestim periit.
P.C.
N.
208
P.C.
N.
211

Cap. XX. (XI.) MARCUS igitur AURELIUS ANTONINUS BASSIANUS, idemque CARACALLA, morum fere paternorum fuit; paullo asperior et minax. Opus Romae egregium fecit lavacri, quae Antoninianae appellantur; nihil praeterea memorabile. Impatiens libidinis, ut qui novercam suam Iuliam uxorem duxerit. Defunctus est in Osdroene apud Edessam, moliens adversum Parthos expeditionem, anno imperii VI. mense II. vix egressus aetatis XLIII annum; funere publico elatus est.
P.C.
N.
217

Cap. XXI. (XII.) OPILIUS deinde MACRINUS, qui praefectus praetorio erat, cum filio DIADUMENO facti imperatores, nihil memorabile ex temporis brevitate gesserunt. Nam imperium eorum duum mensium et unius anni fuit. Seditione militari ambo pariter occisi sunt.
P.C.
N.
218

Cap. XXII. (XIII.) Creatus est post hos M. AURELIUS ANTONINUS. Hic Antonini Caracallae filius putabatur: sacerdos autem Heliogabali templi erat. Is cum Romam ingenti et militum et senatus exspectatione venisset, probris se omnibus contaminavit. Impudicissime et obscenissime vixit, bienioque post et VIII mensibus
P.C.
N.
222

tumultu interfectus est militari; et cum eo mater Soaemia Syra.

Cap. XXIII. (XIV.) Successit huic AURELIUS ALEXANDER; ab exercitu Caesar, a Senatu Augustus nominatus, iuvenis admodum: susceptoque adversus Persas bello, Xerxen eorum regem gloriosissime vicit. Militarem disciplinam severissime rexit: quasdam tumultuantes legiones integras exauctoravit. Assessorem habuit, vel scrinii ma-
P. C. gistrum, Ulpianum, iuris conditorem. Romae quo-
N. que favorabilis fuit. Periit in Gallia, militari tu-
235 multu, tertio decimo imperii anno et die VIII, in matrem suam Mammaeam unice pius.

# LIBER NONUS.

## ARGUMENTUM.

1. *Maximinus bellum adversus Germanos feliciter gerit et a Pupieno interficitur.* 2. *Tres simul inde Augusti, Pupienus, Balbinus et Gordianus, qui, illis interfectis, solus imperium obtinet, Ianique portis apertis, Persas vincit.* 3. *Philippi duo, pater et filius, sub quibus annus Romae conditae millesimus celebratus est.* 4. *Decius bellum Gallicum comprimit, et cum filio, Caesare facto, post biennium occiditur.* 5. *Gallus, Hostilianus, et Volusianus eius filius nihil omnino clarum gesserunt.* 6. *Aemiliani breve et obscurum imperium.* 7-10. *Licinii Valeriani et Gallieni imperium vel infelicitate, vel ignavia, propter barbarorum incursiones perniciosum. Plures purpuram sumunt, Postumus, Marius Victorinus, Tetricus, Odenathus.* 11. *Claudius*

*caedit Gothos et, cum bene regnasset, post mortem a Senatu ingenti honore condecoratur.* 15. *Quintilli, egregii principis, breve imperium.* 13 - 15. *Aurelianus vincit Gothos; Romanam ditionem ad pristinos fines revocat; Tetricum in Gallia superat; Zenobiam in Oriente capit, monetariorum in urbe seditionem reprimit; cetera crudelis.* 16. *Taciti, egregie morati, breve imperium, nec magis diuturnum Floriani.* 17. *Probus, gloria militari et morum civilitate insignis, Gallias recipit, a barbaris occupatas, et vinearum culturam adiuvat.* 18. *Carus in bello contra Persas prospere gesto fulminis ictu perit; ex filiis, quos Caesares fecerat, Numerianus, patrem in Persico bello comitatus, per insidias perit.* 19. *Carinus, ob scelera invisus, a suis deseritur. Diocletianus, ab exercitu imperator creatus,* 20. *Carino oppresso, per Maximianum Herculium, Caesarem renuntiatum, Bacaudarum in Gallia seditionem domat.* 21 - 23. *Carausius in Britannia, Achilleus in Aegypto imperium arripiunt; Africam Quinquegentiani infestant; ad quos motus comprimendos Diocletianus Maximianum Herculium Augustum facit; Constantium et Maximianum Galerium Caesares. Alamanni a Constantio caeduntur.* 24. 25. *Maximianus Galerius Narseum, Persarum regem, primum victus, post magna clade afficit. Varia deinceps simul et singulatim bella gerunt, et Carpos, Basternas et Sarmatas subigunt.* 26 - 28. *Diocletiani et Maximiani Herculii, qui ambo, imperio deposito, ad privatam vitam concesserunt, mores et ingenium.*

## Cap. I.

Posthunc MAXIMINUS ex corpore militari primus ad imperium accessit, sola militum voluntate, cum nulla senatus intercessisset auctoritas, neque ipse P. C. N. 235

senator esset. Is, bello adversus Germanos feliciter gesto, cum a militibus imperator esset appellatus, a Pupieno Aquileiae occisus est, deferentibus eum militibus suis, cum filio adhuc puero; cum quo imperaverat triennio et paucis diebus.

P. C. N. 238

Cap. II. Postea tres simul Augusti fuerunt, PUPIENUS, BALBINUS et GORDIANUS: duo superiores obscurissimo genere; Gordianus nobilis; quippe cuius pater, senior Gordianus, consensu militum, cum proconsulatum Africae ageret, Maximino imperante, princeps fuisset electus. Itaque cum Romam venisset, Balbinus et Pupienus in palatio interfecti sunt; soli Gordiano imperium reservatum. Gordianus admodum puer, cum Tranquillinam Romae duxisset uxorem, Ianum geminum aperuit, et ad orientem profectus, Parthis bellum intulit, qui iam moliebantur erumpere. Quod quidem mox feliciter gessit, proeliisque ingentibus Persas afflixit. Rediens haud longe a Romanis finibus interfectus est fraude Philippi, qui post eum imperavit. Miles ei tumulum vigesimo milliario a Circesso, quod castrum nunc Romanorum est, Euphrati imminens, aedificavit, exsequias Romam revexit, ipsum divum appellavit.

P. C. N. 238 — P. C. N. 242 — P. C. N. 244

Cap. III. PHILIPPI duo, filius ac pater, Gordiano occiso, imperium invaserunt, atque, exercitu incolumi reducto, ad Italiam e Syria profecti sunt. His imperantibus millesimus annus Romae urbis ingenti ludorum apparatu spectaculorumque celebratus est. Ambo deinde ab exercitu interfecti sunt: senior Philippus Veronae, Romae iunior. Annis quinque imperaverunt. Inter divos tamen relati sunt.

P. C. N. 248

Cap. IV. Post hos DECIUS e Pannonia inferiore, Budaliae natus, imperium sumsit. Bellum civile, quod in Gallia motum fuerat, oppressit.

Filium suum Caesarem fecit. Romae lavacrum aedificavit. Cum biennio ipse et filius imperassent, uterque in barbarico interfecti sunt, et inter divos relati. P. C. N. 251

Cap. V. Mox imperatores creati sunt GALLUS HOSTILIANUS et Galli filius, VOLUSIANUS. Sub his Aemilianus in Moesia res novas molitus est: ad quem opprimendum cum ambo profecti essent, Interamnae interfecti sunt, non completo biennio. Nihil omnino clarum gesserunt. Sola pestilentia, et morbis, atque aegritudinibus notus eorum principatus fuit. P. C. N. 253

Cap. VI. (V.) AEMILIANUS obscurissime natus, obscurius imperavit, ac tertio mense exstinctus est.

Cap. VII. (VI.) Hinc LICINIUS VALERIANUS, in Raetia et Norico agens, ab exercitu imperator, et mox Augustus est factus. GALLIENUS quoque Romae a senatu Caesar est appellatus. Horum imperium Romano nomini perniciosum et paene exitiabile fuit, vel infelicitate principum, vel ignavia. Germani Ravennam usque venerunt. Valerianus, in Mesopotamia bellum gerens, a Sapore, Persarum rege, superatus est: mox etiam captus apud Parthos ignobili servitute consenuit. P. C. N. 253 P. C. N. 259

Cap. VIII. Gallienus, cum adolescens factus esset Augustus, imperium primum feliciter, mox commode, ad ultimum perniciose gessit. Nam iuvenis in Gallia et Illyrico multa strenue fecit, occiso apud Mursam Ingenuo, qui purpuram sumserat, et Regaliano. Diu placidus et quietus, mox in omnem lasciviam dissolutus, tenendae reipublicae habenas probrosa ignavia et desperatione laxavit. Alamanni, vastatis Galliis, in Italiam penetraverant. Dacia, quae a Traiano ultra Danubium fuerat adiecta, amissa est. Graecia, Macedonia,

Pontus, Asia vastata per Gothos. Pannonia a Sarmatis Quadisque populata est. Germani usque ad Hispanias penetraverunt, et civitatem nobilem Tarraconem expugnaverunt. Parthi, Mesopotamia occupata, Syriam sibi coeperunt vindicare.

Cap. IX. (VII.) Tum iam desperatis rebus, et delcto paene imperio Romano, POSTUMUS in Gallia, obscurissime natus, purpuram sumsit, et per annos decem ita imperavit, ut consumtas paene provincias ingenti virtute et moderatione reparaverit: qui seditione militum interfectus est, quod Mogontiacum, quae adversus eum rebellaverat, L. Aeliano, res novas moliente, diripiendam militibus tradere noluisset. Post eum Marius, vilissimus opifex, purpuram accepit, et secundo die interfectus est. Victorinus postea Galliarum accepit imperium, vir strenuissimus: sed cum nimiae libidinis esset, et matrimonia aliena corrumperet, Agrippinae occisus est, actuario quodam machinante dolum, imperii sui anno secundo.

Cap. X. Huic successit Tetricus senator, qui, Aquitaniam honore praesidis administrans, absens a militibus imperator electus est, et apud Burdigalam purpuram sumsit: seditiones multas militum pertulit. Sed dum haec in Gallia geruntur, in Oriente per Odenathum Persae victi sunt: defensa Syria, recepta Mesopotamia, usque ad Ctesiphontem Odenathus penetravit.

Cap. XI. Ita, Gallieno rempublicam deserente, Romanum imperium in Occidente per Postumum, per Odenathum in Oriente servatum est.
P. C. (VIII.) Gallienus interea Mediolani cum Valeria-
N. no fratre occisus est, imperii anno nono; CLAUDIUS-
268 que ei successit, a militibus electus, a senatu appellatus Augustus. Hic Gothos, Illyricum Macedoniamque vastantes, ingenti proelio vicit. Par-

cus vir ac modestus, et iusti tenax, ac reipubli- P.C.
cae gerendae idoneus: qui tamen intra imperii N.
biennium morbo interiit, et divus appellatus est. 270
Senatus ingenti eum honore decoravit, scilicet ut
in curia clypeus ipsi aureus, item in Capitolio statua aurea poneretur.

Cap. XII. QUINTILLUS post eum, Claudii frater, consensu militum imperator electus est; vir unicae moderationis et civilitatis, aequandus fratri, vel praeponendus. Consensu senatus appellatus Augustus, septimo decimo die imperii occisus est.

Cap. XIII. (IX.) Post eum AURELIANUS
suscepit imperium, Dacia Ripensi oriundus: vir in
bello potens, animi tamen immodici, et ad crude-
litatem propensioris, quique Gothos strenuissime P.C.
vicit. Romanam ditionem ad fines pristinos varia N.
bellorum felicitate revocavit. Superavit in Gallia 271
Tetricum apud Catalaunos, ipso Tetrico prodente
exercitum suum, cuius assiduas seditiones ferre
non poterat: quin etiam per literas occultas Aurelianum ita fuerat deprecatus, ut inter alia versu Virgiliano uteretur:

*Eripe me his, invicte, malis.*

Zenobiam quoque, quae, occiso Odenatho marito,
orientem tenebat, haud longe ab Antiochia sine P.C.
gravi proelio cepit, ingressusque Romam, nobilem N.
triumphum, quasi receptor Orientis Occidentisque, 275
egit, currum praecedentibus Tetrico et Zenobia;
qui quidem Tetricus corrector Lucaniae postea fuit, ac privatus diutissime vixit. Zenobia autem posteros, qui adhuc manent, Romae reliquit.

Cap. XIV. Hoc imperante etiam monetarii in urbe rebellaverunt, vitiatis pecuniis, et Felicissimo rationali interfecto: quos Aurelianus victos ultima crudelitate compescuit: plurimos nobiles capite

damnavit: saevus et sanguinarius, ac necessarius magis in quibusdam, quam in ullo amabilis imperator. Trux omni tempore, etiam filii sororis interfector: disciplinae tamen militaris et morum dissolutorum magna ex parte corrector.

Cap. XV. Urbem Romam muris firmioribus cinxit: templum Soli aedificavit, in quo infinitum auri gemmarumque constituit. Provinciam Daciam, quam Traianus ultra Danubium fecerat, intermisit, vastato omni Illyrico et Moesia, desperans, eam posse retineri: abductosque Romanos ex urbibus et agris Daciae in media Moesia collocavit, appellavitque eam Daciam, quae nunc duas Moesias dividit et est in dextra Danubio, in mare fluenti, cum antea fuerit in laeva. Occiditur servi sui fraude, qui ad quosdam militares viros, amicos ipsius, nomina pertulit annotata, falso manum eius imitatus, tanquam Aurelianus ipsos pararet occidere. Itaque ut praeveniretur, ab iisdem interfectus est in itineris medio, quod inter Constantinopolin et Heracleam est stratae veteris. Locus Caenophrurium appellatur. Mors tamen eius inulta non fuit. Meruit quoque inter divos referri. Imperavit annos quinque, menses VI.

Cap. XVI. (X.) TACITUS post hunc suscepit imperium; vir egregie moratus, et reipublicae gerendae idoneus. Nihil tamen clarum potuit
P. C. ostendere, intra sextum mensem imperii morte
N. praeventus. FLORIANUS, qui Tacito successerat,
276 duobus mensibus et diebus XX in imperio fuit; neque quicquam dignum memoria egit.

Cap. XVII. (XI.) Post hunc PROBUS, vir
P. C. illustris gloria militari, ad administrationem reipu-
N. blicae accessit. Gallias a barbaris occupatas in-
276 genti proeliorum felicitate restituit. Quosdam imperium usurpare conatos, scilicet Saturninum in

Oriente, Proculum et Bonosum Agrippinae, multis
certaminibus oppressit. Vineas Gallos et Pannonios
habere permisit; opere militari Almam montem
apud Sirmium, et Aureum apud Moesiam superio-
rem vineis conseruit, et provincialibus colendas de-
dit. Hic cum bella innumera gessisset, pace parata
dixit, *brevi milites necessarios non futuros*. Vir acer,
strenuus, iustus, et qui Aurelianum aequaret glo- P. C.
ria militari, morum autem civilitate superaret. In- N.
terfectus est tamen Sirmii, tumultu militari, in tur- 282
ri ferrata. Imperavit annos VI. menses quatuor.

Cap. XVIII. (XII.) Post hunc CARUS est fa-
ctus Augustus, Narbone natus in Gallia, qui con-
festim Carinum et Numerianum, filios, Caesares fe-
cit, cum quibus regnavit duobus annis. Sed dum
bellum adversum Sarmatas gerit, nuntiato Persa-
rum tumultu ad Orientem profectus, res contra
Persas nobiles gessit: ipsos proelio fudit: Cochen P. C.
et Ctesiphontem, urbes nobilissimas, cepit: et cum N.
castra supra Tigridem haberet, ictu divini fulmi- 284
nis periit: NUMERIANUS quoque, filius eius,
quem secum ad Persas duxerat, adolescens egregi-
ae indolis, cum oculorum dolore correptus in le-
cticula veheretur, impulsore Apro, qui socer eius P. C.
erat, per insidias occisus est; et cum dolo occulta- N.
retur ipsius mors, quousque Aper invadere posset 284
imperium, foetore cadaveris prodita est. Milites
enim, qui eum sequebantur, foetore commoti, di-
ductis lecticulae palliis, post aliquot dies mortem
eius notam habere potuerunt.

Cap. XIX. Interea CARINUS, quem Caesa-
rem ad Parthos proficiscens Carus in Illyrico, Gal-
lia, Italia reliquerat, omnibus se sceleribus inqui-
navit: plurimos innoxios, fictis criminibus, occi-
dit: matrimonia nobilia corrupit; condiscipulis
quoque, qui eum in auditorio vel levi fatigatione

taxaverant, perniciosus fuit. Ob quae omnibus hominibus invisus, non multo post poenas dedit. (XIII.) Nam de Perside victor exercitus rediens, cum Carum Augustum fulmine, Numerianum Caesarem insidiis perdidisset, DIOCLETIANUM imperatorem creavit, Dalmatia oriundum, virum obscurissime natum, adeo ut a plerisque scribae filius, a nonnullis Anulini senatoris libertinus fuisse credatur.

Cap. XX. Is prima militum concione iuravit, Numerianum nullo suo dolo interfectum, et cum iuxta eum Aper, qui Numeriano insidias fecerat, constitisset, in conspectu exercitus manu Diocle-
P.C. tiani percussus est. Postea Carinum, omnium odio
N. et detestatione viventem, apud Margum ingenti
285 proelio vicit, proditum ab exercitu suo, quem fortiorem habebat; certe desertum, inter Viminacium atque Aureum montem. Ita rerum Romanarum potitus, cum tumultum rusticani in Gallia concitassent, et factioni suae Bacaudarum nomen impo-
P.C. nerent, duces autem haberent Amandum et Aelia-
N. num, ab subigendos eos Maximianum Herculium
286 Caesarem misit, qui levibus proeliis agrestes domuit, et pacem Galliae reformavit.

Cap. XXI. Per haec tempora etiam Carausius, qui vilissime natus, strenuae militiae ordine famam egregiam fuerat consecutus, cum apud Bononiam per tractum Belgicae et Armoricae pacandum mare accepisset, quod Franci et Saxones infestabant, multis barbaris saepe captis, nec praeda integra aut provincialibus reddita, aut imperatoribus missa, cum suspicio esse coepisset, consulto ab eo ad-
P.C. mitti barbaros, ut transeuntes cum praeda excipe-
N. ret, atque hac se occasione ditaret; a Maximia-
286 no iussus occidi, purpuram sumsit, et Britannias occupavit.

Cap. XXII. (XIV.) Ita cum per omnem orbem terrarum res turbatae essent, Carausius in Britanniis rebellaret, Achilleus in Aegypto, Africam Quinquegentiani infestarent, Narseus Orienti bel- P.C.
lum inferret, Diocletianus MAXIMIANUM HERCU- N.
LIUM ex Caesare fecit Augustum, Constantium et 286
Maximianum Caesares: quorum Constantius per filiam nepos Claudii traditur: Maximianus Galerius in Dacia haud longe a Sardica natus. Atque ut eos etiam affinitate coniungeret, Constantius privignam Herculii Theodoram accepit, ex qua postea sex liberos, Constantini fratres, habuit: Galerius filiam Diocletiani Valeriam: ambo uxores, quas P.C.
habuerant, repudiare compulsi. Cum Carausio N.
tamen, cum bella frustra tentata essent contra vi- 289
rum rei militaris peritissimum, ad postremum pax P.C.
convenit. Eum post septennium Allectus, socius N.
eius, occidit, atque ipse post eum Britannias trien- 293
nio tenuit: qui ductu Asclepiodoti, praefecti praetorio, est oppressus. Ita Britanniae decimo anno 296
receptae.

Cap. XXIII. (XV.) Per idem tempus a Con- P.C.
stantino Caesare in Gallia pugnatum est circa Lin- N.
gonas: die una adversam et secundam fortunam 296
expertus est. Nam cum, repente barbaris ingruentibus, intra civitatem esset coactus, tam praecipiti necessitate, ut clausis portis in murum funibus tolleretur; vix quinque horis mediis, adventante exercitu, sexaginta fere millia Alamannorum cecidit. Maximianus quoque Augustus bellum in P.C.
Africa profligavit, domitis Quinquegentianis, et ad N.
pacem redactis. Diocletianus obsessum Alexan- 297
driae Achilleum octavo fere mense superavit, eumque interfecit. Victoria acerbe usus est; totam Aegyptum gravibus proscriptionibus caedibusque foedavit. Ea tamen occasione ordinavit provide

multa et disposuit; quae ad nostram aetatem manent.

Cap. XXIV. Galerius Maximianus primo adversus Narseum minime secundum proelium habuit, inter Callinicum Carrasque congressus, cum inconsulte magis, quam ignave dimicasset. Admodum enim parva manu cum copiosissimo hoste commisit. Pulsus igitur et ad Diocletianum profectus, cum ei in itinere occurrisset, tanta insolentia a Diocletiano fertur exceptus, ut per aliquot passuum millia purpuratus tradatur ad vehiculum cucurrisse.

Cap. XXV. Mox tamen per Illyricum Moesiamque contractis copiis, rursus cum Narseo, Hormisdae et Saporis avo, in Armenia maiori pugnavit successu ingenti, nec minore consilio, simulque
P. C. fortitudine: quippe qui etiam speculatoris munus
N. cum altero ac tertio equite susceperit. Pulso Nar-
297 seo castra eius diripuit; uxores, sorores, liberos cepit; infinitam extrinsecus Persarum nobilitatem, gazam Persicam copiosissimam: ipsum in ultimas regni solitudines egit, quare ad Diocletianum, in Mesopotamia cum praesidiis tunc morantem, ovans
P. C. regressus, ingenti honore susceptus est. Varia
N. deinceps et simul, et viritim bella gesserunt, Car-
299 pis et Basternis subactis, Sarmatis victis: quarum nationum ingentes captivorum copias in Romanis finibus locaverunt.

Cap. XXVI. (XVI.) Diocletianus moratus callide fuit, sagax praeterea, et admodum subtilis ingenio, et qui severitatem suam aliena invidia vellet explere. Diligentissimus tamen et sollertissimus princeps; et qui imperio Romano primus regiae consuetudinis formam magis, quam Romanae libertatis, invexit: adorarique se iussit, cum ante eum cuncti salutarentur: ornamenta gemmarum

vestibus calceamentisque indidit. Nam prius imperii insigne in chlamyde purpurea tantum erat; reliqua communia.

Cap. XXVII. Herculius autem, propalam ferus et incivilis ingenii, asperitatem suam etiam vultus horrore significans. Hic naturae suae indulgens, Diocletiano in omnibus, etiam severioribus consiliis, obsecutus est. Cum tamen ingravescente aevo parum se idoneum Diocletianus moderando imperio esse sentiret, auctor Herculio fuit, ut in
privatam vitam concederent, et stationem tuendae P. C.
reipublicae viridioribus iunioribusque mandarent. N.
Cui aegre collega obtemperavit. Tamen uterque 304
una die privato habitu imperii insigne mutavit; Ni- P. C.
comediae Diocletianus, Herculius Mediolani; post N.
triumphum inclutum, quem Romae ex numerosis 302
gentibus egerant, pompa ferculorum illustri, qua Narsei coniuges sororesque et liberi ante currum ducti sunt. Concesserunt tunc Salonas unus, alter in Lucaniam.

Cap. XXVIII. Diocletianus privatus in villa, quae haud procul a Salonis est, praeclaro otio senuit; inusitata virtute usus, ut solus omnium, post conditum Romanum imperium, ex tanto fastigio sponte ad privatae vitae statum civilitatemque remearet. Contigit igitur ei, quod nulli post natos homines, ut, cum privatus obisset, inter divos tamen referretur.

---

# LIBER DECIMUS.

## *ARGUMENTUM.*

1. *Imperii divisio inter Constantium et Galerium, assumtis duobus Caesaribus Maximino et Severo.* 2. *Constantinus in Britannia creatur imperator, Romae Maxentius, filius Herculii, qui inde ad spem resumendi imperii erigitur. Severus, contra Maxentium missus, a suis desertus interficitur.* 3. *Herculii, post irritos conatus contra Maxentium et Constantinum, interitus. Eius mores incommodi et asperi memorantur.* 4. *Licinius a Galerio, qui paullo post moritur, fit imperator. Hinc quatuor imperatores exsistunt, Constantinus, Maxentius, Licinius et Maximinus. Maxentius per Constantinum opprimitur. Maximinus, adversus Licinium novas res moliens, exitium morte praevertit.* 5. 6. *Licinius, a Constantino victus, perit, et summa rerum ad unum Constantinum devolvitur, qui, novo adhuc more, tres Caesares creat.* 7. 8. *Constantini studia et mores insolentia rerum secundarum in peius mutati; ipse bellum adversus Parthos moliens moritur.* 9 - 13. *Succedunt tres eius filii, Constantinus, Constans et Constantius cum Dalmatio, fratris filio; e quibus, cum ceteri interfecti essent, remanet Constantius, qui male pugnat contra Persas, Vetranionem opprimit et Maxentium, cuius duces antea Nepotianum, Romae imperatorem factum, interficiunt, Gallumque, quem*

*idem Caesarem fecerat, post occidit. Silvanus novas res in Gallia moliens exstinguitur.* 14. *Constantius solus superstes Iulianum Caesarem facit, qui, contra Gallos et Alamannos missus, egregie res gerit.* 15. *Iulianus a militibus Augustus renuntiatur, quo audito Constantius, cum, omisso Persico bello, contra eum contendisset, in itinere obit. Mores placidi, ad severitatem tamen propensiores.* 16. *Iuliani contra Persas bellum in eoque obitus. Eius laudes et in Christianos odium.* 17. *Iovianus a Persis semel iterumque victus ignominiosam pacem facit. Constantinopolin revertens subita morte opprimitur, cuius variae referuntur causae. Maioris operis de successorum rebus gestis promissio in fine annectitur.*

## Cap. I.

His igitur abeuntibus ab administratione reipublicae, CONSTANTIUS et GALERIUS Augusti P.C.
creati sunt: divisusque inter eos ita Romanus or- N.
bis, ut Galliam, Italiam, Africam Constantius; 305
Illyricum, Asiam, Orientem Galerius obtineret, sumtis duobus Caesaribus. Constantius tamen, contentus dignitate Augusti, Italiae atque Africae administrandae solicitudinem recusavit: vir egregius et praestantissimae civilitatis, divitiis provincialium ac privatorum studens, fisci commoda non admodum affectans, dicensque, *melius publicas opes a privatis haberi, quam intra unum claustrum reservari*; adeo autem cultus modici, ut feriatis diebus, si cum amicis numerosioribus esset epulandum, privatorum ei argento, ostiatim petito, triclinia sternerentur. Hic non modo amabilis, sed etiam venerabilis Gallis fuit; praecipue quod Dio- P.C.
cletiani suspectam prudentiam, et Maximiani san- N.
guinariam temeritatem imperio eius evaserant. 306

Obiit in Britannia Eboraci, principatus anno tertio decimo, atque inter divos relatus est.

Cap. II. Galerius, vir et probe moratus, et
egregius in re militari, cum Italiam quoque, si-
P.C. nente Constantio, administrationi suae accessisse
N. sentiret, Caesares duos creavit, MAXIMINUM,
305 quem Orienti praefecit, et SEVERUM, cui Italiam
P.C. dedit: ipse in Illyrico commoratus est. Verum,
N. Constantio mortuo, CONSTANTINUS, ex obscu-
306 riori matrimonio eius filius, in Britannia creatus
est imperator, et in locum patris exoptatissimus
moderator accessit. Romae interea praetoriani,
excitato tumultu, MAXENTIUM, Herculii filium,
P.C. qui haud procul ab urbe in villa publica moraba-
N. tur, Augustum nuncupaverunt. Quo nuntio Maxi-
306 mianus Herculius ad spem arrectus resumendi fa-
stigii, quod invitus amiserat, Romam advolavit
e Lucania, quam sedem privatus elegerat, in agris
amoenissimis consenescens; Diocletianumque
etiam per literas adhortatus est, ut depositam re-
sumeret potestatem; quas ille irritas habuit. Sed
adversum motum praetorianorum atque Maxentii
Severus Caesar, Romam missus a Galerio, cum ex-
ercitu venit; obsidensque urbem, militum suorum
scelere desertus est.

Cap. III. Auctae Maxentio opes, confirmatum-
P.C. que imperium. Severus fugiens Ravennae interfe-
N. ctus est. Herculius tamen Maximianus, post haec
307 in concione exercitus filium Maxentium nudare co-
natus, seditionem et convicia militum tulit. Inde
ad Gallias profectus est, dolo composito, tanquam
a filio esset expulsus, ut Constantino genero iun-
geretur; moliens tamen Constantinum, reperta
occasione, interficere, qui in Galliis et militum et
provincialium ingenti iam favore regnabat, caesis
Francis atque Alamannis, captisque eorum regibus,

quos etiam bestiis, cum magnificum spectaculum muneris parasset, obiecit. Detectis igitur insidiis per Faustam filiam, quae dolum viro nuntiaverat, profugit Herculius, Massiliaeque oppressus (ex ea etenim navigare ad filium praeparabat) poenas de- P.C.
dit iustissimo exitu; vir ad omnem asperitatem N.
saevitiamque proclivus, infidus, incommodus, ci- 310
vilitatis penitus expers.

Cap. IV. (III.) Per hoc tempus a Galerio LI- P.C.
CINIUS imperator est factus, Dacia oriundus, no- N.
tus ei antiqua consuetudine, et in bello, quod ad- 311
versus Narseum gesserat, strenuis laboribus et officiis acceptus: mors Galerii confestim secuta est. Itaque respublica tunc a novis quatuor imperatoribus tenebatur, Constantino et Maxentio, filiis Augustorum, Licinio et Maximino, novis homini- P.C.
bus. Quinto tamen Constantinus imperii sui anno N.
bellum adversum Maxentium civile commovit; co- 312
pias eius multis proeliis fudit; ipsum postremo Romae adversum nobiles omnibus exitiis saevien- P.C.
tem, apud pontem Mulvium vicit, Italiaque est N.
potitus. Non multo deinceps in Oriente quoque 312
adversus Licinium Maximinus res novas molitus, vicinum exitium fortuita apud Tarsum morte praevenit.

Cap. V. (IV.) CONSTANTINUS tamen, vir ingens, et omnia efficere nitens, quae animo praeparasset, simul principatum totius orbis affectans, Licinio bellum intulit, quamvis necessitudo et affinitas cum eo esset: nam soror Constantia nupta P.C.
Licinio erat; ac primo eum in Pannonia secunda, N.
ingenti apparatu bellum apud Cibalas instruentem, 314
repentinus oppressit, omnique Dardania, Moesia, Macedonia potitus, numerosas provincias occupavit.

Cap. VI. Varia deinceps inter eos bella, et

P.C. pax reconciliata ruptaque est. Postremo Licinius
N. navali et terrestri proelio victus, apud Nicomediam
324 se dedidit, et contra religionem sacramenti Thes-
P.C. saloniae privatus occisus est. Eo tempore res Ro-
N. mana sub uno Augusto et tribus Caesaribus, (quod
325 nunquam alias,) fuit, cum liberi Constantini Galliae, Orienti Italiaeque praeessent. Verum insolentia rerum secundarum aliquantum Constanti-
P.C. num ex illa favorabili animi docilitate mutavit.
N. Primum necessitudines persecutus, filium suum,
326 egregium virum, et sororis filium, commodae indolis iuvenem, interfecit; mox uxorem; post numerosos amicos.

Cap. VII. Vir primo imperii tempore optimis principibus, ultimo mediis comparandus. Innumerae in eo animi corporisque virtutes claruerunt. Militaris gloriae appetentissimus, fortuna in bellis
P.C. prospera fuit, verum ita, ut non superaret indu-
N. stria. Nam etiam Gothos, post civile bellum,
332 varie profligavit, pace ad postremum data; ingentemque apud barbaras gentes memoriae gratiam collocavit. Civilibus artibus et studiis liberalibus deditus; affectator iusti amoris, quem omni sibi et liberalitate et docilitate quaesivit; sicut in nonnullos amicos dubius, ita in reliquos egregius; nihil occasionum praetermittens, quo opulentiores eos clarioresque praestaret.

Cap. VIII. Multas leges rogavit, quasdam ex
P.C. bono et aequo, plerasque superfluas, nonnullas
N. severas. Primusque urbem nominis sui ad tantum
330 fastigium evehere molitus est, ut Romae aemulum
P.C. faceret. Bellum adversus Parthos moliens, qui
N. iam Mesopotamiam fatigabant, uno et trigesimo
337 anno imperii, aetatis sexto et sexagesimo, Nicomediae in villa publica obiit. Denuntiata mors eius etiam per crinitam stellam, quae inusitatae magni-

tudinis aliquamdiu fulsit: eam Graeci κομήτην vo-
cant: atque inter divos meruit referri.

Cap. IX. (V.) Successores filios tres reliquit,
atque unum fratris filium. Verum DALMATIUS
Caesar prosperrima indole, neque patruo absimi- P.C.
lis, haud multo post oppressus est factione militari, N.
et Constantio, patruele suo, sinente potius, quam 338
iubente. CONSTANTINUM porro, fratri bellum in-
ferentem, et apud Aquileiam inconsultius proelium P.C.
aggressum, Constantis duces interemerunt. Ita res- N.
publica ad duos Augustos redacta. CONSTANTIS 340
imperium strenuum aliquamdiu et iustum fuit;
mox cum et valetudine improspera et amicis pravi-
oribus uteretur, ad gravia vitia conversus, cum
intolerabilis provincialibus, militibus iniucundus P.C.
esset, factione Magnentii occisus est. Obiit haud N.
longe ab Hispaniis in castro, cui Helenae nomen 350
est, anno imperii decimo septimo, aetatis trigesi-
mo: rebus tamen plurimis strenue in militia gestis,
exercituique per omne vitae tempus sine gravi cru-
delitate terribilis.

Cap. X. (VI.) Diversa CONSTANTII fortuna
fuit. A Persis enim multa et gravia perpessus,
saepe captis oppidis, obsessis urbibus, caesis ex-
ercitibus; nullumque ei contra Saporem prospe- P.C.
rum proelium fuit; nisi quod apud Singaram haud N.
dubiam victoriam ferocia militum amisit, qui pu- 348
gnam seditiose et stolide, contra rationem belli,
die iam praecipiti, poposcerunt. Post Constantis P.C.
necem, Magnentio Italiam, Africam, Gallias, obti- N.
nente, etiam Illyricum res novas habuit, VETRA- 350
NIONE ad imperium consensu militum electo;
quem grandaevum iam, et cunctis amabilem diutur-
nitate et felicitate militiae, ad tuendum Illyricum,
principem creaverunt; virum probum et morum ve-
terum, ac iucundae civilitatis, sed omnium libera-

lium artium expertem adeo, ut ne elementa quidem
prima literarum, nisi grandaevus et iam imperator,
acceperit.

Cap. XI. Sed a Constantio, qui ad ultionem
fraternae necis bellum civile commoverat, abroga-
tum est Vetranioni imperium; qui novo inusitato-
P.C. que more, consensu militum, deponere insigne com-
N. pulsus est. Romae quoque tumultus fuit, Nepotia-
350 no, Constantini sororis filio, per gladiatoriam ma-
num imperium invadente; qui saevis exordiis di-
gnum exitum nactus est. Vigesimo enim atque octa-
vo die a Magnentianis ducibus oppressus, poenas
dedit; caputque eius pilo per urbem circumlatum
est; gravissimaeque proscriptiones et nobilium cae-
des fuerunt.

P.C. Cap. XII. Non multo post Magnentius apud
N. Mursam profligatus acie est, ac paene captus. In-
351 gentes Romani imperii vires ea dimicatione consum-
tae sunt, ad quaelibet bella externa idoneae, quae
P.C. multum triumphorum possent securitatisque con-
N. ferre. Orienti mox a Constantino Caesar est datus,
351 patrui filius GALLUS: Magnentiusque diversis proe-
P.C. liis victus, vim vitae suae apud Lugdunum attulit,
N. imperii anno tertio, mense septimo: frater quoque
353 eius Senonis, quem ad tuendas Gallias Caesarem
miserat.

Cap. XIII. Per haec tempora etiam a Constan-
P.C. tio, multis incivilibus gestis, Gallus Caesar occisus
N. est: vir natura ferus, et ad tyrannidem pronior, si
354 suo iure imperare licuisset. Silvanus quoque, in
P.C. Gallia res novas molitus, ante diem trigesimum
N. exstinctus est, solusque imperio Romano eo tem-
355 pore Constantius princeps et Augustus fuit.

P.C. Cap. XIV. Mox IULIANUM Caesarem ad Gal-
N. lias misit, patruelem suum, Galli fratrem, tradita
355 ei in matrimonium sorore; cum multa oppida bar-

bari expugnassent, alia obsiderent, ubique foeda
vastitas esset, Romanumque imperium non dubia
iam calamitate nutaret: a quo modicis copiis apud
Argentoratum, Galliae urbem, ingentes Alamanno- P. C.
rum copiae exstinctae sunt, rex nobilissimus captus, N.
Galliae restitutae. Multa postea per eundem Iuli- 357
anum egregie adversum barbaros gesta sunt; sum-
motique ultra Rhenum Germani, et finibus suis
Romanum imperium restitutum.

Cap. XV. Neque multo post, cum Germanici-
ani exercitus a Galliarum praesidio tollerentur, P. C.
consensu militum Iulianus factus Augustus est, in- N.
teriectoque anno, ad Illyricum obtinendum profe- 360
ctus, Constantio Parthicis bellis occupato; qui, re- P. C.
bus cognitis, ad bellum civile conversus, in itinere N.
obiit inter Ciliciam Cappadociamque, anno imperii 361
octavo et trigesimo, aetatis quinto et quadragesi-
mo, meruitque inter divos referri: vir egregiae
tranquillitatis, placidus, nimis amicis et familiari-
bus credens, mox etiam uxoribus deditior; qui ta-
men primis imperii annis ingenti se modestia gesse-
rit; familiarium etiam locupletator; neque inhono-
ros sinens, quorum laboriosa expertus fuisset officia:
ad severitatem tamen propensior, si suspicio im-
perii moveretur; mitis alias, et cuius in civilibus
magis, quam in externis bellis, sit laudanda for-
tuna.

Cap. XVI. (VIII.) Hinc IULIANUS rerum P. C.
potitus est, ingentique apparatu Parthis intulit N.
bellum, cui expeditioni ego quoque interfui. Ali- 363
quot oppida et castella Persarum in deditionem ac-
cepit, vel vi expugnavit; Assyriamque populatus,
castra apud Ctesiphontem stativa aliquamdiu ha-
buit, remeansque victor, dum se inconsultius proe- P. C.
liis inserit, hostili manu interfectus est, VI Kalend. N.
Iulias, imperii anno septimo, aetatis altero et tri- 363

gesimo; atque inter divos relatus est. Vir egregius et rempublicam insigniter moderaturus, si per fata licuisset: liberalibus disciplinis apprime eruditus: Graecis doctior, atque adeo, ut Latina eruditio nequaquam cum Graeca scientia conveniret: facundia ingenti et promta, memoriae tenacissimae: in quibusdam philosopho propior: in amicos liberalis, sed minus diligens, quam tantum principem decuit; fuerunt enim nonnulli, qui vulnera gloriae eius inferrent. In provinciales iustissimus, et tributorum, quatenus fieri posset, repressor: civilis in cunctos: mediocrem habens aerarii curam: gloriae avidus ac per eam animi plerumque immodici: religionis Christianae insectator, perinde tamen, ut cruore abstineret. Marco Antonino non absimilis, quem etiam aemulari studebat.

Cap. XVII. (IX.) Post hunc IOVIANUS, qui tunc domesticus militabat, ad obtinendum imperium consensu exercitus lectus est: commendatione patris, quam sua, militibus notior. Qui, iam turbatis rebus, exercitu quoque inopia laborante, uno a Persis atque altero proelio victus pacem cum Sapore, necessariam quidem, sed ignobilem fecit: multatus finibus, ac nonnulla imperii Romani parte tradita; quod ante eum annis mille centum et duobus de viginti fere, ex quo Romanum imperium conditum erat, nunquam accidit. Quin etiam legiones nostrae ita et apud Caudium per Pontium Telesinum, et in Hispania apud Numantiam, et in Numidia sub iugum missae sunt, ut nihil tamen finium traderetur. Ea pacis conditio non penitus reprehendenda foret, si foederis necessitatem, cum integrum fuit, mutare voluisset, sicut a Romanis, omnibus his bellis, quae commemoravi, factum est. Nam et Samnitibus, et Numantinis, et Numi-

dis confestim bella illata sunt, neque pax rata fuit. Sed dum aemulum imperii veretur, intra orientem residens, gloriae parum consuluit. Itaque iter in- P. C.
gressus atque Illyricum petens, in Galatiae finibus N.
repentina morte obiit: vir alias neque iners, neque 364
imprudens.

Cap. XVIII. Multi exanimatum opinantur nimia cruditate; inter coenandum enim opulis indulserat: alii odore cubiculi, quod ex recenti tectorio calcis grave quiescentibus erat: quidam nimietate prunarum, quas gravi frigore adoleri multas iusserat. Decessit imperii mense septimo, quar- P. C.
to decimo Kalend. Martias; aetatis, ut qui pluri- N.
mum ac minimum tradunt, tertio et trigesimo an- 364
no, ac benignitate principum, qui ei successerunt, inter divos relatus est. Nam et civilitati propior, et natura admodum liberalis fuit. (X.) Is status erat Romanae rei, Ioviano eodem et Varroniano coss. anno urbis conditae millesimo centesimo et nono decimo. Quia autem ad inclitos principes venerandosque perventum est, interim operi modum dabimus. Nam reliqua stilo maiore dicenda sunt; quae nunc non tam praetermittimus, quam ad maiorem scribendi diligentiam reservamus.

---

# L. ANNAEI FLORI
# EPITOME
# RERUM ROMANARUM

AD

OPTIMORUM LIBRORUM FIDEM

EMENDATIONESQUE

RECENTISSIMAS DILIGENTER EXPRESSA.

EDITIO STEREOTYPA.

LIPSIAE
SUMTIBUS ET TYPIS CAROLI TAUCHNITII.
1829.

*Florus quo tempore vixerit, aut qui fuerit, aut quomodo vere habeat praenomen eius, ambigitur hodienum inter doctos. Sub Traiano eum fuisse, recte concludas ex prooemii fine, nisi, ut innumera dubio procul in textu historiae ipsius, ita et in illo quaedam supposita iudicari debeant. Ipsa enim epitome res Romanorum nonnisi ad Octaviani Caesaris tempora persequitur. Porro quaedam insunt in opusculo ipso, ex quibus iure coniicias, Augusti potius aetati accensendum esse autorem; de quibus omnibus a Titzio in libro de epitomae rerum Rom., quae sub nomine Lucii Ann. sive Flori sive Senecae (is enim antiquus titulus est) fertur, aetate probabilissima etc., accurate expositum est. Eo pertinet inprimis, quod lib. IV. cap. 12 aquilas duas adhuc possidere hostes dicuntur, quas scimus post Octaviani tempora recuperatas esse. Sic de eadem aetate etiam praesens tempus adhibetur, lib. IV, cap. 3, §. 5. Hinc idem Titzius contendit, auctorem epitomae fuisse nullum alium, nisi Lucium Julium Florum, eundem, cui Horatius duo carmina sua, Epist. I, 3 et II, 2, inscripserit, quemadmodum et quidam libri ha-*

*... aut L. Iulium. Ceterum qui Ha-*
*... us vixisse credunt, eum fuisse di-*
*... oetam, quicum versuum habuerit*
*Hadrianus, referente Spartiano in*
*... 15. Et sane per totum libellum poe-*
*... a color et vigor conspicuus est. Omne*
*... us non tam historia est dicenda, quam*
*... gricus populi Romani, cuius unice homines*
*et ... stituta et res gestas auctor admiratur; vide-*
*t... que non solum Livium, sed alios etiam, ut Sal-*
*... stium, Catonem etc. ob oculos habuisse. Eidem*
*Floro plerumque tribuitur Epitome quatuordecim*
*decadum Titi Livii; quae tamen illius esse nullo*
*documento certo probari posse videtur.*

*Nos in hac editione fere secuti sumus Seebo-*
*dianam, ita quidem, ut ubique et alias et Grute-*
*rianam antiquam praemissis Salmasii notis, cuius*
*fere omnes emendationes in textum receptas esse*
*sensimus, diligenter adhiberemus.*

---



# L. ANNAEI FLORI
# EPITOME
# RERUM ROMANARUM.

## LIBER PRIMUS.

### CAPUT I.

1. Populus Romanus a rege Romulo in Caesarem Augustum septingentos per annos tantum operum pace belloque gessit, ut, si quis magnitudinem imperii cum annis conferat, aetatem ultra putet. 2. Ita late per orbem terrarum arma circumtulit, ut, qui res eius legunt, non unius populi, sed generis humani facta discant; tot in laboribus periculisque iactatus est, ut ad constituendum eius imperium contendisse Virtus et Fortuna viderentur. 3. Quare quum praecipue hoc quoque operae pretium sit cognoscere; tamen, quia ipsa sibi obstat magnitudo, rerumque diversitas aciem intentionis abrumpit, faciam, quod solent, qui terrarum situs pingunt: in brevi quasi tabella totam eius imaginem amplectar, nonnihil, ut spero, ad admirationem principis populi collaturus, si pariter atque in semet universam magnitudinem eius ostendero. 4. Si quis ergo populum Romanum quasi hominem consideret, totamque eius aetatem percenseat, ut coeperit, utque adoleverit, ut quasi ad quendam iuventae florem pervenerit, ut postea velut consenuerit, quatuor gradus processus

que eius inveniet. 5. Prima aetas sub regibus fuit, prope ducentos quinquaginta per annos, quibus circum ipsam matrem cum finitimis luctatus est. Haec erit eius infantia. 6. Sequens a Bruto Collatinoque Consulibus, in Appium Claudium, Quintum Fulvium Consules, ducentos quinquaginta annos patet: quibus Italiam subegit. Hoc fuit tempus viris, armis incitatissimum: ideo quis adolescentiam dixerit. 7. Deinceps ad Caesarem Augustum ducenti anni, quibus totum orbem pacavit. Hic iam ipsa iuventas imperii, et quasi robusta maturitas. 8. A Caesare Augusto in saeculum nostrum haud multo minus anni ducenti: quibus inertia Caesarum quasi consenuit, atque decoxit; nisi quod sub Traiano principe movit lacertos, et praeter spem omnium senectus imperii, quasi reddita iuventute, revirescit.

## CAPUT I.

1. Primus ille et Urbis et Imperii conditor Romulus fuit, Marte genitus et Rhea Silvia. 2. Hoc de se sacerdos gravida confessa est: nec mox fama dubitavit, quum Amulii imperio abiectus in profluentem cum Remo fratre non potuit exstingui: 3. siquidem et Tiberinus amnem repressit: et relictis catulis lupa secuta vagitum ubera admovit infantibus, matremque gessit. Sic repertos apud arborem, regii gregis pastor tulit in casam atque educavit. 4. Alba tum erat Latio caput, Iuli opus: nam Lavinium patris Aeneae contempserat. Ab his Amulius bis septima subole regnabat, fratre pulso Numitore, cuius ex filia Romulus. 5. Igitur statim prima iuventae facie, patruum ab arce deturbat, avum reponit. Ipse fluminis amator et montium, apud quos erat educatus, moenia novae urbis agitabat. 6. Gemini erant: uter auspicaretur et regeret, adhibere placuit

deos. Remus montem Aventinum, hic Palatinum occupat. Prius ille sex vultures; hic postea, sed duodecim videt. 7. Sic victor augurio, urbem excitat, plenus spei, bellatricem fore: ita assuetae sanguine et praeda aves pollicebantur. 8. Ad tutelam novae urbis sufficere vallum videbatur: cuius dum irridet angustias Remus, idque increpat saltu, (dubium, an iussu fratris) occisus est. Prima certe victima fuit: munitionemque urbis novae sanguine suo consecravit. 9. Imaginem urbis magis, quam urbem fecerat. Incolae deerant. Erat in proximo lucus: hunc Asylum facit: et statim mira vis hominum, Latini Tuscique pastores; [quidam] etiam transmarini, Phryges, qui sub Aenea; Arcades, qui sub Evandro duce influxerant. Ita ex variis quasi elementis congregavit corpus unum, populumque Romanum ipse fecit. 10. Res erat unius aetatis; populus virorum. Itaque matrimonia a finitimis petita: quia non impetrabantur, manu capta sunt. Simulatis quippe ludis equestribus, virgines, quae ad spectaculum venerant, praedae fuere. Et haec statim causa bellorum. 11. Pulsi, fugati Veientes. Caeninensium captum ac dirutum oppidum. Spolia insuper opima de rege Feretrio Iovi [manibus suis] rex reportavit. 12. Sabinis proditae portae per virginem: nec dolo; sed puella pretium rei, quae gerebant in sinistris, petierat. Dubium clypeos, an armillas. Illi ut et fidem solverent, et ulciscerentur, clypeis obruere. 13. Ita admissis intra moenia hostibus, atrox in ipso foro pugna, adeo ut Romulus Iovem oraret, *foedam suorum fugam sisteret*. 14. Hinc templum et Stator Iuppiter. Tandem funeribus intervenere raptae laceris comis. Sic pax facta cum Tatio foedusque percussum: sequutaque res mira dictu, ut relictis sedibus suis novam in urbem hostes demigrarent, et cum generis suis avitas opes pro

dote sociarent. 15. Auctis brevi viribus, hunc rex sapientissimus statum reipublicae imposuit: iuventus divisa per tribus, in equis et in armis, ad subita belli excubaret: consilium Reipublicae penes senes esset, qui ex auctoritate *Patres*, ob aetatem *Senatus* vocabantur. 16. His ita ordinatis, repente, cum concionem haberet apud Caprae paludem, e conspectu ablatus est. 17. Discerptum aliqui a senatu putant ob asperius ingenium: sed oborta tempestas solisque defectio consecrationis speciem praebuere: 18. cui mox Iulius Proculus fidem fecit, visum a se Romulum affirmans, augustiore forma, quam fuisset: mandare praeterea, ut se pro numine acciperent: *Quirinum* in coelo vocari: placitum deis ita, ut gentium Roma poteretur.

## CAPUT II.

1. Succedit Romulo Numa Pompilius, quem, Curibus Sabinis agentem, ultro petiverunt ob inclitam viri religionem. 2. Ille sacra et caerimonias omnemque cultum deorum immortalium docuit: ille Pontifices, Augures, Salios ceteraque populi Romani sacerdotia, annum quoque in duodecim menses, fastos dies nefastosque descripsit. 3. Ille Ancilia atque Palladium, secreta quaedam imperii pignora, Ianumque geminum, Fidem pacis ac belli: imprimis focum Vestae virginibus colendum dedit, ut ad simulacrum coelestium siderum custos imperii flamma vigilaret. [Haec omnia quasi monitu deae Egeriae, quo magis barbari acciperent.] 4. Eo denique ferocem populum redegit, ut, quod vi et iniuria occuparat imperium, religione atque iustitia gubernaret.

## CAPUT III.

1. Excipit Pompilium Numam Tullus Hostilius, cui in honorem virtutis regnum ultro datum. Hic omnem militarem disciplinam artemque bellandi condidit. 2. Itaque mirum in modum exercitata iuventute, provocare ausus Albanos, gravem et diu principem populum. 3. Sed quum pari robore frequentibus proeliis utrique comminuerentur, misso in compendium bello, Horatiis Curiatiisque, trigeminis hinc atque inde fratribus, utriusque populi fata permissa sunt. 4. Anceps et pulchra contentio, exituque ipso mirabilis. Tribus quippe illinc vulneratis, hinc duobus occisis, qui supererat Horatius, addito ad virtutem dolo, ut distraheret hostem, simulat fugam, singulosque, prout sequi poterant, adortus exsuperat. 5. Sic (rarum alias decus!) unius manu parta victoria est, quam ille mox parricidio foedavit. Flentem circa se spolia sponsi quidem, sed hostis, sororem viderat. Hunc tam immaturum virginis amorem ultus est ferro. Citavere leges nefas; sed abstulit virtus parricidam, et facinus intra gloriam fuit. 6. Nec diu in fide Albanus. Nam Fidenate bello, missi in auxilium ex foedere, medii inter duos exspectavere fortunam. 7. Sed rex callidus, ubi inclinare socios ad hostem videt, tollit animos, quasi mandasset. Spes inde nostris, metus hostibus. Sic fraus proditorum irrita fuit. 8. Itaque hoste victo, ruptorem foederis Mettum Fufetium, religatum inter duos currus, pernicibus equis distrahit: 9. Albamque ipsam, quamvis parentem, aemulam tamen, diruit, prius quum omnes opes urbis ipsumque populum Romam transtulisset: prorsus ut consanguinea civitas non perisse, sed in suum corpus redisse rursus videretur.

# L. ANNAEI FLORI

# EPITOME

# RERUM ROMANARUM

AD

OPTIMORUM LIBRORUM FIDEM

EMENDATIONESQUE

RECENTISSIMAS DILIGENTER EXPRESSA.

EDITIO STEREOTYPA.

LIPSIAE

SUMTIBUS ET TYPIS CAROLI TAUCHNITII.

1829.

Ladenpreis 2 Groschen.

*Florus quo tempore vixerit, aut qui fuer, aut quomodo vere habeat praenomen eius, ambigitur hodienum inter doctos. Sub Traiano eum fuisse, recte concludas ex prooemii fine, nisi, ut innumera dubio procul in textu historiae ipsius, ita et in illo quaedam supposita iudicari debeant. Ipsa enim epitome res Romanorum nonnisi ad Octaviani Caesaris tempora persequitur. Porro quaedam insunt in opusculo ipso, ex quibus iure coniicias, Augusti potius aetati accensendum esse autorem; de quibus omnibus a Titzio in libro de epitomae rerum Rom., quae sub nomine Lucii Ann. sive Flori sive Senecae (is enim antiquus titulus est) fertur, aetate probabilissima etc., accurate expositum est. Eo pertinet inprimis, quod lib. IV. cap. 12 aquilas duas adhuc possidere hostes dicuntur, quas scimus post Octaviani tempora recuperatas esse. Sic de eadem aetate etiam praesens tempus adhibetur, lib. IV, cap. 3, §. 5. Hinc idem Titzius contendit, auctorem epitomae fuisse nullum alium, nisi Lucium Julium Florum, eundem, cui Horatius duo carmina sua, Epist. I, 3 et II, 2, inscripserit, quemadmodum et quidam libri ha-*

*beant Iulium Fl. aut L. Iulium. Ceterum qui Hadriani temporibus vixisse credunt, eum fuisse dicunt Florum poetam, quicum versuum habuerit commercium Hadrianus, referente Spartiano in Hadr. capite 15. Et sane per totum libellum poeticus quidam color et vigor conspicuus est. Omne autem opus non tam historia est dicenda, quam panegyricus populi Romani, cuius unice homines et instituta et res gestas auctor admiratur; videturque non solum Livium, sed alios etiam, ut Sallustium, Catonem etc. ob oculos habuisse. Eidem Floro plerumque tribuitur Epitome quatuordecim decadum Titi Livii; quae tamen illius esse nullo documento certo probari posse videtur.*

*Nos in hac editione fere secuti sumus Seebodianam, ita quidem, ut ubique et alias et Gruterianam antiquam praemissis Salmasii notis, cuius fere omnes emendationes in textum receptas esse sensimus, diligenter adhiberemus.*

---



# L. ANNAEI FLORI EPITOME RERUM ROMANARUM.

## LIBER PRIMUS.

### CAPUT I.

1. Populus Romanus a rege Romulo in Caesarem Augustum septingentos per annos tantum operum pace belloque gessit, ut, si quis magnitudinem imperii cum annis conferat, aetatem ultra putet. 2. Ita late per orbem terrarum arma circumtulit, ut, qui res eius legunt, non unius populi, sed generis humani facta discant; tot in laboribus periculisque iactatus est, ut ad constituendum eius imperium contendisse Virtus et Fortuna viderentur. 3. Quare quum praecipue hoc quoque operae pretium sit cognoscere; tamen, quia ipsa sibi obstat magnitudo, rerumque diversitas aciem intentionis abrumpit, faciam, quod solent, qui terrarum situs pingunt: in brevi quasi tabella totam eius imaginem amplectar, nonnihil, ut spero, ad admirationem principis populi collaturus, si pariter atque in semet universam magnitudinem eius ostendero. 4. Si quis ergo populum Romanum quasi hominem consideret, totamque eius aetatem percenseat, ut coeperit, utque adoleverit, ut quasi ad quendam iuventae florem pervenerit, ut postea velut consenuerit, quatuor gradus processus

que eius inveniet. 5. Prima aetas sub regibus fuit, prope ducentos quinquaginta per annos, quibus circum ipsam matrem cum finitimis luctatus est. Haec erit eius infantia. 6. Sequens a Bruto Collatinoque Consulibus, in Appium Claudium, Quintum Fulvium Consules, ducentos quinquaginta annos patet: quibus Italiam subegit. Hoc fuit tempus viris, armis incitatissimum: ideo quis adolescentiam dixerit. 7. Deinceps ad Caesarem Augustum ducenti anni, quibus totum orbem pacavit. Hic iam ipsa iuventas imperii, et quasi robusta maturitas. 8. A Caesare Augusto in saeculum nostrum haud multo minus anni ducenti: quibus inertia Caesarum quasi consenuit, atque decoxit; nisi quod sub Traiano principe movit lacertos, et (praeter spem) omnium senectus imperii, quasi reddita iuventute, revirescit.

## CAPUT I.

1. Primus ille et Urbis et Imperii conditor Romulus fuit, Marte genitus et Rhea Silvia. 2. Hoc de se sacerdos gravida confessa est: nec mox fama dubitavit, quum Amulii imperio abiectus in profluentem cum Remo fratre non potuit exstingui: 3. siquidem et Tiberinus amnem repressit: et relictis catulis lupa secuta vagitum ubera admovit infantibus, matremque gessit. Sic repertos apud arborem, regii gregis pastor tulit in casam atque educavit. 4. Alba tum erat Latio caput, Iuli opus: nam Lavinium patris Aeneae contempserat. Ab his Amulius bis septima subole regnabat, fratre pulso Numitore, cuius ex filia Romulus. 5. Igitur statim prima iuventae facie, patruum ab arce deturbat, avum reponit. Ipse fluminis amator et montium, apud quos erat educatus, moenia novae urbis agitabat. 6. Gemini erant: uter auspicaretur et regeret, adhibere placuit

deos. Remus montem Aventinum, hic Palatinum occupat. Prius ille sex vultures; hic postea, sed duodecim videt. 7. Sic victor augurio, urbem excitat, plenus spei, bellatricem fore: ita assuetae sanguine et praeda aves pollicebantur. 8. Ad tutelam novae urbis sufficere vallum videbatur: cuius dum irridet angustias Remus, idque increpat saltu, (dubium, an iussu fratris) occisus est. Prima certe victima fuit: munitionemque urbis novae sanguine suo consecravit. 9. Imaginem urbis magis, quam urbem fecerat. Incolae deerant. Erat in proximo lucus: hunc Asylum facit: et statim mira vis hominum, Latini Tuscique pastores; [quidam] etiam transmarini, Phryges, qui sub Aenea; Arcades, qui sub Evandro duce influxerant. Ita ex variis quasi elementis congregavit corpus unum, populumque Romanum ipse fecit. 10. Res erat unius aetatis; populus virorum. Itaque matrimonia a finitimis petita: quia non impetrabantur, manu capta sunt. Simulatis quippe ludis equestribus, virgines, quae ad spectaculum venerant, praedae fuere. Et haec statim causa bellorum. 11. Pulsi, fugati Veientes. Caeninensium captum ac dirutum oppidum. Spolia insuper opima de rege Feretrio Iovi [manibus suis] rex reportavit. 12. Sabinis proditae portae per virginem: nec dolo; sed puella pretium rei, quae gerebant in sinistris, petierat. Dubium clypeos, an armillas. Illi ut et fidem solverent, et ulciscerentur, clypeis obruere. 13. Ita admissis intra moenia hostibus, atrox in ipso foro pugna, adeo ut Romulus Iovem oraret, *foedam suorum fugam sisteret*. 14. Hinc templum et Stator Iuppiter. Tandem funeribus intervenere raptae laceris comis. Sic pax facta cum Tatio foedusque percussum: sequutaque res mira dictu, ut relictis sedibus suis novam in urbem hostes demigrarent, et cum generis suis avitas opes pro

dote sociarent. 15. Auctis brevi viribus, hunc rex sapientissimus statum reipublicae imposuit: iuventus divisa per tribus, in equis et in armis, ad subita belli excubaret: consilium Reipublicae penes senes esset, qui ex auctoritate *Patres*, ob aetatem *Senatus* vocabantur. 16. His ita ordinatis, repente, cum concionem haberet apud Caprae paludem, e conspectu ablatus est. 17. Discerptum aliqui a senatu putant ob asperius ingenium: sed oborta tempestas solisque defectio consecrationis speciem praebuere: 18. cui mox Iulius Proculus fidem fecit, visum a se Romulum affirmans, augustiore forma, quam fuisset: mandare praeterea, ut se pro numine acciperent: *Quirinum* in coelo vocari: placitum deis ita, ut gentium Roma poteretur.

## CAPUT II.

1. Succedit Romulo Numa Pompilius, quem, Curibus Sabinis agentem, ultro petiverunt ob inclitam viri religionem. 2. Ille sacra et caerimonias omnemque cultum deorum immortalium docuit; ille Pontifices, Augures, Salios ceteraque populi Romani sacerdotia, annum quoque in duodecim menses, fastos dies nefastosque descripsit. 3. Ille Ancilia atque Palladium, secreta quaedam imperii pignora, Ianumque geminum, Fidem pacis ac belli: imprimis focum Vestae virginibus colendum dedit, ut ad simulacrum coelestium siderum custos imperii flamma vigilaret. [Haec omnia quasi monitu deae Egeriae, quo magis barbari acciperent.] 4. Eo denique ferocem populum redegit, ut, quod vi et iniuria occuparat imperium, religione atque iustitia gubernaret.

## CAPUT III.

1. Excipit Pompilium Numam Tullus Hostilius, cui in honorem virtutis regnum ultro datum. Hic omnem militarem disciplinam artemque bellandi condidit. 2. Itaque mirum in modum exercitata iuventute, provocare ausus Albanos, gravem et diu principem populum. 3. Sed quum pari robore frequentibus proeliis utrique comminuerentur, misso in compendium bello, Horatiis Curiatiisque, trigeminis hinc atque inde fratribus, utriusque populi fata permissa sunt. 4. Anceps et pulchra contentio, exituque ipso mirabilis. Tribus quippe illinc vulneratis, hinc duobus occisis, qui supererat Horatius, addito ad virtutem dolo, ut distraheret hostem, simulat fugam, singulosque, prout sequi poterant, adortus exsuperat. 5. Sic (rarum alias decus!) unius manu parta victoria est, quam ille mox parricidio foedavit. Flentem circa se spolia sponsi quidem, sed hostis, sororem viderat. Hunc tam immaturum virginis amorem ultus est ferro. Citavere leges nefas; sed abstulit virtus parricidam, et facinus intra gloriam fuit. 6. Nec diu in fide Albanus. Nam Fidenate bello, missi in auxilium ex foedere, medii inter duos exspectavere fortunam. 7. Sed rex callidus, ubi inclinare socios ad hostem videt, tollit animos, quasi mandasset. Spes inde nostris, metus hostibus. Sic fraus proditorum irrita fuit. 8. Itaque hoste victo, ruptorem foederis Mettum Fufetium, religatum inter duos currus, pernicibus equis distrahit: 9. Albamque ipsam, quamvis parentem, aemulam tamen, diruit, prius quum omnes opes urbis ipsumque populum Romam transtulisset: prorsus ut consanguinea civitas non perisse, sed in suum corpus redisse rursus videretur.

## CAPUT IV.

1. Ancus deinde Marcius, nepos Pompilii ex filia, pari ingenio. 2. Igitur et muro moenia amplexus est, et interfluentem Tiberim ponte commisit, Ostiamque in ipso maris fluminisque confinio coloniam posuit: iam tum videlicet praesagiens animo, futurum, ut totius mundi opes et commeatus illo veluti maritimo Urbis hospitio reciperentur.

---

## CAPUT V.

1. Tarquinius postea Priscus, quamvis transmarinae originis, regnum ultro petens accepit ob industriam atque elegantiam: quippe qui, oriundus Corintho, Graecum ingenium Italicis artibus miscuisset. 2. Hic et senatus maiestatem numero ampliavit, et centuriis tribus auxit, quatenus Attius Navius numerum augeri prohibebat, vir summus augurio. 3. Quem rex in experimentum rogavit, *fierine posset, quod ipse mente conceperat?* 4. Ille rem expertus augurio, *posse*, respondit. *Atqui hoc*, inquit, *agitaram, cotem illam secari novacula posse?* Et Augur, *Potes ergo*, inquit, et secuit. 5. Inde Romanis sacer auguratus. Neque pace Tarquinius quam bello promptior. Duodecim namque Tusciae populos frequentibus armis subegit. 6. Inde fasces, trabeae, curules, anuli, phalerae, paludamenta, praetextae; inde, quod aureo curru, quatuor equis triumphatur; togae pictae, tunicaeque palmatae; omnia denique decora et insignia, quibus imperii dignitas eminet.

---

## CAPUT VI.

1. Servius Tullius deinceps gubernacula Urbis invadit. Nec obscuritas inhibuit, quamvis matre

serva creatum. Nam eximiam indolem uxor Tarquinii Tanaquil liberaliter educarat: et, clarum fore, visa circa caput flamma promiserat. 2. Ergo inter Tarquinii mortem, annitente regina, substitutus in locum regis, quasi in tempus, regnum dolo partum sic egit industrie, ut iure adeptus videretur. 3. Ab hoc populus Romanus relatus in censum, digestus in classes, decuriis atque collegiis distributus: summaque regis sollertia ita est ordinata respublica, ut omnia patrimonii, dignitatis, aetatis, artium, officiorumque discrimina in tabulas referrentur, ac sic maxima civitas minimae domus diligentia contineretur.

## CAPUT VII.

1. Postremus omnium fuit regum Tarquinius, cui cognomen *Superbo* ex moribus datum. 2. Hic regnum avitum, quod a Servio tenebatur, rapere maluit, quam exspectare, immissisque in eum percussoribus, scelere partam potestatem non melius egit, quam acquisierat. 3. Nec abhorrebat moribus uxor Tullia, quae, ut virum regem salutaret, supra cruentum patrem vecta carpento, consternatos equos egit. 4. Sed ipse in Senatum caedibus, in omnes superbia, quae crudelitate gravior est bonis, grassatus, quum saevitiam domi fatigasset, tandem in hostes conversus est. 5. Sic valida oppida in Latio capta sunt, Ardea, Ocricolum, Gabii, Suessa Pometia. 6. Tum quoque cruentus in suos. Neque enim filium verberare dubitavit, ut simulanti transfugam apud hostes hinc fides esset. 7. Cui Gabios, ut voluerat, recepto, et per nuntios consulenti, *quid fieri vellet*, eminentia forte papaverum capita virgula excutiens, quum per hoc interficiendos esse principes intelligi vellet [quae superbia!] sic respondit. 8. Tamen de manubiis captarum urbium templum erexit. Quod quum

ıaugararetur, cedentibus ceteris deis (mira res dictu!) restitere Iuventas et Terminus. 9. Placuit vaibus contumacia numinum, siquidem firma omnia et eterna pollicebantur. Sed illud horrendum, quod ıolientibus aedem in fundamentis humanum reperım est caput, nec dubitavere cuncti, monstrum pulherrimum imperii sedem caputque terrarum proıittere. 10. Tamdiu superbiam regis populus Roıanus perpessus est, donec aberat libido. Hanc ex beris eius importunitatem tolerare non potuit. 11. ;uorum quum alter ornatissimae feminae Lucretiae :uprum intulisset, matrona dedecus ferro expiavit. ıperium tum regibus abrogatum.

## CAPUT VIII.

1. Haec est prima aetas populi Romani, et quasi ıfantia, quam habuit sub regibus septem, quadam ıtorum industria, tam variis ingenio, ut reipublicae ıtio et utilitas postulabat. 2. Nam quid Romulo rdentius? Tali opus fuit, ut invaderet regnum. 3. ;uid Numa religiosius? Ita res poposcit, ut ferox opulus deorum metu mitigaretur. 4. Quid ille mitiae artifex Tullus? Bellatoribus viris quam necesırius, ut acueret ratione virtutem. Quid aedificaır Ancus? Ut Urbem colonia extenderet, ponte iuneret, muro tueretur. 5. Iam vero ornamenta Taruinii et insignia quantam principi populo addideıınt ex ipso habitu dignitatem? 6. Actus a Servio ensus quid effecit, nisi ut ipsa se nosset respublica? . Postremo Superbi illius importuna dominatio onnihil, immo vel plurimum profuit. Sic enim effectum est, ut agitatus iniuriis populus cupiditate bertatis incenderetur.

## CAPUT IX.

1. Igitur Bruto Collatinoque ducibus et auctoribus, quibus ultionem sui moriens matrona mandaverat, populus Romanus ad vindicandum libertatis ac pudicitiae decus, quodam quasi instinctu deorum concitatus, regem repente destituit, bona diripit, agrum Marti suo consecrat, imperium in eosdem libertatis suae vindices transfert, mutato tamen et iure et nomine. 2. Quippe ex perpetuo annuum placuit, ex singulari duplex, ne potestas solitudine vel mora corrumperetur: *Consulesque* appellavit pro regibus, ut consulere se civibus suis debere meminissent. 3. Tantumque libertatis novae gaudium incesserat, ut vix mutati status fidem caperet; alterumque ex Consulibus, tantum ob nomen et genus regium, fascibus abrogatis, Urbe dimitteret. 4. Itaque substitutus Valerius Publicola, ex summo studio annisus est ad augendam liberi populi maiestatem. Nam et fasces ei pro concione submisit, et ius provocationis adversus ipsos dedit, et, ne specie arcis offenderet, eminentes aedes suas in plana submisit. 5. Brutus vero favori civium etiam domus suae clade et parricidio velificatus est. Quippe quum studere revocandis in urbem regibus liberos suos comperisset, protraxit in forum, et concione media virgis cecidit et securi percussit, ut plane publicus parens in locum liberorum adoptasse sibi populum videretur. 6. Liber iam hinc populus Romanus prima adversus exteros arma pro libertate corripuit; mox pro finibus; deinde pro sociis; tum gloria et imperio, lacessentibus assidue usquequaque finitimis: 7. quippe cui patrii soli gleba nulla, sed statim hostile pomoerium, mediusque inter Latium atque Tuscos, quasi in quodam bivio collocatus, omnibus portis in hostem incurreret: donec quasi contagio

quodam per singulos itum est, 8. et, proximis quibusque correptis, totam Italiam sub se redegerunt.

## CAPUT X.

1. Pulsis Urbe regnis, prima pro libertate arma corripuit. Nam Porsenna rex Etruscorum ingentibus copiis aderat et Tarquinios manu reducebat. 2. Hunc tamen, quamvis et armis et fame urgeret, occupatoque Ianiculo ipsis Urbis faucibus incubaret, sustinuit, repulit, novissime etiam tanta admiratione percuilit, ut superior ultro cum paene victis amicitiae foedera feriret. 3. Tunc illa Romana prodigia atque miracula, Horatius, Mucius, Cloelia: qui nisi in annalibus forent, hodie fabulae viderentur. 4. Quippe Horatius Cocles postquam hostes undique instantes solus submovere non poterat, ponte rescisso tranat Tiberim, nec arma dimittit. 5. Mucius Scaevola regem per insidias in castris ipsius aggreditur; sed ubi frustrato circa purpuratum eius ictu tenetur, ardentibus focis iniicit manum, terroremque geminat dolo. *En, ut scias*, inquit, *quem virum effugeris.* 6. *Idem trecenti iuravimus*: quum interim (immane dictu!) hic interritus, ille trepidaret [tanquam manus regis arderet]. 7. Sic quidem viri. Sed ne qui sexus a laude cessaret, ecce et virginum virtus! Una ex obsidibus regi data, elapsa custodiam, Cloelia, per patrium flumen equitabat. 8. Et rex quidem tot tantisque virtutum territus monstris, valere liberosque esse iussit. Tarquinii tamdiu dimicaverunt, donec Aruntem filium regis manu sua Brutus occidit, superque ipsum mutuo vulnere exspiravit [plane quasi adulterum ad inferos usque sequeretur].

## CAPUT XI.

1. Latini quoque Tarquinios asserebant aemulatione et invidia, ut populus, qui foris dominabatur, saltem domi serviret. Igitur omne Latium, Mamilio Tusculano duce, quasi in regis ultionem, tollit animos. 2. Apud Regilli lacum dimicatur diu Marte vario, donec Postumius ipse Dictator signum in hostes iaculatus est (novum et insigne commentum), ut inde peteretur [cursu]. 3. Cossus equitum magister exuere frenos imperavit (et hoc novum), quo acrius incurrerent. 4. Ea denique atrocitas proelii fuit, ut interfuisse deos spectaculo fama tradiderit, duos in candidis equis. Castorem atque Pollucem nemo dubitavit. Itaque et Imperator veneratus est, pactusque victoriam templa promisit, et reddidit, plane quasi stipendium commilitonibus deis. 5. Hactenus pro libertate: mox de finibus cum eisdem Latinis assidue et sine intermissione pugnatum est. 6. Cora (quis credat?) et Algidum terrori fuerunt: Satricum atque Corniculum provinciae. De Verulis et Bovillis, pudet, sed triumphavimus. 7. Tibur nunc suburbanum et aestivae Praeneste deliciae, nuncupatis in Capitolio votis, petebantur. 8. Idem tunc Faesulae, quod Carrae nuper: idem nemus Aricinum, quod Hercynius saltus: Fregellae, quod Gesoriacum: Tiberis, quod Euphrates. 9. Coriolos quoque (pro pudor!) victos adeo gloriae fuisse, ut captum oppidum Cnaeus Marcius quasi Numantiam aut Africam, nomini induceret. 10. Exstant et parta de Antio spolia, quae Maenius in suggestu fori, capta hostium classe, suffixit: si tamen illa classis: nam sex fuere rostratae. [Sed hic numerus illis initiis navale bellum fuit.] 11. Pervicacissimi tamen Latinorum Aequi et Volsci fuere, et quotidiani, ut sic dixerim, hostes. 12. Et hos praecipue Titus Quintius do-

muit, ille Dictator ab aratro, qui obsessa et paene iam capta Marci Minucii Consulis castra egregia virtute servavit. 13. Medium erat tempus forte sementis, quum patricium virum innixum aratro [suo] lictor in ipso opere deprehendit. Inde in aciem profectus, ne quid a rustici operis imitatione cessaret, victos more pecudum sub iugum misit. 14. Sic expeditione finita, redit ad boves rursus triumphalis agricola. Fidem numinum! qua velocitate! 15. Intra quindecim dies coeptum peractumque bellum: prorsus, ut festinasse Dictator ad relictum opus videretur.

## CAPUT XII.

1. Assidui vero et anniversarii hostes ab Etruria [fuere] Veientes; adeo ut extraordinariam manum adversus eos promiserit, privatumque gesserit bellum gens una Fabiorum. 2. Satis superque idonea clades. Caesi apud Cremeram trecenti, patricius exercitus; et scelerato signata nomine, quae proficiscentes in proelium porta dimisit. 3. Sed ea clades ingentibus expiata victoriis, postquam per alios atque alios duces robustissima capta sunt oppida: vario quidem eventu. Falisci sponte se dediderunt. Cremati suo igne Fidenates. 4. Rapti funditus deletique Veientes. Faliscis, quum obsiderentur, mira visa fides Imperatoris; 5. nec immerito: quod ludimagistrum, urbis proditorem, cum his quos adduxerat, pueris vinctum sibi ultro remisisset. 6. Eam namque vir sanctus et sapiens veram sciebat esse victoriam, quae salva fide et integra dignitate pareretur. 7. Fidenae, quia pares non erant ferro, ad terrorem movendum facibus armatae, et discoloribus, serpentum in modum, vittis, furiali more processerant; sed habitus ille feralis eversionis omen

fuit. 8. Veii quanta res fuerit, indicat decennis obsidio. Tunc primum hiematum sub pellibus; taxata stipendio hiberna: adactus miles sua sponte iureiurando, ne, nisi *capta urbe*, *remearet*. 9. Spolia de Larte Tolumnio rege ad Feretrium reportata. Denique non scalis, nec irruptione, sed cuniculo et subterraneis dolis peractum urbis excidium. 10. Ea denique visa est praedae magnitudo, cuius decimae Apollini Pythio mitterentur: universusque populus Romanus ad direptionem urbis vocaretur. 11. Hoc tunc Veii fuere. Nunc quis meminit? quae reliquiae? [quodve vestigium?] Laborat annalium fides, ut Veios fuisse credamus.

---

## CAPUT XIII.

1. Hic sive invidia deum, sive fato, rapidissimus procurrentis imperii cursus parumper Gallorum Senonum incursione supprimitur. 2. Quod tempus populo Romano nescio utrum clade funestius fuerit, an virtutis experimentis speciosius. 3. Ea certe fuit vis calamitatis, ut in experimentum illatam putem divinitus, scire volentibus immortalibus deis, an Romana virtus imperium orbis mereretur. 4. Galli Senones, gens natura ferox, moribus incondita, ad hoc ipsa corporum mole, perinde armis ingentibus, adeo omni genere terribilis fuit, ut plane nata ad hominum interitum, urbium stragem, videretur. 5. Hi quondam ab ultimis terrarum oris et cingente omnia Oceano, ingenti agmine profecti, quum iam media vastassent, positis inter Alpes et Padum sedibus, ne his quidem contenti, per Italiam vagabantur. 6. Tum Clusium urbem obsidebant. Pro sociis ac foederatis Romanus intervenit. Missi ex more legati. Sed quod ius apud barbaros? Ferocius agunt: et inde certamen. 7. Conversis igitur a Clusio, Romamque ve-

insolentibus, ad Alliam flumen cum exercitu Fabius Consul occurrit. Non temere foedior clades. 8. Itaque hunc diem fastis Roma damnavit. Fuso exercitu, iam moenibus Urbis appropinquabant. Erant nulla praesidia. Tum igitur [ut numquam alias] apparuit vera illa Romana virtus. 9. Iamprimum maiores natu, amplissimis usi honoribus, in forum coeunt: ibi, devovente Pontifice, se Diis Manibus consecrant; 10. statimque in suas quisque aedes regressi, sicut in trabeis erant et amplissimo cultu, in curulibus sellis sese posuerunt, ut, quum venisset hostis, in sua dignitate morerentur. 11. Pontifices et Flamines, quicquid religiosissimi in templis erat, partim in doleis défossa terrae recondunt, partim imposita plaustris secum auferunt. 12. Virgines simul ex sacerdotio Vestae, nudo pede fugientia sacra comitantur. Tamen excepisse fugientes unus e plebe fertur Albinius, qui, depositis uxore et liberis, virgines in plaustrum recepit. Adeo tum quoque in ultimis religio publica privatis affectibus antecellebat. 13. Iuventus vero, quam satis constat vix mille hominum fuisse, duce Manlio, arcem Capitolini montis insedit, obtestata ipsum Iovem quasi praesentem, *ut, quemadmodum ipsi ad defendendum templum concurrissent, ita ille virtutem eorum numine suo tueretur.* 14. Aderant interim Galli, apertamque Urbem primo trepidi, ne qui subesset dolus; mox ubi solitudinem vident, pari clamore et impetu invadunt. Patentes passim domus adeunt. Ibi sedentes in curulibus suis praetextatos senes, velut deos geniosque venerati, mox eosdem, postquam esse homines liquebat, alioquin nihil respondere dignantes, pari vecordia mactant; facesque tectis iniiciunt: et totam Urbem igne, ferro, manibus solo exaequant. 15. Sex mensibus barbari (quis crederet?) circa montem unum pependerunt, nec diebus modo, sed noctibus quoque omnia

experti: quum tandem Manlius nocte subeuntes, clangore anseris excitatus, a summa rupe deiecit, et, ut spem hostibus demeret, quanquam in summa fame, tamen ad speciem fiduciae, panes ab arce iaculatus est. 16. Et stato quodam die per medias hostium custodias Fabium Pontificem ab arce dimisit, qui sollenne sacrum in Quirinali monte conficeret. Atque ille per media hostium tela incolumis, religionis auxilio, rediit propitiosque deos renuntiavit. 17. Novissime quum iam obsidio sua barbaros fatigasset, mille pondo auri recessum suum venditantes, idque ipsum per insolentiam, quum ad iniqua pondera addito adhuc gladio, insuper *vae victis* increparent, subito aggressus a tergo Camillus adeo cecidit, ut omnia incendiorum vestigia Gallici sanguinis inundatione deleret. 18. Agere gratias diis immortalibus ipso tantae cladis nomine libet. Pastorum casas ignis ille, et flamma paupertatem Romuli abscondit. Incendium illud quid egit aliud, nisi ut destinata hominum ac deorum domicilio civitas, non deleta, nec obruta, sed expiata potius et lustrata videatur? 19. Igitur post assertam a Manlio, restitutam a Camillo Urbem, acrius etiam vehementiusque in finitimos resurrexit. Ac primum omnium illam ipsam Gallicam gentem non contentus moenibus expulisse, quum per Italiam naufragia sua latius traheret, sic persecutus est duce Camillo, ut hodie nulla Senonum vestigia supersint. 20. Semel apud Anienem trucidati, quum singulari certamine Manlius aureum torquem barbaro inter spolia detraxit. Inde Torquati. Iterum Pomptino agro, quum simili pugna Lucius Valerius, insidente galeae sacra alite adiutus, retulit spolia. 21. Inde Corvini. Nec non tandem post aliquot annos, omnes reliquias eorum in Etruria ad lacum Vadimonis Dolabella delevit [ne quis exstaret

in ea gente, quae incensam a se Romanam urbem gloriaretur.]

## CAPUT XIV.

1. Conversus a Gallis in Latinos, Manlio Torquato, Decio Mure Consulibus, semper quidem aemulatione imperii infestos, tum vero contemptu Urbis incensae, quum *ius civitatis, partem imperii et magistratuum* poscerent, atque iam amplius, quam congredi auderent. 2. Quo tempore quis cessisse hostem mirabitur? quum alter Consulum filium suum, quia contra imperium pugnaverat, quamvis victorem, occiderit; [quasi plus esset in imperio, quam in victoria:] alter quasi monitu deorum, capite velato, primam ante aciem Diis Manibus se devoverit, ut, in confertissima se hostium tela iaculatus, novum ad victoriam iter sanguine suo aperiret.

## CAPUT XV.

1. A Latinis aggressus est gentem Sabinorum, qui immemores pactae sub Tito Tatio affinitatis, quodam contagio belli se Latinis adiunxerant. 2. Sed Curio Dentato Consule, omnem eum tractum, qua Nar, Anio, fontes Velini, Hadriatico tenus mari, igne ferroque vastavit. 3 Qua victoria tantum hominum, tantum agrorum redactum in potestatem, ut, in utro plus esset, nec ipse posset aestimare, qui vicerat.

## CAPUT XVI.

1. Precibus deinde Campaniae motus, non pro se, sed [quod speciosius] pro sociis Samnitas invadit. 2. Erat foedus cum utrisque percussum: sed hoc Cam-

pani sanctius et prius omnium suorum deditione fecerant. Sic ergo Romanus bellum Samniticum tanquam sibi gessit. 3. Omnium, non modo Italiae, sed toto orbe terrarum, pulcherrima Campaniae plaga est. Nihil mollius coelo. Denique bis floribus vernat. Nihil uberius solo: ideo Liberi Cererisque certamen dicitur. Nihil hospitalius mari. 4. Hic illi nobiles portus, Caieta, Misenus et tepentes fontibus Baiae: Lucrinus et Avernus, quaedam maris otia. 5. Hic amicti vitibus montes, Gaurus, Falernus, Massicus et pulcherrimus omnium Vesuvius, Aetnaei ignis imitator. 6. Urbes ad mare, Formiae, Cumae, Puteoli, Neapolis, Herculaneum, Pompeii, et ipsa caput urbium Capua, quondam inter tres maximas, Romam Carthaginemque numerata. 7. Pro hac urbe, his regionibus populus Romanus Samnitas invasit; gentem, si opulentiam quaeras, aureis et argenteis armis et discolori veste usque ad ambitum armatam: si fallaciam, saltibus fere et montium fraude grassantem: si rabiem ac furorem, sacratis legibus humanisque hostiis in exitium Urbis agitatam: si pertinaciam, sexies rupto foedere cladibusque ipsis animosiorem. 8. Hos tamen quinquaginta annis per Fabios et Papirios patres eorumque liberos ita subegit ac domuit, ita ruinas ipsas urbium diruit, ut hodie Samnium in ipso Samnio requiratur: nec facile appareat materia quatuor et viginti triumphorum. 9. Maxime tamen nota et illustris apud Caudinas furculas ex hac gente clades Veturio Postumioque Consulibus accepta est. 10. Clauso per insidias intra eum saltum exercitu, unde non posset evadere, stupens tanta occasione dux hostium Pontius, Herennium patrem consuluit, et ille, *mitteret omnes, vel occideret*, sapienter, ut senior, suaserat. 11. Hic armis exutos mittere sub iugum maluit; ut nec amici forent beneficio, et post flagitium hostes

magis. 12. Itaque et Consules statim magnifice, voluntaria deditione turpitudinem foederis dirimunt, et ultionem flagitans miles, Papirio duce (horribile dictu!) strictis ensibus per ipsam viam ante pugnam furit; et *in congressu arsisse omnium oculos*, hostis auctor fuit; nec prius finis caedibus datus, quam iugum et hostibus et duci capto reposuerunt.

## CAPUT XVII.

1. Hactenus populo Romano bellum cum singulis gentium, mox acervatim; tamen sic quoque par omnibus [fuit]. Etruscorum duodecim populi, Umbri, in id tempus intacti, antiquissimus Italiae populus, Samnitium reliqui in excidium Romani nominis repente coniurant. 2. Erat terror ingens tot simul tantorumque populorum; et late per Etruriam infesta quatuor agminum signa volitabant. 3. Ciminius interim saltus in medio, ante invius [plane quasi Caledonius, vel Hercynius] adeo tum terrori erat, ut Senatus Consuli denuntiaret, ne tantum periculi ingredi auderet. 4. Sed nihil horum terruit ducem, quin fratre praemisso exploraret accessus. Ille, per noctem pastorio habitu speculatus omnia, refert tutum iter. 5. Sic Fabius Maximus periculosissimum bellum sine periculo explicavit. Nam subito inconditos atque palantes aggressus est, captisque superioribus iugis, in subiectos suo iure detonuit. 6. [Ea namque species fuit illius belli, quasi in terrigenas e coelo [ac nubibus] tela iacerentur.] 7. Nec incruenta tamen illa victoria. Nam oppressus in sinu vallis alter Consulum Decius, more patrio devotum Diis Manibus obtulit caput: sollennemque familiae suae consecrationem in victoriae pretium redegit.

## CAPUT XVIII.

1. Sequitur bellum Tarentinum, unum quidem titulo et nomine, sed victoria multiplex. Hoc enim Calabros Apulos atque Lucanos et, caput belli, Tarentinos [id est, totam Italiam], et cum istis omnibus Pyrrhum, clarissimum Graeciae regem, una veluti ruina pariter involvit, ut eodem tempore et Italiam consummaret, et transmarinos triumphos auspicaretur. 2. Tarentus, Lacedaemoniorum opus, Calabriae quondam et Apuliae totiusque Lucaniae caput; quum magnitudine et muris portuque nobilis, tum mirabilis situ: 3. quippe in ipsis Hadriani maris faucibus posita, in omnes terras, Histriam, Illyricum, Epiron, Achaiam, Africam, Siciliam vela [di]mittit. Imminet portui ad prospectum maris positum theatrum: quod quidem causa miserae civitati fuit omnium calamitatum. 4. Ludos forte celebrabant, quum adremigantes littori Romanas classes inde vident; atque hostem rati, emicant, sine discrimine insultant. 5. *Qui enim aut unde Romani?* Nec satis. Aderat sine mora querelam ferens legatio. Hanc quoque foede per obscoenam turpemque dictu contumeliam violant. 6. Et hinc bellum. Sed apparatus horribilis, quum tot simul populi pro Tarentinis consurgerent, omnibusque vehementior Pyrrhus: qui, semigraecam ex Lacedaemoniis conditoribus civitatem vindicaturus, cum totius viribus Epiri, Thessaliae, Macedoniae incognitisque in id tempus elephantis, mari, terra, viris, equis, armis, addito insuper ferarum terrore, veniebat. 7. Apud Heracleam et fluvium Sirim, Laevino consule, prima pugna: quae tam atrox fuit, ut Frentanae turmae praefectus Obsidius, invectus in regem, turbaverit, coëgeritque, proiectis insignibus, proelio excedere. 8. Actum erat, nisi elephanti conversi in spectaculum belli procu-

currissent: quorum quum magnitudine, tum deformitate, et novo odore simul ac stridore consternati equi, quum incognitas sibi belluas amplius, quam erant, suspicarentur, fugam stragemque late dederunt. 9. In Apulia deinde apud Asculum melius dimicatum est, Curio Fabricioque consulibus. Iam quippe terror belluarum exoleverat, et Caius Minucius quartae legionis hastatus, unius promoscide abscisa mori posse belluas ostenderat. 10. Itaque et in ipsas pila congesta sunt et in turres vibratae faces, tota hostium agmina ardentibus ruinis operuerunt: nec alius cladi finis fuit, quam nox: postremusque fugientium ipse rex a satellitibus humero saucius in armis suis referretur. 11. Lucaniae suprema pugna sub Arusinis, quos vocant, campis, ducibus iisdem. Et tum tota victoria. Exitum, quem datura virtus fuit, casus dedit. 12. Nam productis in primam aciem rursus elephantis, unum ex his pullum adacti in caput teli gravis ictus avertit: qui quum per stragem suorum recurrens stridore quereretur, mater agnovit, et, quasi vindicaret, exsiluit: tum omnia circa quasi hostilia gravi mole permiscuit. 13. Ac sic eaedem ferae, quae primam victoriam abstulerant, secundam parem fecerant, tertiam sine controversia tradiderunt. 14. Nec vero tantum armis et in campis, sed consiliis quoque et domi intra Urbem cum rege Pyrrho dimicatum est. Quippe post primam victoriam [rex callidus] intellecta virtute Romana, statim desperavit armis, seque ad dolos contulit. 15. Nam interemptos cremavit captivosque indulgenter habuit, et sine pretio restituit; missisque dein legatis in Urbem omni modo annisus est, ut facto foedere in amicitiam reciperetur. 16. Sed et bello et pace, et foris et domi, omnem in partem Romana virtus tum se approbavit; nec alia magis, quam Tarentina victoria, ostendit populi Romani fortitu-

dinem, Senatus sapientiam, ducum magnanimitatem. 17. Qui enim illi fuerunt viri, quos ab elephantis primo proelio obtritos accepimus? Omnium vulnera in pectore: quidam hostibus suis immortui: omnium in manibus enses, et relictae in vultibus minae, et in ipsa morte ira vivebat. 18. Quod adeo Pyrrhus miratus est, ut diceret: *O quam facile erat orbis imperium occupare, aut mihi Romanis militibus, aut me rege Romanis!* — 19. Quae autem eorum in reparando exercitu festinatio? Quum Pyrrhus idem, *O me*, inquit, *plane Herculis sidere procreatum, cui, quasi ab angue Lernaeo, tot caesa hostium capita de sanguine suo renascuntur!* 20. Qui autem ille Senatus? quum, perorante Appio Caeco, pulsi cum muneribus suis ab Urbe legati, interroganti regi, quid de hostium sede sentirent: *Urbem templum sibi visam, Senatum regnum deum esse* confiterentur. 21. Qui porro ipsi duces, vel in castris? Quod medicum venale regis caput offerentem Curius remisit: Fabricius oblatam sibi a rege imperii partem repudiavit. 22. Vel in pace? Quum Curius fictilia sua Samnitica praeferret auro: Fabricius decem pondo argenti circa Rufinum consularem virum quasi luxuriam censoria gravitate damnaret. 23. Quis ergo miretur his moribus, ea virtute victorem populum Romanum fuisse? unoque bello Tarentino intra quadriennium maximam partem Italiae, fortissimas gentes, opulentissimas urbes, uberrimasque regiones in ditionem redegisse? 24. Aut quid adeo fidem superet, quam si principia belli cum exitu conferantur? Victor primo proelio Pyrrhus, tota tremente Campania, Lirim Fregellasque populatus, prope captam Urbem a Praenestina arce prospexit, et a vicesimo lapide oculos trepidae civitatis fumo ac pulvere implevit. 25. Eodem postea bis exuto castris, bis saucio et in Graeciam suam trans mare ac terras fugato, pax et quies;

et tanta de opulentissimis tot gentibus spolia; ut victoriam suam Roma non caperet. 26. Nec enim temere ullus pulchrior in Urbem aut speciosior triumphus intravit. 27. Ante hunc diem nihil nisi pecora Volscorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitum arma vidisses: tum si captivos adspiceres, Molossi, Thessali, Macedones, Bruttius, Apulus atque Lucanus: si pompas, aurum, purpura, signa, tabulae, Tarentinaeque deliciae. 28. Sed nihil libentius populus Romanus aspexit, quam illas, quas ita timuerat, cum turribus suis belluas, quae non sine sensu captivitatis, submissis cervicibus, victores equos sequebantur.

## CAPUT XIX.

1. Omnis mox Italia pacem habuit. Qui enim post Tarentum auderent? nisi quod ultro persequi socios hostium placuit. 2. Domiti ergo Picentes, et caput gentis Asculum, Sempronio duce: qui, tremente inter proelium campo, Tellurem deam, promissa aede, placavit.

## CAPUT XX.

1. Salentini Picentibus additi, caputque regionibus, Brundisium inclyto portu, Marco Atilio duce. 2. Et in hoc certamine, victoriae pretium templum sibi pastoria Pales ultro poposcit.

## CAPUT XXI.

1. Postremi Italicorum in fidem venere Volsinii, opulentissimi Etruscorum, implorantes opem adversus servos quondam suos; 2. qui, libertate a dominis data, in ipsos se erexerant, translataque in se repu-

blica dominabantur. 3. Sed hi quoque, duce Fabio Gurgite, poenas dederunt.

## CAPUT XXII.

1. Haec est secunda aetas populi Romani, et quasi adolescentia, qua maxime viruit, et quodam flore virtutis exarsit ac ferbuit. Itaque inerat quaedam adhuc ex pastoribus feritas. [Quiddam spirabat indomitum]. 2. Inde est, quod exercitus Postumium Imperatorem, infitiantem, quas promiserat, praedas, facta in castris seditione, lapidavit: quod sub Appio Claudio noluit vincere hostem, quum posset: quod, duce Volerone, detrectantibus plerisque militiam, fracti Consulis fasces: 3. inde, quod principes, quum adversarentur voluntati suae, exsulatione multavit: ut Coriolanum, colere agros iubentem; nec minus ille ferociter iniuriam armis vindicasset, nisi quod iam inferentem signa filium mater Veturia lacrimis suis exarmavit: 4. ut ipsum Camillum, quod inique inter plebem et exercitum divisisse Veientem praedam videretur. Sed hic melior Veiis, in capta Urbe, consenuit: et mox supplices de hoste vindicavit. 5. Cum Senatu quoque vehementius aequo bonoque certatum est: adeo ut relictis sedibus solitudinem et interitum patriae suae minaretur.

## CAPUT XXIII.

1. Prima discordia ob impotentiam foeneratorum: quibus in terga quoque serviliter saevientibus, in Sacrum montem plebes armata secessit: aegreque, nec, nisi Tribunos impetrasset, Menenii Agrippae, facundi et sapientis viri, auctoritate, revocata est. 2. Exstat orationis antiquae satis efficax ad concordiam fabula, *qua dissedisse quondam humanos* dixit *artus*,

*quod, omnibus opere fungentibus, solus venter immunis ageret: deinde moribundos a seiunctione redisse in gratiam, quando sensissent, quod eius opera redactis in sanguinem cibis irrigarentur.*

## CAPUT XXIV.

1. Secundam in Urbe media decemviratus libido conflavit. Allatas a Graecia leges decem principes lecti, iubente populo, conscripserant: ordinataque erat in duodecim tabulis tota iustitia, quum tamen traditos fasces regio quodam furore retinebant. 2. Ante ceteros Appius eo insolentiae elatus est, ut ingenuam virginem stupro destinaret, oblitus et Lucretiae et iuris, quod ipse composuerat. 3. Itaque quum oppressam iudicio filiam trahi in servitutem videret Virginius pater, nihil cunctatus, in medio foro manu sua interfecit; admotisque signis commilitonum, totam eam dominationem, obsessam armis, in carcerem et catenas ab Aventino monte detraxit.

## CAPUT XXV.

Tertiam seditionem excitavit matrimoniorum dignitas, ut plebes cum patriciis iungerentur: qui tumultus in monte Ianiculo, duce Canuleio, Tribuno plebis, exarsit.

## CAPUT XXVI.

1. Quartam honorum cupido, ut plebes quoque magistratus crearentur. 2. Fabius Ambustus, duarum pater, alteram Sulpicio patricii sanguinis dederat, alteram plebeio Stoloni. 3. Quae quodam tempore, quod lictoriae virgae sonum, ignotum penatibus suis, expaverat, a sorore satis insolenter irrisa, iniu-

riam non tulit; 4. Stoloque nanctus Tribunatum, honorum et magistratuum consortium, quamvis invito, Senatui extorsit. 5. Verum in his ipsis seditionibus principem populum non immerito suspexeris. Siquidem nunc libertatem, nunc pudicitiam, tum natalium dignitatem, tum honorum decora et insignia vindicavit. 6. Interque haec omnia nullius acrior custos, quam libertatis fuit; nullaque in pretium eius potuit largitione corrumpi, quum, ut in magno et in dies maiore populo, interim perniciosi cives exsisterent. 7. Maelium largitione, Spurium Cassium agraria lege suspectos regiae dominationis, praesenti morte multavit. Ac de Spurio quidem supplicium pater ipsius sumpsit: hunc Quintii Dictatoris imperio in medio foro Magister equitum Servilius Ahala confodit. 8. Manlium vero, Capitolii vindicem, quia plerosque debitorum liberaverat, altius se et incivilius efferentem, ab illa, quam defenderat, arce deiecit. 9. Talis domi ac foris, talis pace belloque populus Romanus, fretum illud adolescentiae, id est, secundam imperii aetatem habuit, in qua totam inter Alpes fretumque Italiam armis subegit.

---

# L. ANNAEI FLORI
# EPITOME
# RERUM ROMANARUM
## LIBER SECUNDUS.

### CAPUT I.

1. Domita subactaque Italia, populus Romanu prope quingentesimum annum agens, quum bona fide adolevisset; si quod est robur, si qua iuventas; tum ille vere robustus et iuvenis et par orbi terrarum esse coepit. 2. Ita (mirum et incredibile dictu!) qui prope quingentis annis domi luctatus est, (adeo difficile fuerat dare Italiae caput!) his ducentis Africam, Europam, Asiam, totum denique orbem terrarum bellis victoriisque peragravit.

### CAPUT II.

1. Igitur victor Italiae quum ad fretum usque venisset, more ignis, qui, obvias populatus incendio silvas, interveniente flumine abrumpitur, paulisper substitit. 2. Mox quum videret opulentissimam in proximo praedam, quodammodo Italiae suae abscisam et quasi revulsam; adeo cupiditate eius exarsit, ut, quatenus nec mole iungi nec pontibus posset, armis belloque iungenda et ad continentem suum revocanda videretur. 3. Et ecce, ultro ipsis viam

pandentibus fatis, nec occasio defuit, quum de Poenorum impotentia foederata Siciliae civitas Messana quereretur. Affectabat autem ut Romanus, ita Poenus Siciliam, et eodem tempore paribus uterque votis ac viribus imperium orbis agitabat. 4. Igitur specie quidem socios iuvandi, re autem sollicitante praeda; quanquam territaret novitas rei, tamen (tanta in virtute fiducia!) ille rudis, ille pastorius populus vereque terrester ostendit nihil interesse virtutis, equis an navibus, terra an mari dimicaretur. 5. Appio Claudio Consule, primum fretum tum ingressus est, fabulosis infame monstris aestuque violentum: sed adeo non est exterritus, ut ipsam illam ruentis aestus violentiam pro munere amplecteretur: 6. statimque ac sine mora Hieronem Syracusanum tanta celeritate vicit, ut ille ipse prius se victum, quam hostem viderit, fateretur. 7. Duillio Cornelioque Consulibus etiam mari congredi ausus est, quum quidem ipsa velocitas classis comparatae auspicium fuit. Intra enim sexagesimum diem, quam caesa silva fuerat, centum sexaginta navium classis in ancoris stetit, ut non arte factae, sed quodam munere deorum conversae in naves atque mutatae arbores viderentur. 8. Proelii vero forma mirabilis, quum illas celeres volucresque hostium naves hae graves tardaeque comprehenderent. Longe illis nauticae artes, detergere remos et ludificari fuga rostra. 9. Iniectae enim ferreae manus machinaeque validae, ante certamen multum ab hoste derisae; coactique hostes, quasi in solido decernere. Victor ergo apud Liparas, mersa aut fugata hostium classe, primum illum maritimum egit triumphum. 10. Cuius quod gaudium fuit? quum Duillius Imperator, non contentus unius diei triumpho, per vitam omnem, ubi a coena rediret, praelucere funalia et praecinere sibi tibias iussit, quasi quotidie triumpharet. 11. Prae

tanta huius victoria leve damnum fuit alter Consulum interceptus, Asina Cornelius: qui, simulato colloquio evocatus atque ita oppressus, fuit perfidiae Punicae documentum. 12. Calatino Dictatore, fere omnia praesidia Poenorum Agrigento, Drepanis, Panormo, Eryce, Lilybaeo detraxit. 13. Trepidatum est semel circa Camerinensium saltum; sed eximia virtute Calpurnii Flammae, Tribuni militum, evasimus, qui, lecta trecentorum manu, infestum tumulum occupavit, adeoque moratus hostes, dum exercitus omnis evaderet: 14. ac sic pulcherrimo exitu Thermopylarum et Leonidae famam adaequavit: hoc illustrior, quod expeditioni tantae superfuit. 15. Lucio Cornelio Scipione, quum iam Sicilia suburbana esset populi Romani provincia, serpente latius bello, Sardiniam annexamque Corsicam transit. 16. Olbiae ibi, hic Aleriae urbis excidio incolas terruit, adeoque omni terra, mari, Poenos repurgavit, ut iam victoriae nihil nisi Africa ipsa restaret. 17. Marco Atilio Regulo duce, iam in Africam navigabat bellum. Nec deerant, qui ipso Punici maris nomine ac terrore deficerent, augente insuper Nautio Tribuno metum: in quem, nisi paruisset, securi destricta Imperator metu mortis navigandi fecit audaciam. 18. Mox deinde ventis remisque properatum est; tantusque terror hostici adventus Poenis fuit, ut apertis paene portis Carthago caperetur. 19. Prima belli praemium fuit civitas Clypea: prima enim a Punico littore, quasi arx et specula, procurrit. Et haec et trecenta amplius castella vastata sunt. 20. Nec cum hominibus, sed cum monstris quoque dimicatum est, quum, quasi in vindictam Africae nata, mirae magnitudinis serpens posita apud Bagradam castra vexaret. 21. Sed omnium victor Regulus, quum terrorem nominis sui late circumtulisset, quumque magnam vim iuventutis, ducesque ipsos aut cepisset, aut ha-

heret in vinculis, classemque, ingenti praeda onustam et triumpho gravem, in Urbem praemisisset; iam ipsam, caput belli, Carthaginem urgebat obsidio, ipsisque portis inhaerebat. 22. Hic paulum circumacta Fortuna est; tantum, ut plura essent Romanae virtutis insignia, cuius fere magnitudo calamitatibus approbatur. 23. Nam, conversis ad externa auxilia hostibus, quum Xanthippum illis ducem Lacedaemon misisset, a viro militiae peritissimo vincimur. [Tum foeda clades, Romanisque usu incognita.] Vivus in manus hostium venit fortissimus Imperator. Sed ille quidem par tantae calamitati fuit. Nam nec Punico carcere infractus est, nec legatione suscepta: 24. quippe diversa, quam hostes mandaverant, censuit; ne pax fieret, nec commutatio captivorum reciperetur. 25. Sed nec illo voluntario ad hostes suos reditu, nec ultimo supplicio deformata maiestas; immo his omnibus admirabilior, quid aliud, quam victus de victoribus, atque etiam, quia Carthago non cesserat, de fortuna triumphavit? 26. Populus autem Romanus multo acrior intentiorque pro ultione Reguli, quam pro victoria fuit. 27. Metello igitur Consule spirantibus altius Poenis et reverso in Siciliam bello, apud Panormum sic hostes cecidit, ut nec amplius eam insulam cogitarent. 28. Argumentum ingentis victoriae, centum circiter elephantorum captivitas; sic quoque magna praeda, si gregem illum non bello, sed venatione cepisset. 29. Appio Claudio Consule, non ab hostibus, sed a diis ipsis superatus est, quorum auspicia contempserat; ibi statim classe demersa, ubi ille praecipitari pullos iusserat, quod pugnare ab his vetaretur. 30. Marco Fabio Buteone Consule, classem hostium in Africo mari apud Aegimurum, iam in Italiam ultro navigantem, cecidit. 31. Quantus o tum triumphus tempestate intercidit, quum opulenta praeda classis, adversis acta ventis,

naufragio suo Africam et Syrtes, et omnium interiacentium insularum littora implevit! 32. Magna clades, sed non sine aliqua principis populi dignitate; interceptam tempestate victoriam et triumphum perisse naufragio. Et tamen, quum Punicae praedae omnibus promontoriis insulisque frustarentur, populus Romanus et sic triumphavit. 33. Lutatio Catulo Consule tandem bello finis impositus apud insulas, quibus nomen Aegates: 34. nec maior alias in mari pugna; quippe commeatibus, exercitu, propugnaculis, armis gravis hostium classis, et in ea quasi tota Carthago: quod ipsum exitio fuit. 35. Romana classis prompta, levis, expedita et quodam genere castrensis; ad similitudinem pugnae equestris, sic remis, quasi habenis agebatur; et in hos vel in illos mobilia rostra speciem viventium praeferebant. 36. Itaque momento temporis laceratae hostium rates, totum inter Siciliam Sardiniamque pelagus naufragio suo operuerunt. 37. Tanta denique fuit illa victoria, ut de excidendis hostium moenibus non quaereretur. Supervacuum visum est, in arcem murosque saevire, quum iam in mari esset deleta Carthago.

---

## CAPUT III.

1. Peracto Punico bello, sequuta est brevis sane, et quasi ad recipiendum spiritum requies; argumentumque pacis et bona fide cessantium armorum, tum primum post Numam clausa porta Iani fuit; sed statim ac sine mora patuit. 2. Quippe iam Ligures, iam Insubres Galli, nec non et Illyrii lacessebant, [sitae sub Alpibus, id est, sub ipsis Italiae faucibus, gentes], deo quodam assidue incitante, ne rubiginem ac situm arma sentirent: 3. denique utrique quotidiani et quasi domestici hostes tirocinia militum im-

buebant, et utraque gente populus Romanus ferrum suae virtutis acuebat. 4. Ligures, imis Alpium iugis adhaerentes inter Varum et Macram flumen, implicitosque dumis silvestribus, maior aliquanto labor erat invenire, quam vincere. Tuti locis et fuga: durum atque velox genus, ex occasione latrocinia magis, quam bella faciebant. 5. Itaque quum diu multumque eluderent Sallyes, Deciates, Oxubii, Euburiates, Ingauni, tandem Fulvius latebras eorum ignibus sepsit: Baebius in plana deduxit: Postumius ita exarmavit, ut vix reliquerit ferrum, quo terra coleretur.

## CAPUT IV.

1. Gallis Insubribus et his accolis Alpium, animi ferarum, corpora plus quam humana erant: [sed, (quod experimento deprehensum est) sicut primus impetus eis maior, quam virorum est, ita sequens minor quam feminarum. 2. Alpina corpora, humenti coelo educata, habent quiddam simile nivibus suis: quia mox, ut caluere pugna, statim in sudorem eunt; et levi motu, quasi sole, laxantur]. 3. Hi saepe et alias, sed Britomaro duce, *non prius soluturos se baltea, quam Capitolium ascendissent*, iuraverant. Factum est. 4. Victos enim Aemilius in Capitolio discinxit. Mox, Ariovisto duce, vovere *de nostrorum militum praeda Marti suo torquem*. Intercepit Iupiter votum. Nam de torquibus eorum aureum tropaeum Iovi Flaminius erexit. 5. Viridomaro rege *Romana arma Vulcano* promiserant. 6. Aliorsum vota ceciderunt. Occiso enim rege, Marcellus tertia post Romulum patrem Feretrio Iovi arma suspendit.

## CAPUT V.

1. Illyrii seu Liburni sub extremis Alpium radicibus agunt inter Arsiam Titiumque flumen, longissime per totum Hadriani maris littus effusi. 2. Hi, regnante Teuta muliere, populationibus non contenti, licentiae scelus addiderunt. 3. Legatos quippe nostros, ob ea, quae deliquerant, iure agentes, ne gladio quidem, sed ut victimas, securi percutiunt: praefectos navium igne comburunt, idque, quo indignius foret, mulier imperavit. 4. Itaque, Cnaeo Fulvio Centumalo duce, late domantur. 5. Strictae in principum colla secures, legatorum manibus litavere.

## CAPUT VI.

1. Post primum Punicum bellum, vix quadriennii requies: ecce alterum bellum; minus quidem spatio (nec enim amplius decem et octo annos habet), sed adeo cladium atrocitate terribilius, ut, si quis conferat damna utriusque populi, similior victo sit populus, qui vicit. 2. Urebat nobilem populum ablatum mare, raptae insulae, dare tributa, quae iubere consueverat. Hinc in ultionem puer Hannibal ad aram patri iuraverat: nec morabatur. 3. Igitur in causam belli Saguntos delecta est, vetus Hispaniae civitas et opulenta, fideique erga Romanos magnum quidem, sed triste monumentum; 4. quam in libertatem communi foedere exceptam Hannibal, causas novorum motuum quaerens, et suis et ipsorum manibus evertit, ut Italiam sibi rupto foedere aperiret. 5. Summa foederum Romanis religio est: itaque ad auditum sociae civitatis obsidium, memores icti cum Poenis quoque foederis, non statim ad arma procurrunt, dum prius more legitimo queri malunt. 6. In-

terim iam novem mensibus fessi fame, machinis, ferro, versa denique in rabiem fide, immanem in foro excitant rogum: tum desuper se suosque, cum omnibus opibus suis, ferro et igni corrumpunt. 7. Huius tantae cladis auctor Hannibal poscitur. Tergiversantibus Poenis, dux legationis, *Quae*, inquit, *mora est? In hoc ego sinu bellum pacemque porto; utrum eligitis?* Succlamantibus, *Bellum: Bellum igitur*, inquit, *accipite:* et excusso in media curia togae gremio, non sine horrore [quasi plane sinu bellum ferret] effudit. 8. Similis exitus belli initiis fuit. Nam, quasi has inferias sibi Saguntinorum ultimae dirae in illo publico parricidio incendioque mandassent, ita Manibus eorum, vastatione Italiae, captivitate Africae, ducum et regum, qui id gessere bellum, exitio parentatum est. 9. Igitur ubi semel se in Hispania movit illa gravis et luctuosa Punici belli vis atque tempestas; destinatumque Romanis iam diu fulmen Saguntino igne conflavit: statim quodam impetu rapta medias perfregit Alpes; et in Italiam ab illis fabulosae altitudinis nivibus, velut coelo missa, descendit. 10. Ac primi quidem impetus turbo inter Padum atque Ticinum valido statim fragore detonuit. Tunc Scipione duce fusus exercitus. Saucius, etiam ipse venisset in hostium manus Imperator, nisi protectum patrem praetextatus admodum filius ab ipsa morte rapuisset. 11. Hic erit Scipio, qui in exitium Africae crescit, nomen ex malis eius habiturus. 12. Ticino Trebia succedit. Hic secunda Punici belli procella desaevit, Sempronio Consule. Tum callidissimi hostes, frigidum et nivalem nancti diem, quum se ignibus prius oleoque fovissent, (horribile dictu!) homines a meridie et sole venientes nostra nos hieme vicerunt. 13. Trasimenus lacus tertium fulmen Hannibalis, Imperatore Flaminio. Ibi quoque ars nova Punicae fraudis. Quippe nebula

lacus palustribusque virgultis tectus eques; terga subito pugnantium invasit. 14. Nec de diis possumus queri. Imminentem temerario duci cladem praedixerant insidentia signis examina, et aquilae prodire nolentes, et commissam aciem sequutus ingens terrae tremor. 15. Quartum, id est, paene ultimum vulnus imperii Cannae, ignobilis Apuliae vicus; sed magnitudine cladis emersit, et sexaginta millium caede parta nobilitas. Ibi, in exitium infelicis exercitus, dux, terra, coelum, dies, tota rerum natura consensit. 16. Siquidem non contentus simulatis transfugis Hannibal, qui mox terga pugnantium ceciderunt, insuper callidissimus Imperator, in patentibus campis, observato loci ingenio, quod et sol ibi acerrimus, et plurimus pulvis, et Eurus ab Oriente semper quasi ad constitutum, ita instruxit aciem, ut, Romanis adversus haec omnia obversis, quasi secundum coelum tenens, vento, pulvere, sole pugnaret. 17. Itaque duo maximi exercitus caesi ad hostium satietatem, donec Hannibal diceret militi suo: *Parce ferro.* Ducum effugit alter, alter occisus est: dubium, uter maiore animo. Paullum puduit: Varro non desperavit. 18. Documenta cladis cruentus aliquamdiu Aufidus, pons de cadaveribus, iussu ducis, factus in torrente Vergelli; modii duo anulorum Carthaginem missi, dignitasque equestris taxata mensura. 19. Dubium deinde non erit, quin ultimum illum diem habitura fuerit Roma, quintumque intra diem epulari Hannibal in Capitolio potuerit, si (quod Poenum illum dixisse Maharbalem Himilconis ferunt) *Hannibal, quemadmodum sciret vincere, sic uti victoria scisset.* 20. Sed tum quidem illum aut fatum Urbis imperaturae, aut ipsius mens mala, et aversi a Carthagine dii in diversum abstulerunt. 21. Quum victoria posset uti, frui maluit; relictaque Roma, Campaniam Tarentumque peragra

re; ubi mox et ipse et ipsius exercitus ardor elanguit: adeo ut verum dictum sit, *Capuam Hannibali Cannas fuisse.* 22. Siquidem invictum Alpibus, indomitum armis, Campani (quis crederet!) soles, et tepentes fontibus Baiae subegerunt. 23. Interim respirare Romanus, et quasi ab inferis emergere. Arma non erant; detracta sunt templis. deerat iuventus; in sacramentum liberata servitia. 24. Egebat aerarium; opes suas libens senatus in medium protulit; nec, praeter quod in bullis singulisque anulis erat, quidquam sibi auri reliquerunt. 25. Eques secutus exemplum, imitataeque equitem tribus. Denique vix suffecere tabulae, vix scribarum manus [Laevino Marcelloque Consulibus], quum privatae opes in publicum deferrentur. 26. Quid autem in deligendis magistratibus, quae centuriarum sapientia, quum iuniores a senioribus consilium de creandis Consulibus petierunt? Quippe adversus hostem totiens victorem, tam callidum, non virtute tantum, sed suis etiam pugnare consiliis oportebat. 27. Prima redeuntis, et, ut sic dixerim, reviviscentis imperii spes Fabius fuit: qui novam de Hannibale victoriam commentus est, non pugnare. Hinc illi cognomen novum et reipublicae salutare, *Cunctator.* Hinc illud ex populo, ut *Imperii scutum* vocaretur. 28. Itaque per Samnium totum, per Falernos, Gauranosque saltus sic maceravit Hannibalem, ut, qui frangi virtute non poterat, mora comminueretur. 29. Inde Claudio Marcello duce etiam congredi ausus est. Cominus venit, et perculit in Campania sua, et ab obsidione Nolae urbis excussit. 30. Ausus et Sempronio Graccho duce per Lucaniam sequi, et premere terga cedentis: quamvis tunc (o pudor!) servili manu pugnaret. Nam hucusque tot mala compulerant. 31. O horribilem in tot adversis fiduciam! o singularem animum ac spiritum populi Romani!

tam arctis afflictisque rebus, quum de Italia sua dubitaret, ausus tamen est in diversa respicere: 32. quumque hostis in iugulo per Campaniam Apuliamque volitaret, mediamque de Italia Africam faceret, eodem tempore et hunc sustinebat, et in Siciliam, Sardiniam, Hispaniam, divisa per orbem terrarum arma mittebat. 33. Sicilia mandata Marcello, nec diu restitit. Tota enim insula in una urbe superata est. Grande illud et ante id tempus invictum caput, Syracusae, quamvis Archimedis ingenio defenderentur, aliquando cesserunt. 34. Longe illi triplex murus, totidemque arces, portus ille marmoreus, et fons celebratus Arethusae: nisi quod hactenus profuere, ut pulchritudini victae urbis parceretur. 35. Sardiniam Gracchus arripuit. Nihil illi gentium feritas, Insanorumque (nam sic vocantur) immanitas montium profuere. Saevitum in urbes, urbemque urbium Caralim, ut gens contumax, vilisque morti, saltem desiderio patrii soli domaretur. 36. In Hispaniam missi Cnaeus et Publius Scipiones paene totam Poenis eripuerant; [sed insidiis Punicae fraudis oppressi rursus amiserant, magnis quidem illi proeliis quum Punicas opes cecidissent] sed Punicae insidiae alterum ferro castra metantem, alterum, quum evasisset in turrem, cinctum facibus oppresserunt. 37. Igitur in ultionem patris ac patrui missus cum exercitu Scipio, 38. cui tam grande de Africa nomen fata decreverant, bellatricem illam, viris armisque nobilem Hispaniam, illam seminarium hostilis exercitus, illam Hannibalis eruditricem (incredibile dictu!) totam a Pyrenaeis montibus in Herculis columnas et Oceanum recuperavit: nescias, citius an felicius. 39. Quam velociter, quatuor anni fatentur: quam feliciter, vel una civitas probat. Eodem quippe, quo obsessa est die, capta est: omenque Africanae victoriae fuit, quod tam facile victa est Hispana

Carthago. 40. Certum est tamen, ad profligandam provinciam maxime profecisse singularem ducis sanctitatem: quippe qui captivos pueros puellasque praecipuae pulchritudinis barbaris restituerit, ne in conspectum quidem suum passus adduci, ne quid de virginitatis integritate delibasse saltem vel oculis videretur. 41. Haec inter diversa terrarum populus Romanus: nec ideo tamen Italiae visceribus inhaerentem summovere poterat Hannibalem. Pleraque ad hostem defecerant; et dux acerrimus contra Romanos Italicis quoque viribus utebatur. 42. Iam tamen eum plerisque oppidis et regionibus excusseramus: iam Tarentus ad nos redierat: iam et Capua, sedes et patria altera Hannibalis, tenebatur: cuius amissio tantum Poeno duci dolorem dedit, ut inde totis viribus Romam converteretur. 43. O populum dignum orbis imperio; dignum omnium favore, et admiratione hominum ac deorum! Compulsus ad ultimos metus ab incepto non destitit: et de sua Urbe sollicitus Capuam tamen non omisit; sed, parte exercitus sub Appio Consule relicta, parte Flaccum in urbem sequuta, absens simul praesensque pugnabat. 44. Quid ergo miramur, moventi castra a tertio lapide Hannibali iterum ipsos deos, deos inquam, (nec fateri pudebit) restitisse? 45. Tanta enim ad singulos illius motus vis imbrium effusa est, tanta ventorum violentia coorta, ut divinitus hostem summoveri, nec coelo, sed ab Urbis ipsius moenibus, et Capitolio ferri videretur. 46. Fugit et cessit et in ultimum se Italiae recepit sinum, quum Urbem tantum non adoratam reliquisset. 47. Parva res dictu, sed ad magnanimitatem populi Romani probandam satis efficax: quod illis ipsis, quibus obsidebatur, diebus ager, quem Hannibal castris insederat, venalis Romae fuit, hastaeque subiectus invenit emptorem. 48. Voluit Hannibal contra fiduciam imitari; subie-

citque argentarias Urbis tabernas: nec sector inventus est. 49. Nihil actum erat tanta virtute, tanto favore etiam deorum: siquidem ab Hispania Hasdrubal, Hannibalis frater, cum exercitu novo, novis viribus, nova belli mole veniebat. 50. Actum erat procul dubio, si vir ille se cum fratre iunxisset; sed hunc quoque castra metantem Claudius Nero cum Livio Salinatore debellat. 51. Nero in ultimo angulo Italiae summovebat Hannibalem. Livius in diversissimam partem, id est, in ipsas nascentis Italiae fauces signa converterat. 52. Tanto solo interiacente, quo consilio, qua celeritate Consules castra coniunxerint, inopinanterque hostem collatis signis oppresserint, difficile dictu est. 53. Certe Hannibal, re cognita, quum proiectum fratris caput ad sua castra vidisset, *Agnosco*, inquit, *infelicitatem Carthaginis*. Haec fuit illius viri, non sine praesagio quodam fati imminentis, prima confessio. 54. Iam certum erat, Hannibalem etiam ipsius confessione posse vinci: sed tot rerum prosperarum fiducia plenus populus Romanus magni aestimabat, asperrimum hostem in sua Africa debellare. 55. Duce igitur Scipione in ipsam Africam tota mole conversus imitari coepit Hannibalem, et Italiae suae clades in Africam vindicare. 56. Quas ille (dii boni!) Hasdrubalis copias, quos Syphacis exercitus fudit! quae quantaque utriusque castra facibus illatis una nocte delevit! denique iam non a tertio lapide, sed ipsas Carthaginis portas obsidione quatiebat. 57. Sic factum, ut inhaerentem atque incubantem Italiae extorqueret Hannibalem. 58. Non fuit maior sub imperio Romano dies, quam ille, quum duo omnium et ante et postea maximi duces, ille Italiae, hic Hispaniae victor, collatis cominus signis direxere aciem. Sed et colloquium fuit inter ipsos de legibus pacis. Steterunt diu mutua admiratione

defixi. 59. Ubi de pace non convenit, signa cecinere. 60. Constat utriusque confessione, *nec melius instrui aciem, nec acrius potuisse pugnari.* Hoc Scipio de Hannibalis, Hannibal de Scipionis exercitu praedicaverunt. 61. Sed tamen Hannibal cessit, praemiumque victoriae Africa fuit, et sequutus Africam statim terrarum orbis.

## CAPUT VII.

1. Post Carthaginem vinci neminem puduit. Sequutae statim Africam gentes, Macedonia, Graecia, Syria ceteraque omnia, quodam quasi aestu et torrente fortunae: 2. sic primi omnium Macedones, affectator quondam imperii populus. Itaque quamvis tunc Philippus regno praesideret, Romani tamen dimicare sibi cum rege Alexandro videbantur. 3. Macedonicum bellum nomine amplius, quam spectatione gentis fuit. 4. Causa coepit a foedere Philippi, quo rex iam pridem dominantem in Italia Hannibalem sibi sociaverat: postea crevit, implorantibus Athenis auxilium contra regis iniurias, quum ille ultra ius victoriae in templa, aras et sepulcra ipsa saeviret. Placuit Senatui opem tantis ferre supplicibus. 5. Quippe iam gentium reges, duces, populi, nationes, praesidia sibi ab hac urbe petebant. 6. Primum igitur, Laevino Consule, populus Romanus Ionium mare ingressus, tota Graeciae littora veluti triumphanti classe peragravit: 7. spolia quippe Siciliae, Sardiniae, Hispaniae, Africae praeferebat: et manifestam victoriam nata in praetoria puppi laurus pollicebatur. 8. Aderat sponte in auxilium Attalus, rex Pergamenorum: aderant Rhodii, nauticus populus; qui obvius a mari, Consul a terris omnia equis virisque quatiebat. 9. Bis victus rex, bis fugatus; bis exutus castris; quum tamen nihil terri-

bilius Macedonibus fuit ipso vulnerum aspectu: quae non spiculis, non sagittis, nec ullo Graeculo ferro, sed ingentibus pilis, nec minoribus adacta gladiis, ultra mortem patebant. 10. Enimvero Flaminio duce invios ante Chaonum montes, Aoumque amnem per abrupta cadentem et ipsa Macedoniae claustra penetravimus. 11. Introisse victoria fuit. Nam postea nunquam ausus congredi rex. Ad tumulos, quos Cynoscephalas vocant, uno, ac ne hoc quidem iusto praelio opprimitur. 12. Et illi quidem Consul pacem dedit, regnum concessit: mox, ne quid esset hostile, et Thebas et Euboeam et grassantem sub Nabide suo Lacedaemona compescuit. 13. Graeciae vero veterem statum reddidit, ut legibus viveret suis et avita libertate frueretur. 14. Quae gaudia, quae vociferationes fuerunt, quum hoc forte Nemeae in theatro quinquennalibus ludis a praecone caneretur! Quo certavere plausu! Quid florum in Consulem profuderunt! 15. Et iterum iterumque praeconem repetere illam vocem iubebant, qua libertas Achaiae pronuntiabatur: nec aliter illa consulari sententia, quam modulatissimo aliquo tibiarum aut fidium cantu, fruebantur.

---

## CAPUT VIII.

1. Macedoniam Asia statim et regem Philippum Antiochus excepit, quasi de industria sic adgubernante Fortuna, ut, quemadmodum ab Africa in Europam, sic ab Europa in Asiam, ultro se suggerentibus causis, imperium procederet, et cum terrarum orbis situ ipse ordo victoriarum navigaret. 2. Non aliud formidolosius fama bellum fuit; quippe quum Persas et orientem, Xerxen atque Darium cogitarent: quando perfossi invii montes, quando velis opertum mare nuntiaretur. 3. Ad hoc coelestes mi-

nae territabant, quum humore continuo Cumanus Apollo sudaret. Sed hic faventis Asiae suae numinis timor erat. 4. Nec sane viris, opibus, armis quidquam copiosius Syria; sed in manus tam ignavi regis inciderat, ut nihil fuerit in Antiocho speciosius, quam quod a Romanis victus est. 5. Impulere regem in id bellum, illinc Thoas, Aetoliae princeps, inhonoratam apud Romanos querens adversus Macedonas militiae suae societatem; hinc Hannibal, qui, in Africa victus, profugus et pacis impatiens, hostem populo Romano toto orbe quaerebat. 6. Et quod illud fuisset periculum, si se consiliis eius rex tradidisset, id est, si Asiae viribus usus fuisset miser Hannibal? Sed rex, suis opibus et nomine regio fretus, satis habuit bellum movere. 7. Europa iam dubio procul iure ad Romanos pertinebat. Hic Lysimachiam urbem, in littore Thracio positam a maioribus suis, Antiochus, ut hereditario iure, repetebat. 8. Hoc velut sidere Asiatici belli mota tempestas. Et maximus regum, contentus fortiter indixisse bellum, quum ingenti strepitu ac tumultu movisset ex Asia, occupatis statim insulis Graeciaeque littoribus, otia et luxus [tanquam victor] agitabat. 9. Euboeam insulam, continenti adhaerentem, tenui freto reciprocantibus aquis, Euripus abscidit. Hic ille positis aureis sericisque tentoriis, sub ipso freti murmure, quum inter fluenta tibiis fidibusque concineret, collatis undique, quamvis per hiemem, rosis, ne non aliquo ducem genere agere videretur, virginum puerorumque dilectus habebat. 10. Talem ergo regem, iam luxuria sua debellatum, populus Romanus, Acilio Glabrione Consule, aggressus, ipso statim adventus sui nuntio coëgit ab insula fugere. 11. Tum praecipitem apud Thermopylas assequutus [locum trecentorum Laconum speciosa clade memorandum], ne ibi quidem fiducia loci resistentem, mari ac terra

cedere coëgit. 12. Statim et ex vestigio itur in Syriam. Classis regia Polyxenidae Hannibalique commissa: nam rex proelium nec spectare poterat: duce Aemilio Regillo, adremigantibus Rhodiis, tota laceratur. 13. Ne sibi placeant Athenae! in Antiocho vicimus Xerxen; in Aemilio Alcibiaden aequavimus; Epheso Salamina pensavimus. 14. Tum Consule Scipione, cui frater ille, modo victor Carthaginis, Africanus, voluntaria legatione aderat, debellari regem placet: et iam toto cesserat mari; sed nos imus ulterius. 15. Maeandrum ad amnem montemque Sipylum castra ponuntur. Hic rex, incredibile dictu, quibus auxiliis, quibus copiis consederat. 16. Trecenta millia peditum, equitum falcatorumque curruum non minor numerus. Elephantis ad hoc immensae magnitudinis, auro, purpura, argento et suo ebore fulgentibus, aciem utrinque vallaverat. 17. Sed haec omnia praepedita magnitudine sua; ad hoc imbre, qui, subito superfusus mira felicitate, Persicos arcus corruperat; primum trepidatio, mox fuga, dehinc triumphus fuerunt. 18. Victo et supplici pacem atque partem regni dari placuit, eo libentius, quod tam facile cessisset.

---

## CAPUT IX.

1. Syriaco bello successit, et debebat, Aetolicum. Victo quippe Antiocho, Romanus faces Asiatici belli persequebatur. 2. Ergo Fulvio Nobiliori mandata ultio est. Hic protinus caput gentis, Ambraciam, regiam Pyrrhi, machinis quatit. 3. Secuta deditio est. Aderant Aetolorum precibus Attici, Rhodii: et memineramus auxilii. Sic placuit ignoscere. 4. Serpsit tamen latius in proximos bellum, omnemque late Cephalleniam, Zacynthon, et quidquid in-

sularum in eo mari inter Ceraunios montes iugumque Maleum, Aetoli belli accessio fuerunt.

## CAPUT X.

1. Histri sequuntur Aetolos: quippe bellantes eos nuper adiuverant. 2. Et initia pugnae prospera hosti fuerant, eademque exitii causa. Nam quum Cnaei Mallii castra cepissent, opimaeque praedae incubarent, epulantes ac ludibundos plerosque, aut, ubi essent, prae poculis nescientes, Appius Pulcher invadit. 3. Sic cum sanguine et spiritu male partam revomuere victoriam. Ipse rex Aepulo, equo impositus, quum subinde crapula et capitis errore lapsaret, captum sese, vix et aegre, postquam experrectus est, didicit.

## CAPUT XI.

1. Gallograeciam quoque Syriaci belli ruina involvit. 2. Fuerint inter auxilia regis Antiochi, an cupidus triumphi Mallius eos visos simulaverit, dubium. 3. Certe negatus est victori triumphus, quia causam belli non approbavit. Ceterum gens Gallograecorum [sicut ipsum nomen indicio est] mixta et adulterata est: reliquiae Gallorum, qui sub Brenno duce vastaverant Graeciam; inde Orientem secuti, in media Asiae parte sederunt. 4. Itaque, ut frugum semina mutato solo degenerant, sic illa genuina feritas eorum Asiatica amoenitate mollita est. 5. Duobus itaque proeliis fusi fugatique sunt: quamvis sub adventu hostis, relictis sedibus, in altissimos se montes recepissent. Tolistobogi Olympum, Tectosagi Magabam insederant. Utrimque fundis sagittisque acti, in perpetuam se pacem dediderunt. 6. Sed alligati miraculo quodam fuere, quum catenas morsi-

bus et ore tentassent: quum offocandas invicem fauces praebuissent. Nam Ortiagontis regis uxor, a Centurione stuprum passa, memorabili exemplo custodiam evasit, revulsumque militis caput ad maritum retulit.

---

## CAPUT XII.

1. Dum aliae aliaeque gentes Syriaci belli sequuntur ruinam, Macedonia rursus erexit. 2. Fortissimum populum memoria et recordatio suae nobilitatis agitabat: et successerat Philippo filius Perses, qui, semel in perpetuum victam esse Macedoniam, non putabat ex gentis dignitate. 3. Multo vehementius sub hoc Macedones, quam sub patre consurgunt. Quippe Thracas in vires suas traxerant: atque ita industriam viribus Thracum, ferociam Thracum disciplina Macedonica temperavere. 4. Accessit his consilium ducis, qui, situm regionum suarum summo speculatus Haemo, positis per abrupta castris, ita Macedoniam suam armis ferroque vallaverat, ut non reliquisse aditum, nisi a coelo venturis hostibus videretur. 5. Nam, Marcio Philippo Consule, eam provinciam ingressus populus Romanus, exploratis diligenter accessibus, praeter Ascuridem paludem, per acerbos dubiosque tumulos, illa, qua volucribus quoque videbatur invia, accessit; regemque securum et nihil tale metuentem subita belli irruptione terruit. 6. Cuius tanta trepidatio fuit, ut pecuniam omnem in mare iusserit mergi, ne periret; classem cremari, ne incenderetur. 7. Paullo Consule quum maiora et crebriora essent imposita praesidia, per alias vias Macedonia deprensa est, summa quidem arte et industria ducis, quum alia esset minatus, alia irrupisset. 8. Cuius adventus ipse adeo terribilis regi fuit, ut interesse non auderet, sed ge-

renda ducibus bella mandaverit. 9. Absens ergo victus, fugit in maria insulamque Samothracen, fretus celebri religione, quasi templa et arae possent defendere, quem nec montes sui, nec arma potuissent. 10. Nemo regum diutius amissae fortunae conscientiam retinuit. Supplex quum scriberet ad Imperatorem de illo, quo confugerat, templo, nomenque [epistola] notaret suum, *Regem* addidit. 11. Sed nec reverentior captae maiestatis alius Paullo fuit. Quum in conspectum venisset hostis, in templum recepit, et conviviis adhibuit, liberosque admonuit suos, ut Fortunam, cui tantum liceret, revererentur. 12. Inter pulcherrimos hunc quoque populus Romanus de Macedonia duxit ac vidit triumphum: quippe cuius spectaculo triduum impleverit. 13. Primus dies signa, tabulas: sequens arma, pecunias transvexit; tertius captivos, ipsumque regem, attonitum adhuc, tanquam subito malo stupentem. 14. Sed multo prius gaudium victoriae populus Romanus, quam epistolis victoris praeceperat. Quippe eodem die, quo victus est Perses in Macedonia, Romae cognitum est. 15. Duo iuvenes candidis equis apud Iuturnae lacum pulverem et cruorem abluebant. 16 Hi nuntiavere. Castorem et Pollucem fuisse creditum vulgo, quod gemini fuissent: interfuisse bello, quod sanguine maderent: a Macedonia venire, quod adhuc anhelarent.

## CAPUT XIII.

1. Macedonii belli contagio traxit Illyrios. Ipsi quidem, ut Romanum a tergo distringerent, a Perse rege conducti pecunia militaverunt. Sine mora ab Anicio Praetore subiguntur. 2. Scordam, caput gentis, delesse suffecit. Statim secuta deditio est. Denique hoc bellum ante finitum est, quam geri Romae nuntiaretur.

## CAPUT XIV.

1. Quodam fato, quasi ita convenisset inter Poenos et Macedonas, ut tertio quoque vincerentur, eodem tempore utrique arma moverunt; 2. sed prior iugum excutit Macedo, aliquanto, quam ante, gravior, dum contemnitur. 3. Causa belli prope erubescenda. Quippe regnum pariter et bellum vir ultimae sortis Andriscus invaserat, dubium liber an servus, mercenarius certe: sed quia vulgo Philippus ex similitudine Philippi vocabatur, regiam formam, regium nomen, animo quoque regio implevit. 4. Igitur dum haec ipsa contemnit populus Romanus, Iuventio Praetore contentus, virum, non Macedonicis modo, sed Thraciae quoque auxiliis ingentibus validum, temere tentavit: invictusque a veris regibus ab illo imaginario et scenico rege superatur. 5. Sed Consule Metello amissum cum legione Praetorem plenissime ultus est. Nam et Macedoniam servitute multavit, et ducem belli deditum ab eo, ad quem confugerat, Thraciae regulo, in Urbem in catenis reduxit; hoc quoque illi in malis suis indulgente Fortuna, ut de eo populus Romanus, quasi de vero rege, triumpharet.

---

## CAPUT XV.

1. Tertium cum Africa bellum et tempore exiguum (nam quadriennio patratum est), et, in comparatione priorum, minimum labore (non enim tam cum viris, quam cum ipsa urbe, pugnatum est), sed plane maximum eventu: quippe eo tandem Carthago finita est. 2. Atque si quis trium temporum momenta consideret, primo commissum est bellum, profligatum secundo, tertio vero confectum. 3. Sed huius causa belli, quod contra foederis legem adversus Numidas quidem reparasset classem et exercitum.

frequens autem Masinissae fines territabat. 4. Sed huic, ut bono socioque regi, favebatur. Quum bellum sederet, de belli fine tractatum est. Cato inexpiabili odio delendam esse Carthaginem, et quum de alio consuleretur, pronuntiabat: 5. Scipio Nasica, servandam, ne, metu ablato aemulae, luxuriari felicitas Urbis inciperet. Medium senatus elegit, ut urbs tantum loco moveretur. 6. Nihil enim speciosius videbatur, quam esse Carthaginem, quae non timeretur. 7. Igitur, Manilio Censorinoque Consulibus, populus Romanus, aggressus Carthaginem, spe pacis iniecta, traditam a volentibus classem sub ipso ore urbis incendit. 8. Tum evocatis principibus, *si salvi esse vellent, ut migrarent finibus*, imperatum. Quod pro rei atrocitate adeo movit iras, ut extrema mallent. Comploratum igitur publice, et statim pari voce clamatum, ad arma; 9. seditque sententia, quoquo modo rebellandum: non quia iam spes ulla superesset, sed quia patriam suam mallent hostium, quam suis manibus everti. 10. Qui rebellantium fuerit furor, vel hinc intelligi potest, quod in usum novae classis tecta domusque resciderunt: in armorum officinas aurum et argentum pro aere ferroque conflatum est: in tormentorum vincula matronae crines suos contulerunt. 11. Manilio deinde Consule, terra marique fervebat obsidio. Portus nudatus; et primus et sequens, iam et tertius murus; quum tamen Byrsa, quod nomen arci fuit, quasi altera civitas resistebat. 12. Quamvis profligato urbis excidio, tamen fatale Africae nomen Scipionum videbatur. Igitur in alium Scipionem conversa respublica, finem belli reposcebat. Hunc, Paullo Macedonico procreatum, Africani illius magni filius in decus gentis assumpserat, hoc scilicet fato, ut, quam urbem concusserat avus, nepos eius everteret. 13. Sed quemadmodum maxime mortiferi esse morsus solent morien-

tium bestiarum; sic plus negotii fuit cum semiruta Carthagine, quam integra. 14. Compulsis in unam arcem hostibus, portum quoque Romanus obsederat. Illi autem sibi portum ab alia urbis parte foderunt; nec ut fugerent, sed qua nemo illos nec evadere posse credebat. 15. Inde quasi enata subito classis erupit: quum interim iam diebus, iam noctibus, nova aliqua moles, nova machina, nova perditorum hominum manus, quasi ex obruto incendio subita de cineribus flamma, prodibat. 16. Deploratis novissime rebus, quadraginta se millia virorum dediderunt, quod minus credas, duce Hasdrubale. 17. Quanto fortius femina, et uxor ducis! quae, comprehensis duobus liberis, a culmine se domus in medium misit incendium, imitata reginam, quae Carthaginem condidit. 18. Quanta urbs deleta sit, ut de ceteris taceam, vel ignium mora probari potest: quippe per continuos decem et septem dies vix potuit incendium exstingui, quod domibus ac templis suis sponte hostes immiserant: ut, quatenus urbs eripi Romanis non poterat, triumphus arderet.

---

## CAPUT XVI.

1. Quasi saeculum illud eversionibus urbium curreret, ita Carthaginis ruinam statim Corinthos excepit, Achaiae caput, Graeciae decus, inter duo maria, Ionium et Aegaeum, quasi spectaculo exposita. Haec (o facinus indignum!) ante oppressa est, quam in numero certorum hostium referretur. 2. Critolaus causa belli, qui libertate, a Romanis data, adversus ipsos usus est, legatosque Romanos, dubium an et manu, certe oratione violavit. 3. Igitur Metello, ordinanti quum maxime Macedoniam, mandata est ultio: et hinc Achaicum bellum. Ac primum Critolai manum Metellus Consul per patentes Elidos campos

toto cecidit Alpheo. 4. Et uno proelio peractum erat bellum: iam et urbem ipsam terrebat obsidio: sed (o fata rerum!) quum Metellus dimicasset, ad victoriam Mummius venit. 5. Hic alterius ducis Diaei late exercitum sub ipsis Isthmi faucibus fudit, geminosque portus sanguine infecit. Tum ab incolis deserta civitas; direpta primum, deinde, tuba praecinente, deleta est. 6. Quid signorum, quid vestium, quidve tabularum raptum, incensum atque proiectum est! Quantas opes et abstulerit et cremaverit, hinc scias, quod, quicquid Corinthii aeris toto orbe laudatur, incendio superfuisse comperimus. 7. Nam et aeris notam pretiosiorem ipsa opulentissimae urbis fecit iniuria: quia incendio permixtis plurimis statuis atque simulacris, aeris, auri, argentique venae in commune fluxere.

## CAPUT XVII.

1. Ut Carthaginem Corinthos, ita Corinthon Numantia secuta est. Nec deinde toto orbe quidquam intactum armis fuit. 2. Post illa duo clarissima urbium incendia, late atque passim, nec per vices, sed simul pariter quasi unum undique bellum fuit; prorsus ut illae, quasi agitantibus ventis, diffudisse quaedam belli incendia toto orbe viderentur. 3. Hispaniae nunquam animus fuit, adversum nos universae consurgere: nunquam conferre vires suas libuit, neque aut imperium experiri, aut libertatem tueri suam publice. Alioquin ita undique mari Pyrenaeoque vallata est, ut ingenio situs ne adiri quidem potuerit. 4. Sed antea a Romanis obsessa est, quam se ipsa cognosceret: et sola omnium provinciarum vires suas, postquam victa est, intellexit. 5. In hac prope ducentos per annos dimicatum est, a primis Scipionibus in primum Caesarem Augustum, non continuo, nec

cohaerenter, sed prout causae lacessierant: nec cum Hispanis initio, sed cum Poenis in Hispania. 6. Inde contagio et series causaque bellorum. Prima per Pyrenaeum iugum signa Romana Publius et Cnaeus Scipiones intulerunt; proeliisque ingentibus Hannonem et Hasdrubalem ceciderunt; raptaque erat impetu Hispania, nisi fortissimi viri in ipsa victoria sua, oppressi Punica fraude, cecidissent, terra marique victores. 7. Igitur quasi novam integramque provinciam ultor patris et patrui Scipio ille, mox Africanus, invasit; isque, statim capta Carthagine et aliis urbibus, non contentus Poenos expulisse, stipendiariam nobis fecit: omnem citra ultraque Iberum subiecit imperio, primusque Romanorum ducum victor ad Gades et Oceani ora pervenit. Plus est provinciam retinere, quam facere. 8. Itaque per partes iam huc, iam illuc missi duces, qui ferocissimas et ad id temporis liberas gentes, ideoque impatientes iugi, multo labore, nec incruentis certaminibus servire docuerunt. 9. Cato ille Censorius Celtiberos, id est, robur Hispaniae, aliquot proeliis fregit. Gracchus, pater ille Gracchorum, eosdem centum et quinquaginta urbium eversione multavit. 10. Metellus ille, qui ex Macedonia cognomen meruit, meruerat et Celtibericus fieri, quum et Contrebiam memorabili cepisset exemplo, et Nertobrigae maiore gloria pepercisset. 11. Lucullus Turdulos atque Vaccaeos, de quibus Scipio ille posterior, singulari certamine, quum rex fuisset provocator, opima retulerat. 12. Decimus Brutus aliquanto latius Celticos Lusitanosque et omnes Gallaeciae populos, formidatumque militibus flumen Oblivionis; peragratoque victor Oceani littore, non prius signa convertit, quam cadentem in maria solem, obrutumque aquis ignem non sine quodam sacrilegii metu et horrore deprehendit. 13. Sed tota certaminum moles cum Lusi-

tanis fuit, et Numantinis. Nec immerito: quippe solis gentium Hispaniae duces contigerunt. Fuisset et cum omnibus Celtiberis, nisi dux illius motus initio belli oppressus esset, summus vir, astutus et audax, Olondicus, qui, hastam argenteam quatiens, velut coelo missam, vaticinanti similis, omnium in se mentes converterat. 14. Sed quum pari temeritate sub nocte castra Consulis adisset, iuxta tentorium ipsum pilo vigilis exceptus est. 15. Ceterum Lusitanos Viriathus erexit, vir calliditatis acerrimae, qui ex venatore latro, ex latrone subito dux atque imperator, et, si fortuna cessisset, Hispaniae Romulus, non contentus libertatem suorum defendere, per quatuordecim annos omnia citra ultraque Hiberum et Tagum igni ferroque populatus; 16. castra etiam Praetoriorum et Praesidum aggressus, Claudium Unimanum paene ad internicionem exercitus cecidit, et insignia trabeis et fascibus nostris, quae ceperat, in montibus suis tropaea fixit. 17. Tandem eum etiam Fabius Maximus Consul oppresserat; sed a successore Caepione Servilio violata victoria est: quippe qui, conficiendae rei cupidus, fractum ducem, et extrema deditionis agitantem, per fraudem, et insidias, et domesticos percussores aggressus, hanc hosti gloriam dedit, ut videretur aliter vinci non potuisse.

---

## CAPUT XVIII.

1. Numantia, quantum Carthaginis, Capuae, Corinthi opibus inferior, tantum virtutis nomine et honore par omnibus, summumque, si viros aestimes, Hispaniae decus. 2. Quippe quae sine muro, sine turribus, modice edito in tumulo apud flumen [Durium] sita, quatuor millibus Celtiberorum quadraginta millium exercitum per annos undecim sola sustinuit: nec sustinuit modo, sed saevius aliquanto

perculit, pudendisque foederibus affecit. Novissime quum invictam esse constaret, opus fuit eo, qui Carthaginem everterat. 3. Non temere, si fateri licet, ullius causa belli iniustior. Segidenses, socios et consanguineos, Romanorum manibus elapsos exceperant. 4. Habita pro eis deprecatio nihil valuit. Quum se ab omni bellorum contagione removerent, in legitimi foederis pretium iussi *arma deponere*. Hoc sic a barbaris acceptum, quasi manus absciderentur. Itaque statim, Megaravito fortissimo duce, ad arma conversi. Pompeium proelio aggressi, foedus tamen maluerunt, quum debellare potuissent. Hostilium deinde Mancinum. 5. Hunc quoque assiduis caedibus ita subegerunt, ut ne oculos quidem aut vocem Numantini viri quisquam sustineret. 6. Tamen cum hoc quoque foedus maluere, contenti armorum manubiis, quum ad internicionem saevire potuissent. 7. Sed non minus Numantini, quam Caudini illius foederis flagrans ignominia populus Romanus, dedecus quidem praesentis flagitii deditione Mancini expiavit: 8. ceterum duce Scipione, Carthaginis incendiis ad excidia urbium imbuto, tandem etiam in ultionem excanduit. 9. Sed tum acrius in castris, quam in campo, nostro cum milite, quam eum Numantino proeliandum fuit. 10. Quippe assiduis et iniustis et servilibus maxime operibus attriti, ferre plenius vallum, qui arma nescirent; luto inquinari, qui sanguine nollent, iubebantur. Ad hoc scorta, calones, sarcinae, nisi ad usum necessariae amputantur. 11. *Tanti esse exercitum, quanti imperatorem*, vere proditum est. Sic redacto in disciplinam milite commissa acies: quodque nemo visurum se unquam speraverat, factum, ut fugientes Numantinos quisquam videret. 12. Dedere etiam se volebant, si toleranda viris imperarentur. Sed quum Scipio veram vellet et sine exceptione victoriam, eo necessitatum

compulsi, primum, ut destinata morte in proelium ruerent, quum se prius epulis, quasi inferiis, implevissent, carnis semicrudae, et celiae (sic vocant indigenam ex frumento potionem). 13. Intellectum ab Imperatore consilium: itaque non permissa pugna morituris. Quum fossa atque lorica quatuorque castris circumdatos fames premeret: ab duce orantes proelium, ut tanquam viros occideret, ubi non impetrabant, placuit eruptio. 14. Sic conserta manu plurimi occisi; et, quum urgeret fames, aliquantisper inde vixerunt. Novissime consilium fugae sedit: sed hoc quoque, ruptis equorum cingulis, uxores ademere, summo scelere, per amorem. 15. Itaque deplorato exitu, in ultimam rabiem furoremque conversi, postremo mori Theogene duce destinarunt. Duces suos, seque, patriamque, ferro et veneno, subiectoque undique igne peremerunt. 16. Macte o fortissimam et meo iudicio beatissimam in ipsis malis civitatem! Asseruit cum fide socios; populum orbis terrarum viribus fultum tam parva manu, aetate tam longa sustinuit. Novissime maximo duce oppressa civitas, nullum de se gaudium hosti reliquit. 17. Unus enim vir Numantinus non fuit, qui in catenis duceretur. Praeda, ut de pauperrimis, nulla: arma ipsi cremaverant. Triumphus fuit tantum de nomine.

---

## CAPUT XIX.

1. Hactenus populus Romanus pulcher, egregius, pius, sanctus atque magnificus: reliqua saeculi, ut grandia aeque, ita vel magis turbida et foeda, crescentibus cum ipsa magnitudine imperii vitiis: 2. adeo ut si quis hanc tertiam eius aetatem transmarinam, quam ducentorum annorum fecimus, dividat, centum hos priores, quibus Africam, Macedoniam, Hispaniam domuit, *aureos* (sicut Poëtae canunt) iure

meritoque fateatur: 3. centum sequentes *ferreos* plane et cruentos, et si quid immanius; quippe qui Iugurthinis, Cimbricis, Mithridaticis, Parthicis, Piraticis bellis, Gallicis atque Germanicis, quibus coelum ipsum gloria ascendit, Gracchanas, Drusianasque caedes, adhoc servilia bella miscuerit: et, ne quid turpitudini desit, gladiatoria. 4. Denique, in se ipse conversus, Marianis atque Sullanis, novissime Pompeii et Caesaris manibus, quasi per rabiem et furorem (nefas!) semet ipse laceravit. 5. Quae si iuncta inter se sunt omnia atque confusa, tamen quo melius appareant, simul et ne scelera virtutibus obstrepant, separatim proferentur: 6. priusque, ut coepimus, iusta illa et pia cum exteris gentibus bella memorabimus, ut magnitudo crescentis in dies imperii appareat: tum ad illa civium scelera, turpesque et impias pugnas revertemur.

## CAPUT XX.

1. Victa ad occasum Hispania, populus Romanus ad Orientem pacem agebat; nec pacem modo, sed, inusitata et incognita quadam felicitate, relictae regiis hereditatibus opes et tota insemel regna veniebant. 2. Attalus rex Pergamenorum, regis Eumenis filius, socii quondam commilitonisque nostri, testamentum reliquit: *Populus Romanus bonorum meorum heres esto.* [In bonis regiis haec fuerunt.] 3. Adita igitur hereditate, provinciam populus Romanus non quidem bello, nec armis, sed, quod est aequius, testamenti iure retinebat. 4. Sed hanc, difficile dictu est, utrum facilius amiserit populus Romanus, an recuperaverit. Aristonicus, regii sanguinis ferox iuvenis, urbes regibus parere consuetas partim facile sollicitat: paucas resistentes, Myndon, Samon, Colophona, vi recepit; Crassi quoque Praetoris ex-

cidit exercitum, ipsumque cepit. 5. Sed ille, memor et familiae et Romani nominis, custodem sui barbarum virgula excaecat, et in exitium sui, quod volebat, ira concitat. 6. Mox a Perpenna domitus et captus et per deditionem in vinculis habitus. 7. Aquilius Asiatici belli reliquias confecit, mixtis (nefas!) veneno fontibus ad deditionem quarundam urbium. Quae res, ut maturam, ita infamem fecit victoriam: quippe quum, contra fas deum moresque maiorum, medicaminibus impuris, in id tempus sacrosancta Romana arma violasset.

# L. ANNAEI FLORI
## EPITOME
# RERUM ROMANARUM.
## LIBER TERTIUS.

### CAPUT I.

1. Haec ad Orientem. Sed non ad meridianam plagam eadem quies. Qui speraret post Carthaginem aliquod in Africa bellum? 2. Atqui non leviter se Numida concussit: et fuit in Iugurtha, quod post Hannibalem timeretur. Quippe rex callidissimus populum Romanum, armis inclytum, opibus aggressus est: et citra spem omnium Fortuna cessit, ut rex, fraude praecipuus, fraude caperetur. 3. Hic, avo Masinissa et Micipsa patre per adoptionem, quum interficere fratres statuisset, agitatus regni cupidi-

tate, nec illos magis, quam senatum populumque Romanum, quorum in fide et clientela regnum erat, metueret, primum scelus mandat insidiis: 4. potitusque Hiempsalis capite, quum se in Adherbalem convertisset, isque Romam profugisset, missa per legatos pecunia, traxit in sententiam suam Senatum. 5. Et haec fuit de nobis eius prima victoria. Missos deinde, qui regnum inter illum Adherbalemque dividerent, similiter aggressus, quum in Scauro ipsos Romani imperii mores expugnasset, inchoatum nefas perfecit audacia. 6. Sed non diu latent scelera. Corruptae nefas legationis erupit, placuitque bello persequi parricidam. 7. Primus in Numidiam Calpurnius Bestia Consul immittitur. Sed rex peritus, fortius adversus Romanos aurum esse, quam ferrum, pacem emit. 8. Cuius flagitii reus quum interveniente publica fide a Senatu arcesseretur, pari audacia et venit, et competitorem imperii [Masinissae] Massivam immisso percussore confecit. 9. Haec altera contra regem fuit causa bellandi. Igitur sequens ultio mandatur Albino. Sed huius quoque (pro dedecus!) ita corrupit exercitum, ut voluntaria nostrorum fuga vinceret Numida, castrisque potiretur: addito etiam turpi foedere in pretium salutis, quem prius emerat, dimisit exercitum. 10. Eo tandem tempore in ultionem non tam imperii Romani, quam pudoris, Metellus assurgit, qui callidissime hostem, nunc precibus, nunc minis, iam simulata, iam vera fuga eludentem, artibus suis aggressus est. 11. Agrorum atque vicorum populatione non contentus, in ipsa Numidiae capita impetum fecit. Et Zamam quidem frustra diu voluit; ceterum Thalam, gravem armis thesaurisque regis, diripuit. 12. Tunc urbibus exutum regem, et iam finium suorum regnique fugitivum, per Mauros atque Getuliam sequebatur. 13. Postremo Marius, auctis admodum copiis, quum pro

obscuritate generis sui capite censos sacramento adegisset, iam fusum et saucium regem adortus, non facilius tamen vicit, quam si integrum ac recentem. 14. Hic et urbem Herculi conditam Capsam, in media Africa sitam, anguibus arenisque vallatam, mira quadam felicitate superavit: et saxeo inditam monti Mulucham urbem per Ligurem aditu arduo inaccessoque penetravit. 15. Mox non ipsum modo, sed Bocchum quoque Mauretaniae regem, iure sanguinis Numidam vindicantem, apud oppidum Cirtam graviter cecidit. 16. Qui ubi, diffisus rebus suis, alienae cladis accessio fieri timet, pretium foederis atque amicitiae regem facit. 17. Sic fraudulentissimus regum fraude soceri sui in insidias deductus, Sullae in manum traditur; tandemque opertum catenis Iugurtham in triumpho populus Romanus aspexit. 18. Sed ille quoque, quamvis victus ac vinctus, vidit Urbem, quam venalem et quandoque perituram, si habuisset emptorem, frustra cecinerat. Iam, ut venalis fuisset, habuit emptorem: et, quum illum evaserit, certum erat, non esse perituram.

## CAPUT II.

1. Sic ad meridiem populus Romanus. Multo atrocius, et multipliciter magis a Septemtrione saevitum. 2. Nihil hac plaga infestius. Atrox coelum, perinde ingenia. Omni igitur tractu violentus hostis, a dextris atque laevis et medio Septemtrionis erupit. 3. Prima trans Alpes arma nostra sensere Salluvii, quum de incursionibus eorum fidissima atque amicissima civitas Massilia quereretur. 4. Allobroges deinde et Arverni, quum adversus eos similes Aeduorum querelae opem et auxilium nostrum flagitarent. Varusque victoriae testis, Isara et Vindelicus amnes, et impiger fluminum Rhodanus. 5. Maximus barba-

pis terror elephanti fuere, immanitati gentium pares. Nihil tam conspicuum in triumpho, quam rex ipse Bituitus, discoloribus in armis, argenteoque carpento, qualis pugnaverat. 6. Utriusque victoriae quod quantumque gaudium fuerit, vel hinc aestimari potest, quod et Domitius Aenobarbus et Fabius Maximus ipsis, quibus dimicaverant, locis saxeas erexere turres, et desuper exornata armis hostilibus tropaea fixerunt, quum hic mos inusitatus fuerit nostris. Nunquam enim populus Romanus hostibus domitis victoriam exprobravit.

---

## CAPUT III.

1. Cimbri, Teutoni, atque Tigurini, ab extremis Galliae profugi, quum terras eorum inundasset Oceanus, novas sedes toto orbe quaerebant: 2. exclusique et Gallia et Hispania, quum in Italiam demigrarent, misere legatos in castra Silani, inde ad Senatum, petentes, *ut Martius populus aliquid sibi terrae daret, quasi stipendium: ceterum, ut vellet, manibus atque armis suis uteretur.* 3. Sed quas daret terras populus Romanus, agrariis legibus inter se dimicaturus? Repulsi igitur, quod nequiverant precibus, armis petere constituunt. 4. Sed nec primum impetum barbarorum Silanus, nec secundum Mallius, nec tertium Caepio sustinere potuerunt. Omnes fugati, exuti castris. 5. Actum erat, nisi Marius illi saeculo contigisset. Ille quoque non ausus congredi statim, militem tenuit in castris, donec invicta illa rabies et impetus, quem pro virtute barbari habent, consenesceret. 6. Recessere igitur increpantes, et (tanta erat capiendae Urbis fiducia!) consulentes, si quid ad uxores suas mandarent. Nec segnius, quam minati fuerant, tripertito agmine per Alpes, id est claustra Italiae, ferebantur. 7, Marius, mira statim ve-

locitate occupatis compendiis, praevenit hostem: prioresque Teutonos sub ipsis Alpium radicibus assequutus (locum Aquas Sextias vocant), quo (fidem numinum!) proelio oppressit! 8. Vallem fluviumque medium hostes tenebant. Nostris aquarum nulla copia. Consultone id egerit Imperator, an errorem in consilium verterit, dubium. Certe necessitate aucta virtus causa victoriae fuit. 9. Nam flagitante aquam exercitu, *Si viri*, inquit, *estis: en illic habetis!* Itaque tanto ardore pugnatum, eaque caedes hostium fuit, ut victor Romanus de cruento flumine non plus aquae biberit, quam sanguinis barbarorum. 10. Certe rex ipse Teutobochus, quaternos senosque equos transilire solitus, vix unum, quum fugeret, ascendit; proximoque in saltu comprehensus, insigne spectaculum triumphi fuit: quippe vir proceritatis eximiae super tropaea sua eminebat. 11. Sublatis funditus Teutonis, in Cimbros convertitur. Hi iam (quis crederet!) per hiemem, quae altius Alpes levat, Tridentinis iugis in Italiam provoluti ruina descenderant. 12. Athesin flumen non ponte, nec navibus, sed quadam stoliditate barbarica primum corporibus aggressi, postquam retinere amnem manibus et clypeis frustra tentaverant, ingesta silva obrutum transiluere: 13. et, si statim infesto agmine Urbem petissent, grande discrimen esset: sed in Venetia, quo fere tractu Italia mollissima est, ipsa soli coelique clementia robur elanguit. Ad hoc panis usu carnisque coctae et dulcedine vini mitigatos Marius in tempore aggressus est. 14. Diem pugnae a nostro Imperatore petierunt, et sic proximum dedit. In patentissimo, quem Raudium vocant, campo concurrere. Inde sexaginta millia ciciderunt; hinc trecentis minus: per omnem diem conciditur barbarus. 15. Istic quoque Imperator addiderat virtuti dolum, secutus Hannibalem artemque Cannarum: primum, nebulosum nanctus

diem, ut hosti inopinatus occurreret: tum ventosum quoque, ut pulvis in oculos et ora ferretur: tum acie conversa in Orientem, ut, quod ex captivis mox cognitum est, ex splendore galearum ac repercussu quasi ardere coelum videretur. 16. Nec minor cum uxoribus eorum pugna, quam cum ipsis fuit: quum obiectis undique plaustris atque carpentis, altae desuper, quasi e turribus, lanceis contisque pugnarent. 17. Perinde speciosa mors earum fuit, quam pugna. Nam quum, missa ad Marium legatione, libertatem ac sacerdotium non impetrassent (nec fas erat), suffocatis elisisque passim infantibus suis, aut mutuis concidére vulneribus, aut, vinculo e crinibus suis facto, ab arboribus iugisque plaustrorum pependerunt. 18. Boiorix rex in prima acie dimicans impigre, nec inultus occubuit. Tertia Tigurinorum manus, quae, quasi in subsidium, Noricos insederat Alpium tumulos, in diversa lapsi, fuga ignobili et latrociniis evanuit. 19. Hunc tam laetum tamque felicem liberatae Italiae assertique imperii nuntium non per homines [ut solebat] populus Romanus accepit, sed per ipsos, si credere fas est, deos. 20. Quippe eodem die, quo gesta res est, visi pro aede Pollucis et Castoris iuvenes laureatas Praetori litteras tradere: frequensque in spectaculo rumor, *victoriae Cimbricae Feliciter!* dixit. 21. Quo quid admirabilius, quid insignius fieri potest? Quippe velut elata montibus suis Roma spectaculo belli interesset, quod in gladiatorio munere fieri solet, uno eodemque momento, quum in acie Cimbri succumberent, populus in urbe plaudebat.

---

## CAPUT IV.

1. Post Macedonas, si diis placet, Thraces rebellabant. Ipsi quondam tributarii Macedonum, nec in proximas modo provincias contenti incurrere, Thes-

saliam atque Dalmatiam; in Adriaticum mare usque venerunt: eoque fine non contenti, quasi interveniente natura, contorta in ipsas aquas tela miserunt. 2. Nihil interim per id omne tempus residuum crudelitatis fuit in captivos saevientibus: litare diis sanguine humano, bibere in ossibus capitum, cuiusquemodi ludibrio foedare mortem tam igni quam fumo; partus quoque gravidarum mulierum extorquere tormentis. 3. Saevissimi omnium Thracum Scordisci fuere; sed calliditas quoque ad robur accesserat. 4. Silvarum et montium situs cum ingenio consentiebant. Itaque non fusus modo ab his, aut fugatus, sed (simile prodigio) omnino totus interceptus exercitus, quem duxerat Cato. 5. Didius vagos et libera populatione diffusos intra suam repulit Thraciam. Drusus ulterius egit, et vetuit transire Danubium. Minucius toto vastavit Hebro, multis quidem amissis, dum per perfidum glacie flumen equitatur. 6. Piso Rhodopen Caucasumque penetravit. Curio Dacia tenus venit: sed tenebras saltuum expavit. Appius in Sarmatas usque pervenit: Lucullus ad terminum gentium Tanain, lacumque Maeotin. 7. Nec aliter cruentissimi hostium, quam suis moribus, domiti: quippe in captivos igni ferroque saevitum est. Sed nihil Barbaris atrocius visum est; quam quod abscisis manibus relicti, vivere superstites poenae suae iubebantur.

---

## CAPUT V.

1. Ponticae gentes a Septemtrione in sinistrum iacent, a Pontico cognominatae mari. Harum gentium atque regionum rex antiquissimus Aeetas: post Artabazes, a septem Persis oriundus: 2. inde Mithridates, omnium longe maximus; quippe quum quatuor Pyrrho, quatuordecim Hannibali suffecerint,

ille per quadraginta annos restitit, donec tribus ingentibus bellis subactus, felicitate Sullae, virtute Luculli, magnitudine Pompeii consumeretur. 3. Causam quidem illius belli praetenderat apud Cassium legatum, *attrectari terminos suos a Nicomede Bithynico:* ceterum elatus animis ingentibus, Asiae totius, et, si posset, Europae cupiditate flagrabat. 4. Spem ac fiduciam dabant nostra vitia: quippe quum civilibus bellis distringeremur, invitabat occasio: nudumque imperii latus ostendebant procul Marius, Sulla, Sertorius. 5. Inter haec reipublicae vulnera et hos tumultus, repente, quasi captato tempore, in lassos simul atque districtos subitus turbo Pontici belli ab ultima veluti specula Septemtrionis erupit. 6. Primus statim impetus belli Bithyniam rapuit. Asia inde pari terrore correpta est. Nec cunctanter ad regem ab urbibus nostris populisque descitum est. 7. Aderat, instabat, saevitia quasi virtute utebatur. Nam quid atrocius uno eius edicto, quum omnes, qui in Asia forent, Romanae civitatis homines interfici iussit? Tum quidem domus, templa et arae, humana omnia atque divina iura violata sunt. 8. Sed hic terror Asiae Europam quoque regi aperiebat. Itaque missis Archelao Neoptolemoque praefectis, excepta Rhodo, quae pro nobis firmius stetit, Cyclades, Delos, Euboea, et ipsum Graeciae decus, Athenae, tenebantur. 9. Italiam iam, ipsamque urbem Romam regius terror afflabat. Itaque Lucius Sulla festinat, vir armis optimus: parique violentia ruentem ulterius hostem quasi manu repulit: 10. primumque Athenas urbem (quis crederet!) frugum parentem, obsidione ac fame ad humanos cibos compulit. Mox subruto Piraeei portu sex et amplius muris, postquam domuerat ingratissimos hominum, tamen, ut ipse dixit, in honorem mortuorum, sacris suis famaeque donavit. 11. Mox quum Euboea at-

qui Boeotia praesidia regis depulisset, omnes copias uno apud Chaeroniam, apud Orchomenon altero bello dissipavit; statimque in Asiam transgressus ipsum opprimit: et debellatum foret, nisi de Mithridate triumphare cito, quam vere, maluisset. 12. Ac tum quidem hunc Asiae statum Sulla dederat. Ictum cum Ponticis foedus; recepit Bithyniam a rege Nicomedes, Ariobarzanes Cappadociam: 13. Asia rursus nostra, ut coeperat: Mithridates tantum repulsus. Itaque non fregit ea res Ponticos, sed incendit. Quippe rex, Asia et Europa quodammodo inescatus, non iam quasi alienam, sed, quia amiserat, quasi raptam belli iure repetebat. 14. Igitur ut exstincta parum fideliter incendia maiore flamma reviviscunt; ita ille de integro, auctis maiorem in modum copiis, tota denique regni sui mole, in Asiam rursus mari, terra fluminibusque veniebat. 15. Cyzicum nobilis civitas, arce, moenibus, portu turribusque marmoreis, Asiaticae plagae littora illustrat. Hanc ille, quasi alteram Romam, toto invaserat bello. 16. Sed fiduciam oppidanis resistendi nuntius fecit, docens adventare Lucullum, qui (horribile dictu!) per medias hostium naves utre suspensus, et pedibus iter adgubernans, videntibus procul quasi marina pristis evaserat. 17. Mox clade conversa, quum ex mora obsidentem regem fames, ex fame pestilentia urgeret, recedentem Lucullus assequitur, adeoque caedit, ut Granicus et Aesapus amnes cruenti redderentur. 18. Rex callidus Romanaeque avaritiae peritus spargi a fugientibus sarcinas et pecuniam iussit, qua sequentes moraretur. Nec felicior in mari, quam terra, fuga: quippe centum amplius navium classem apparatu belli gravem Pontico mari aggressa tempestas, tam foeda strage laceravit, ut navalis belli instar efficeret; 19. plane quasi Lucullus, quodam cum fluctibus procellisque commercio, debellandum tradi-

disse regem ventis videretur. 20. Attritae iam omnes validissimi regni vires erant, sed animus malis augebatur. 21. Itaque conversus ad proximas gentes, totum paene Orientem ac Septemtrionem ruina sua involvit. Hiberi, Caspii, Albani, et utraeque sollicitantur Armeniae, per quae omnia decus et nomen et titulos Pompeio suo Fortuna quaerebat. 22. Qui, ubi novis motibus ardere Asiam videt aliosque ex aliis prodire reges, nihil cunctandum ratus, priusquam inter se gentium robora coirent, statim ponte navibus facto, omnium ante se primus transiit Euphraten: 23. regemque fugientem media nanctus Armenia (quanta felicitas viri!) uno proelio confecit. Nocturna ea dimicatio fuit, et Luna in partibus. Quippe [quasi commilitans] quum a tergo se hostibus, a facie Romanis praebuisset, Pontici per errorem longius cadentes umbras suas, quasi hostium corpora, petebant. 24. Et Mithridates quidem nocte illa debellatus est. Nihil enim postea valuit; quanquam omnia expertus, more anguium, qui obtrito capite, postremum cauda minantur. 25. Quippe quum effugisset hostem Colchos, Siciliae quoque littora et Campaniam nostram subito adventu terrere voluit: Colchis tenus iungere Bosporon: inde per Thraciam, Macedoniam et Graeciam transilire: sic Italiam necopinatus invadere. 26. Tantum cogitavit. Sed defectione civium Pharnacisque filii scelere praeventus, male tentatum veneno spiritum ferro expulit. 27. Cnaeus interim Magnus rebellis Asiae reliquias sequens, per diversa gentium terrarumque volitabat. Nam sub Orientem secutus Armenios, captis in ipso capite gentis Satrapis supplicem iussit regnare Tigranen. 28. At in Septemtrionem Scythicum, iter, tanquam in mari, stellis secutus, Colchos cecidit; ignovit Hiberiae, pepercit Albanis, regemque horum Oroezen, positis sub ipso Caucaso castris, iussit in

plana descendere: Arthocen, qui Hiberis imperabat, et obsides liberos dare. Oroezen etiam remuneratus est, ultro ab Albania sua lectulum aureum et alia dona mittentem. 29. Nec non et in Meridiem verso agmine, Libanum Syriae Damascumque transgressus, per nemora illa odorata, per turis et balsami silvas, Romana signa circumtulit. Arabes, si quid imperaret, praesto fuere. 30. Hierosolyma defendere tentavere Iudaei: verum haec quoque et intravit, et vidit illud grande impiae gentis arcanum patens, sub aureo vites coelo. Dissidentibusque de regno fratribus arbiter factus, regnare iussit Hircanum. Aristobulo, quia renovabat imperium, catenas dedit. 31. Sic Pompeio duce populus Romanus totam, qua latissima est, Asiam pervagatus, quam extremam imperii habebat provinciam, mediam fecit. Exceptis quippe Parthis, qui foedus maluerunt, et Indis, qui adhuc nos nec noverant; omnis Asia inter Rubrum mare et Caspium et Oceanum Pompeianis domita vel oppressa signis tenebatur.

## CAPUT VI.

1. Interim dum populus Romanus per diversa terrarum distractus est, Cilices invaserant maria, sublatisque commerciis, rupto foedere generis humani, sic maria bello, quasi tempestate, praecluserant. 2. Audaciam perditis furiosisque latronibus dabat inquieta Mithridatis proeliis Asia, dum sub alieni belli tumultu, exterique regis invidia impune grassantur. 3. Ac primum duce Isidoro contenti proximo mari, Cretam inter atque Cyrenas et Achaiam sinumque Maleum, quod a spoliis *Aureum* ipsi vocavere, latrocinabantur; 4. missusque in eos Publius Servilius, quamvis leves et fugaces myoparonas gravi et Martia classe turbaret, non incruenta victoria superat.

5. Sed nec mari submovisse contentus, validissimas urbes eorum et diutina praeda abundantes, Phaselin et Olympon evertit, Isauronque ipsam arcem Ciliciae: unde, conscius sibi magni laboris, *Isaurici* cognomen adamavit. 6. Non ideo tamen tot cladibus domiti terra se continere potuerunt: sed ut quaedam animalia, quibus aquam terramque incolendi gemina natura est, sub ipso hostis recessu impatientes soli in aquas suas resiluerunt; et aliquanto latius, quam prius. 7. Sic Cilix quoque dignus victoria Pompeii visus est, et Mithridaticae provinciae factus accessio. Ille dispersam toto mari pestem semel et in perpetuum volens exstinguere, divino quodam apparatu aggressus est. 8. Quippe quum classibus suis et socialibus Rhodiorum abundaret, pluribus legatis atque praefectis utraque Ponti et Oceani ora complexus est. Gellius Tusco mari impositus; Plotius Siculo. 9. Gratilius Ligusticum sinum, Pomponius Gallicum obsedit, Torquatus Balearicum, Tiberius Nero Gaditanum fretum, qua primum maris nostri limen aperitur: Lentulus Libycum; Marcellinus Aegyptium; 10. Pompeii juvenes Hadriaticum; Varro Terentius Aegaeum et Ponticum; Pamphylium Metellus; Asiaticum Caepio; ipsas Propontidos fauces Porcius Cato sic obditis navibus, quasi portam, obseravit. 11. Sic per omnes aequoris portus, sinus, latebras, recessus, promontoria, freta, peninsulas, quidquid piratarum fuit, quadam indagine inclusum est. 12. Ipse Pompeius in originem fontemque belli Ciliciam: nec hostes detrectavere certamen; non ex fiducia, sed quia oppressi erant, ausi videbantur. 13. Sed nihil tamen amplius, quam ut ad primum ictum concurrerent. Mox ubi circumfusa undique rostra viderunt, abiectis statim telis remisque, plausu undique pari, quod supplicantium signum fuit, vitam petiverunt. 14. Non alias tam incruenta victoria usi

unquam sumus; sed nec fidelior in posterum reperta gens ulla est. Idque prospectum singulari consilio ducis, qui maritimum genus a conspectu longe removit maris, et mediterraneis agris quasi obligavit. 15. Eodemque tempore et usum maris navibus recuperavit, et terrae homines suos reddidit. Quid prius in hac mirere victoria? Velocitatem, quod quadragesimo die parta est? an felicitatem, quod ne una quidem navis amissa est? an vero perpetuitatem, quod amplius piratae non fuerunt?

## CAPUT VII.

1. Creticum bellum, si vera volumus, nos fecimus, sola vincendi nobilem insulam cupiditate. Favisse Mithridati videbatur; hoc placuit armis vindicare. 2. Primus invasit insulam Marcus Antonius, cum ingenti quidem victoriae spe atque fiducia, adeo, ut plures catenas in navibus, quam arma portaret. Dedit itaque poenas vecordiae. 3. Nam plerasque naves intercepere hostes, captivaque corpora religantes velis ac funibus, pependere: ac sic velificantes triumphantium in modum Cretes portibus suis adremigaverunt. 4. Metellus deinde totam insulam igni ferroque populatus, intra castella et urbes redegit, et Gnoson et Erythraeam, et, ut Graeci dicere solent, *urbium matrem* Cydonaeam: 5. adeoque saeve in captivos consulebatur, ut veneno se plerique conficerent: alii deditionem suam ad Pompeium absentem mitterent. 6. Et quum ille res in Asia gerens, eo quoque praefectum misisset Antonium, in aliena provincia irritus fuit: eoque infestior Metellus in hostes ius victoris exercuit; victisque Lasthene et Panare, Cydoneis ducibus, victor redit. Nec quidquam tamen amplius de tam famosa victoria, quam cognomen *Creticum* reportavit.

## CAPUT VIII.

1. [Quatenus Metelli Macedonici domus bellicis nominibus assueverat, altero ex liberis eius Cretico facto, mora non fuit, quin alter quoque *Balearicus* vocaretur.] 2. Baleares per id tempus insulae piratica rabie maria corruperant. Homines feros atque silvestres mireris ausos a scopulis suis saltem maria prospicere. 3. Ascendere etiam inconditas rates, et praeternavigantes subinde inopinato impetu terruere. 4. Sed quum venientem ab alto Romanam classem prospexissent, praedam putantes, ausi etiam occurrere: et primo impetu ingenti lapidum saxorumque nimbo classem operuerunt. 5. Tribus quisque fundis proeliatur. Certos esse quis miretur ictus, quum haec sola genti arma sint, id unum ab infantia studium? Cibum puer a matre non accipit, nisi quem, ipsa monstrante, percussit. 6. Sed non diu lapidatione Romanos terruere. Nam postquam cominus ventum est, expertique rostra et pila venientia, pecudum in morem clamore sublato petierunt fuga littora; dilapsique in proximos tumulos, quaerendi fuerunt, ut vincerentur.

---

## CAPUT IX.

1. Aderat fatum insularum. Igitur et Cypros recepta sine bello. 2. Insulam, veteribus deliciis abundantem et ob hoc Veneri sacram Ptolemaeus regebat. 3. Sed divitiarum tanta erat fama, nec falso, ut victor gentium populus, et donare regna consuetus, Publio Clodio Tribuno duce, socii vivique regis confiscationem mandaverit. 4. Et ille quidem ad rei famam veneno fata praecepit. 5. Ceterum Porcius Cato Cyprias opes liburnis per Tiberinum ostium in-

vexit: quae res latius aerarium populi Romani, quam nullus triumphus implevit.

---

## CAPUT X.

1. Asia Pompeii manibus subacta, reliqua, quae restabant in Europa, Fortuna in Caesarem transtulit. 2. Restabant autem immanissimi gentium, Galli atque Germani: et, quamvis toto orbe divisa, tamen, qui vinceret, habuit Britannia. Primus Galliae motus ab Helvetiis coepit, qui, Rhodanum inter et Rhenum siti, non sufficientibus terris, venere sedem petitum, incensis moenibus suis. Hoc sacramentum fuit, ne redirent. 3. Sed petito tempore ad deliberandum, quum inter moras Caesar, Rhodani ponte rescisso, fugam abstulisset, statim bellicosissimam gentem sic in sedes suas, quasi greges in stabula pastor, reduxit. 4. Sequens longe longeque cruentior pugna Belgarum, quippe pro libertate pugnantium. Hic quum multa Romanorum militum insignia, tum illud egregium ipsius ducis: quod, nutante in fugam exercitu, rapto fugientis e manu scuto, in primam volitans aciem, manu proelium restituit. 5. Inde cum Venetis etiam navale bellum; sed maior cum Oceano, quam cum ipsis navibus, rixa: quippe illae rudes et informes, et statim naufragae, quum rostra sensissent. Sed haerebat in vadis pugna, quum aestibus solutis in ipso certamine subductus Oceanus intercedere bello videretur. 6. Illae quoque accessere diversitates pro gentium locorumque natura. Aquitani, callidum genus, in speluncas se recipiebant: iussit includi. Morini labebantur in silvas: iussit incendi. 7. Nemo tantum feroces dixerit Gallos: fraudibus agunt. Indutiomarus Treveros, Ambiorix concitavit Eburones. Utrique, absente Caesare coniuratione facta, invasere legatos. 8. Sed ille fortiter a Tito

Labieno summotus est, relatumque regis caput; hic, insidiis in valle dispositis, dolo perculit. Itaque et castra direpta sunt, et Aurunculeium Cottam cum Titurio Sabino legatos amisimus. Nec ulla de rege mox ultio: quippe perpetua trans Rhenum fuga latuit. 9. Nec Rhenus ergo immunis: nec enim fas erat, ut liber esset receptator hostium atque defensor. 10. Et prima contra Germanos illius pugna, iustissimis quidem ex causis. Haedui de incursionibus eorum querebantur. 11. Quae Ariovisti regis superbia? Quum legati dicerent, *Veni ad Caesarem: Quis est Caesar?* et, *Si vult, veniat*, inquit; et, *Quid ad illum, quid agat nostra Germania? num ego me interpono Romanis?* 12. Itaque tantus gentis novae terror in castris, ut testamenta passim et in principiis scriberentur. Sed illa immania corpora, quo maiora erant, eo magis gladiis ferroque patuerunt. 13. Qui calor in proeliando militum fuerit, nullo magis exprimi potest, quam quod, elatis super caput scutis, quum se testudine barbarus tegeret, super ipsa Romani scuta salierunt, et inde in iugulos gladiis descendebant. 14. Iterum de Germano Tencteri querebantur. Hic vero iam Caesar ultro Mosellam navali ponte transgreditur, ipsumque Rhenum, et Hercyniis hostem quaerit in silvis; sed in saltus ac paludes genus omne diffugerat. Tantum pavoris incussit intra ripam subito Romana vis. 15. Nec semel Rhenus, sed iterum quoque, et quidem ponte facto, penetratus est. Maior aliquanto trepidatio: quippe quum Rhenum suum sic ponte, quasi iugo, captum viderent, fuga rursus in silvas et paludes; et, quod acerbissimum Caesari fuit, non fuere, qui vincerentur. 16. Omnibus terra marique captis, respexit Oceanum, et quasi hic Romanus orbis non sufficeret, alterum cogitavit. Classe igitur comparata Britanniam transit mira celeritate: quippe qui tertia vigilia Morino solvisset a

portu, minus quam medio die insulam ingressus est. 17. Plena erant tumultu hostico littora: et trepidantia ad conspectum rei novae carpenta volitabant. Itaque trepidatio pro victoria fuit. Arma et obsides accepit a trepidis; et ulterius isset, nisi improbam classem naufragio castigasset Oceanus. 18. Reversus igitur in Galliam, classe maiore auctisque copiis in eundem rursus Oceanum eosdemque rursus Britannos Caledonias secutus in silvas, unum quoque e regibus Cassivelaunianis in vincula dedit. 19. Contentus his (non enim provinciae, sed nomini studebatur), cum maiore, quam prius, praeda revectus est; ipso quoque Oceano tranquillo magis, et propitio, quasi imparem ei se fateretur. 20. Sed maxima omnium eademque novissima coniuratio fuit Galliarum: quum omnes pariter Arvernos atque Biturigas, Carnutas simul Sequanosque contraxit, ille corpore, armis spirituque terribilis, nomine etiam quasi ad terrorem composito, Vercingetorix: 21. ille festis diebus, et conciliabulis, quum frequentissimos in lucis haberet, ferocibus dictis, ad ius pristinum libertatis erexit. 22. Aberat tunc Caesar, Ravennae dilectum agens; et hieme creverant Alpes. Sic interclusum putabant iter. Sed ille qualis erat ad nuntium rei felicissimae temeritatis, per invios ad id tempus montium tumulos, per intactas vias et nives, expedita manu emensus Galliam, ex distantibus hibernis castra contraxit, et ante in media Gallia fuit, quam ab ultima timeretur. 23. Tum ipsa capita belli aggressus, urbes; Avaricum cum quadraginta millibus propugnantium sustulit; Alesiam ducentorum quinquaginta millium iuventute subnixam flammis adaequavit. 24. Circa Gergoviam Arvernorum tota belli moles fuit; quippe quum octoginta millia muro et arce et abruptis defenderent, maximam civitatem vallo, sudibus et fossa inductoque fossae flumine, adhoc decem et octo

castellis ingentique lorica circumdatam primum fame domuit; mox audentem eruptiones in vallo gladiis sudibusque concidit: novissime in deditionem redegit. 25. Ipse ille rex, maximum victoriae decus, supplex quum in castra venisset, equum et phaleras et sua arma ante Caesaris genua proiecit: *Habe*, inquit: *Fortem virum, vir fortissime, vicisti.*

## CAPUT XI.

1. Dum Gallos per Caesarem in Septemtrione debellat, ipse interim ad Orientem grave vulnus a Parthis populus Romanus accepit. 2. Nec de Fortuna queri possumus: caret solatio clades. Adversis et diis et hominibus, cupiditas Consulis Crassi, dum Parthico inhiat auro, undecim strage legionum, et ipsius capite multata est. 3. Tribunus plebis Ateius exeuntem ducem hostilibus diris devoverat: et quum Zeugma transisset exercitus, rapta subitis signa turbinibus hausit Euphrates: 4. et quum apud Nicephorium castra posuisset, missi ab Orode rege legati denuntiavere, *percussorum cum Pompeio foederum Sullaque meminisset.* 5. Regiis inhians ille thesauris, nihil, ne imaginario quidem iure, sed *Seleuciae se responsurum esse*, respondit. 6. Itaque dii foederum ultores, nec insidiis nec virtuti hostium defuerunt. 7. Iam primum, qui solus et subvehere commeatus et munire poterat a tergo, relictus Euphrates. Tum simulato transfugae cuidam Mazarae Syro creditur, dum in mediam camporum vastitatem eodem duce ductus exercitus, ut undique hosti exponeretur. 8. Itaque vixdum venerat Carras, quum undique praefecti regis, Silaces et Surenas, ostendere signa auro sericisque vexillis vibrantia. Tunc sine mora circumfusi undique equitatus, in modum grandinis atque nimborum densa pariter tela fuderunt. Sic mise-

rabili strage deletus exercitus. 9. Ipse in colloquium sollicitatus, signo dato, vivus in hostium manus incidisset, nisi Tribunis reluctantibus fugam ducis barbari ferro occupassent. Sic quoque relatum caput ludibrio hosti fuit. 10. Filium ducis paene in conspectu patris eisdem telis operuerunt. Reliquiae infelicis exercitus, quo quemque rapuit fuga, in Armeniam, Ciliciam, Syriamque distractae, vix nuntium cladis retulerunt. 11. [Caput eius recisum cum dextera manu ad regem reportatum ludibrio fuit, neque indigno. Aurum enim liquidum in rictum oris infusum est, ut, cuius animus arserat auri cupiditate, eius etiam mortuum et exsangue corpus auro ureretur].

---

## CAPUT XII.

1. Haec est illa tertia aetas populi Romani transmarina, qua Italia progredi ausus orbe toto arma circumtulit. 2. Cuius aetatis superiores centum anni sancti, pii, et, ut diximus, *aurei*, sine flagitio, sine scelere, dum sincera adhuc et innoxia pastoriae illius sectae integritas, dumque Poenorum hostium imminens metus disciplinam veterem continebat. 3. Posteri centum, quos a Carthaginis, Corinthi Numantiaeque excidiis et Attali regis Asiatica hereditate deduximus in Caesarem et Pompeium, secutumque hos, de quo dicemus, Augustum, ut claritate rerum bellicarum magnifici, ita domesticis cladibus miseri et erubescendi. 4. Quippe sicut Galliam, Thraciam, Ciliciam, Cappadociam, uberrimas validissimasque provincias, Armenios etiam et Britannos, ut non in usum, ita ad imperii speciem, magna nomina acquisisse, pulchrum ac decorum: 5. ita eodem tempore dimicasse domi cum civibus, sociis, mancipiis, gladiatoribus, totoque inter se Senatu, turpe atque mi-

serandum. 6. Ac nescio, an satius fuerit populo Romano, Sicilia et Africa contento fuisse, aut his etiam ipsis carere, dominanti in Italia sua, quam eo magnitudinis crescere, ut viribus suis conficeretur. 7. Quae enim res alia civiles furores peperit, quam nimia felicitas? Syria prima nos victa corrupit: mox Asiatica Pergameni regis hereditas. Illae opes atque divitiae afflixere saeculi mores: mersamque vitiis suis, quasi sentina, rempublicam pessumdedere. 8. Unde enim populus a Tribunis agros et cibaria flagitaret, nisi per famem, quam luxu fecerat? Hinc ergo Gracchana et prima et secunda, et illa tertia Appuleiana seditio. 9. Unde iudiciariis legibus divulsus a Senatu eques, nisi ex avaritia, ut vectigalia reipublicae, atque ipsa iudicia in quaestu haberentur? Hinc rursus et promissa civitas Latio, et per hoc arma sociorum. 10. Quid autem? Bella servilia unde nobis, nisi ex abundantia familiarum? Unde gladiatorii adversum dominos suos exercitus, nisi ad conciliandum plebis favorem effusa largitio, dum spectaculis indulget, supplicia quondam hostium artem facit? 11. Iam ut speciosiora vitia tangamus, nonne ambitus honorum ab iisdem divitiis incitatus? Atquin inde Mariana, inde Sullana tempestas. 12. Aut magnificus apparatus conviviorum et sumptuosa largitio, non ab opulentia, paritura mox egestatem? 13. Haec Catilinam patriae suae impegit. Denique illa ipsa principatus et dominandi cupido, unde, nisi ex nimiis opibus, [venit?] Atquin haec Caesarem atque Pompeium furialibus in exitium reipublicae facibus armavit. 14. Hos igitur omnes domesticos motus, separatos ab externis iustisque bellis, ex ordine persequemur.

---

## CAPUT XIII.

1. Seditionum omnium causas Tribunicia potestas excitavit: quae specie quidem plebis tuendae, cuius in auxilium comparata est, re autem dominationem sibi acquirens, studium populi ac favorem agrariis, frumentariis, iudiciariis legibus aucupabatur. 2. Inerat omnibus species aequitatis. 3. Quid enim tam iustum, quam recipere plebem suum a patribus; ne populus, gentium victor orbisque possessor, extorris aris ac focis ageret? 4. Quid tam aequum, quam inopem populum vivere ex aerario suo? 5. Quid ad ius libertatis aequandae magis efficax, quam ut, Senatu regente provincias, ordinis equestris auctoritas saltem iudiciorum regno niteretur? 6. Sed haec ipsa in perniciem redibant, et misera respublica in exitium suum sui merces erat. 7. Nam et a Senatu in equitem translata iudiciorum potestas vectigalia, id est, imperii patrimonium, supprimebat; 8. et emptio frumenti, ipsos reipublicae nervos, exhauriebat aerarium. 9. Reduci plebs in agros unde poterat sine possidentium eversione; 10. qui tamen ipsi pars populi erant, et relictas sibi a maioribus sedes aetate, quasi iure hereditario, possidebant.

---

## CAPUT XIV.

1. Primam certaminum facem Tiberius Gracchus accendit, genere, forma, eloquentia facile princeps. 2. Sed hic, sive Mancinianae deditionis, quia sponsor foederis fuerat, contagium timens, et inde popularis: 3. sive aequo et bono ductus, quia depulsam agris suis plebem miseratus est, ne populus [gentium victor, orbisque possessor,] laribus ac focis suis exsularet; quacunque mente, rem ausus ingentem. 4. Postquam rogationis dies aderat, ingenti stipatus agmine

Rostra conscendit; nec deerat obvia manus. Tota inde nobilitas: et Tribuni in partibus. 5. Sed ubi intercedentem legibus suis Caium Octavium videt Gracchus, contra fas collegii, iniecta manu, depulit Rostris, adeoque praesentis metu mortis exterruit, ut abdicare se magistratu cogeretur. 6. Sic triumvir creatus dividendis agris quum ad perpetranda coepta die comitiorum prorogari sibi vellet imperium, obvia nobilium manu eorumque, quos agris moverat, caedes a foro coepit. 7. Inde quum in Capitolium profugisset, plebemque ad defensionem salutis suae, manu caput tangens, hortaretur, praebuit speciem regnum sibi et diadema poscentis: atque ita, duce Scipione Nasica, concitato in arma populo, quasi iure oppressus est.

## CAPUT XV.

1. Statim et mortis et legum fratris sui vindex non minore impetu incaluit Caius Gracchus. 2. Qui quum pari tumultu atque terrore plebem in avitos agros arcesseret, et recentem Attali hereditatem in alimenta populo polliceretur: 3. iamque nimius et impotens altero Tribunatu, secunda plebe volitaret: 4. obrogare auso legibus suis Minucio Tribuno, fretus comitum manu fatale familiae suae Capitolium invasit. 5. Inde proximorum caede depulsus, quum se in Aventinum recepisset; inde quoque obvia Senatus manu, ab Opimio Consule oppressus est. 6. Insultatum quoque mortis reliquiis: et illud sacrosanctum caput Tribuni plebis percussoribus auro repensatum.

## CAPUT XVI.

1. Nihilominus Appuleius Saturninus Gracchanas asserere leges non destitit. Qui (tantum animorum

viro Marius dabat,) nobilitati semper inimicus, Consulatu suo praeterea confisus, occiso palam comitiis A. Nonio competitore Tribunatus, subrogare conatus est in eius locum Caium Gracchum, hominem sine tribu, sine nomine; sed, subdito titulo, in familiam ipse se adoptabat. 2. Quum tot tantisque ludibriis exsultaret impune, rogandis Gracchorum legibus ita vehementer incubuit, ut Senatum quoque cogeret in verba iurare, quum abnuentibus aqua et igni interdicturum se minaretur. 3. Unus tamen exstitit, qui mallet exsilium. Igitur post Metelli fugam omni nobilitate perculsa, iam quum tertium annum dominaretur, eo vesaniae progressus est, ut consularia quoque comitia nova caede turbaret. 4. Quippe ut satellitem furoris sui Glauciam Consulem faceret, Caium Memmium competitorem interfici iussit: et in eo tumultu regem ex satellitibus se appellatum laetus accepit. 5. Tum vero iam conspiratione Senatus, ipso quoque iam Mario Consule, quia tueri non poterat, adverso, directae in foro acies: pulsus inde Capitolium invasit. 6. Sed quum abruptis fistulis obsideretur, Senatuique per legatos poenitentiae fidem faceret, ab arce degressus cum ducibus factionis receptus in curiam est. 7. Ibi eum, facta irruptione, populus fustibus saxisque coopertum in ipsa quoque morte laceravit.

## CAPUT XVII.

1. Postremo Livius Drusus non Tribunatus modo viribus, sed ipsius etiam Senatus auctoritate, totiusque Italiae consensu, easdem leges asserere conatus, dum aliud captat ex alio, tantum conflavit incendium, ut ne prima illius flamma posset sustineri; 2. et subita morte correptus, hereditarium in posteros suos bellum propagaret. 3. Iudiciaria lege Gracchi

iviserant populum Romanum, et bicipitem ex una ecerant civitatem. Equites Romani tanta potestate ubnixi, ut qui fata fortunasque principum haberent n manu, interceptis vectigalibus, peculabantur suo ure rempublicam. Senatus, exsilio Metelli, damnaione Rutilii debilitatus, omne decus maiestatis amierat. 4. In hoc statu rerum pares opibus, animis, lignitate (unde et natalium Druso aemulatio accesserat,) Equitem Servilius Caepio, Senatum Livius )rusus asserere: signa, aquilae et vexilla aderant. . Caeterum sic urbe in una, quasi in binis castris, disidebatur. Prior Caepio in Senatum impetu facto, eos ambitus Scaurum et Philippum, principes nobiitatis elegit. 6. His ut motibus resisteret Drusus, lebem ad se Gracchanis legibus, eisdem socios ad lebem spe civitatis erexit. Exstat vox ipsius: *Nihil e ad largitionem ulli reliquisse, nisi si quis aut coeum dividere vellet aut coelum.* 7. Aderat promulgandi dies, quum subito tanta vis hominum undique pparuit, ut hostium adventu obsessa civitas videreur. 8. Ausus tamen obrogare legibus Consul Phiippus; sed apprehensum faucibus viator non ante limisit, quam sanguis in os et oculos redundaret. ). Sic per vim latae iussaeque leges. Et pretium rogationis statim socii flagitare: quum imparem Druum aegrumque rerum temere motarum matura, ut n tali discrimine, mors abstulit. Nec ideo minus ocii promissa Drusi a populo Romano reposcere arnis desierunt.

---

## CAPUT XVIII.

1. Sociale bellum vocetur licet, ut extenuemus inidiam: si verum tamen volumus, illud civile bellum uit. Quippe quum populus Romanus Etruscos, Lainos Sabinosque sibi miscuerit, et unum ex omnibus

sanguinem ducat, corpus fecit ex membris, et ex omnibus unus est. 2. Nec minore flagitio socii intra Italiam, quam intra urbem cives rebellabant. 3. Itaque, quum ius civitatis, quam viribus auxerant, iustissime postularent, ad quam spem eos cupidine dominationis Drusus erexerat; 4. postquam ille domestico scelere oppressus est, eadem fax, quae illum cremavit, socios in arma et in expugnationem Urbis accendit. 5. Quid hac clade tristius? quid calamitosius? quum omne Latium atque Picenum, Etruria omnis, atque Campania, postremo Italia contra matrem suam ac parentem Urbem consurgerent: 6. quum omne robur fortissimorum fidelissimorumque sociorum sub suis quisque signis haberent municipalia illa prodigia: Poppedius Marsos et Latinos: Afranius Umbros: totos Egnatius Etruscos: 7. Samnium Lucaniamque Telesinus: quum regum et gentium arbiter populus ipsum se regere non posset, ut victrix Asiae Europaeque a Corfinio Roma peteretur. 8. Primum fuit belli in Albano monte consilium, ut festo die Latinarum Iulius Caesar et Marcius Philippus Consules inter sacra et aras immolarentur. 9. Postquam id nefas proditione discussum est, Asculo furor omnis erupit, in ipsa quidem ludorum frequentia trucidatis, qui tum aderant ab Urbe, legatis. Hoc fuit impii belli sacramentum. 10. Inde iam passim ab omni parte Italiae, duce et auctore belli discursante Poppedio diversa per populos et urbes signa cecinere. 11. Nec Hannibalis nec Pyrrhi fuit tanta vastatio. Ecce Ocricolum, ecce Grumentum, ecce Faesulae, ecce Carseoli, ecce Reate, Nuceria, Picentia caedibus, ferro et igne vastantur. 12. Fusae Rutilii copiae, fusae Caepionis. Nam ipse Rutilius Consul, exercitu amisso, quum in Urbem cruentus referretur, miserabili funere mediam Urbem permadefecit. 13. Sed magna populi Romani fortuna, et sem-

per in malis maior, totis denuo viribus consurrexit; aggressique singuli populos: Cato discutit Etruscos; Gabinius Marsos; Carbo Lucanos; Sulla Samnites. 14. Strabo vero Pompeius, omnia flammis ferroque populatus, non prius finem caedium fecit, quam Asculi eversione, Manibus tot exercituum, Consulum, direptarumque urbium diis litaretur.

## CAPUT XIX.

1. Id qualitercunque. Etsi cum sociis nefas, cum liberis tamen et ingenuis dimicatum est. Quis aequo animo ferat in principe gentium populo bella servorum? 2. Primum servile bellum inter initia Urbis, Herdonio duce [Sabino], in ipsa Urbe tentatum est, quum, occupata Tribunitiis seditionibus civitate, Capitolium obsessum est et a Consule captum: sed hic tumultus magis fuit, quam bellum. Mox, imperio per diversa terrarum occupato, quis crederet Siciliam multo cruentius servili, quam Punico bello esse vastatam? 3. Terra frugum ferax, et quodammodo suburbana provincia, late fundis civium Romanorum tenebatur. Hic ad cultum agri frequentia ergastula, catenatique cultores materiam bello praebuere. 4. Syrus quidam nomine Eunus (magnitudo cladium facit, ut meminerimus), fanatico furore simulato, dum Syriae deae comas iactat, ad libertatem et arma servos, quasi numinum imperio, concitavit; 5. idque ut divinitus fieri probaret, in ore abdita nuce, quam sulphure et igni stipaverat, leviter inspirans, flammam inter verba fundebat. 6. Hoc miraculum primo duo millia ex obviis; mox, iure belli refractis ergastulis, sexaginta amplius millium fecit exercitum; regiisque, ne quid malis deesset, decoratus insignibus, castella, vicos, oppida, miserabili direptione vastavit. 7. Quin illud quoque in ultimum

belli dedecus; capta sunt castra Praetorum: nec nominare ipsos pudebit, castra Manilii, Lentuli, Pisonis, Hypsaei. Itaque qui per fugitivarios retrahi debuissent, Praetorios duces profugos proelio ipsi sequebantur. Tandem Perpenna Imperatore supplicium de eis sumptum est. 8. Hic enim victos et apud Hennam novissime obsessos, quum fame, quasi pestilentia, consumpsisset, reliquias latronum catenis religavit crucibusque punivit. Fuitque de servis ovatione contentus, ne dignitatem triumphi servili inscriptione violaret. 9. Vixdum respiraverat insula: quum statim servi; et a Syro reditur ad Cilicem. Athenio pastor, interfecto domino, familiam ergastulo liberatam sub signis ordinat. 10. Ipse veste purpurea argenteoque baculo, et regium in morem fronte redimita, non minorem, quam ille fanaticus prior, conflat exercitum; acriusque multo, quasi et illum vindicaret, vicos, oppida, castella diripiens, in dominos, in servos infestius, quasi in transfugas, saeviebat. 11. Ab hoc quoque Praetorii exercitus caesi, capta Servilii castra, capta Luculli. Sed Aquilius, Perpennae usus exemplo, interclusum hostem commeatibus ad extrema compulit, comminutasque copias armis fame facile delevit: dedidissent se, nisi suppliciorum metu voluntariam mortem praetulissent. Ac ne de duce quidem supplicium exigi potuit, quamvis in manus venerit. Quippe, dum circa apprehendendum eum multitudo contendit, inter rixantium manus praeda lacerata est.

## CAPUT XX.

1. Enimvero et servilium armorum dedecus feras: nam, etsi ipsi per fortunam in omnia obnoxii, tamen quasi secundum hominum genus sunt, et in bona libertatis nostrae adoptantur. 2. Bellum Spar-

taco duce concitatum quo nomine appellem, nescio: quippe quum servi militaverint, gladiatores imperaverint. Illi infimae sortis homines, hi pessimae auxere ludibriis calamitatem. 3. Spartacus, Crixus, Oenomaus, effracto Lentuli ludo, cum triginta haud amplius eiusdem fortunae viris erupere Capuam; servisque ad auxilium vocatis, quum statim decem amplius millia coissent hominum, non modo effugisse contenti, iam vindicari volebant. 4. Prima sedes velut belluis mons Vesuvius placuit. Ibi quum obsiderentur a Clodio Glabroque, per fauces cavi montis vitineis delapsi vinculis, ad imas eius descendere radices; et exitu inviso, nihil tale opinantis ducis subito impetu castra rapuerunt. 5. Inde Varianae castra. Deinceps oram totamque pervagantur Campaniam. Nec villarum atque vicorum vastatione contenti, Nolam atque Nuceriam, Thurios atque Metapontum terribili strage populantur. 6. Affluentibus in diem copiis, quum iam esset iustus exercitus, e viminibus pecudumque tegumentis inconditos sibi clipeos; e ferro ergastulorum recocto gladios ac tela fecerunt. 7. Ac ne quod decus iusto deesset exercitui, domitis obviis etiam gregibus parantur equitatus, captaque de Praetoribus insignia et fasces ad ducem detulere. 8. Nec abnuit ille de stipendiario Thrace miles, de milite desertor, inde latro, deinde in honorem virium gladiator; 9. quin defunctorum quoque proelio ducum funera imperatoriis celebravit exsequiis, captivosque circa rogum iussit armis depugnare, quasi plane expiaturus omne praeteritum dedecus, si de gladiatore munerarius tum fuisset. 10. Inde iam Consulares quoque aggressus, in Appennino Lentuli exercitum percecidit: apud Mutinam Caii Cassii castra delevit. 11. Quibus elatus victoriis, de invadenda urbe Romana (quod satis est turpitudini nostrae,) deliberavit. 12. Tandem etiam totis imperii

viribus contra mirmillonem consurgitur, pudoremque Romanum Licinius Crassus asseruit: a quo pulsi fugatique (pudet dicere!) hostes in extrema Italiae refugerunt. 13. Ibi circa Bruttium angulum clusi, quum fugam in Siciliam pararent, neque navigia suppeterent, ratesque ex trabibus, et dolea connexa virgultis in rapidissimo freto frustra experirentur, tandem eruptione facta dignam viris obiere mortem: et, quod sub gladiatore duce oportuit, sine missione pugnatum est. 14. Spartacus ipse in primo agmine fortissime dimicans, quasi imperator, occisus est.

## CAPUT XXI.

1. Hoc deerat unum populi Romani malis, iam ut ipse intra se parricidale telum domi stringeret, et in urbe media ac foro, quasi arena, cives cum civibus, gladiatorio more concurrerent. 2. Aequiore animo utcunque ferrem, si plebeii duces, aut, si nobiles, mali saltem, ducatum sceleri praebuissent. Tum vero (pro facinus!) qui viri! qui imperatores! decora et ornamenta saeculi sui, [Marius, et Sulla] pessimo facinori suam etiam dignitatem praebuerunt. 3. Tribus, ut sic dixerim, sideribus agitatum est: primo levi, et tumultu magis, quam bello, intra ipsos duntaxat armorum duces subsistente saevitia: 4. mox atrocius et cruentius per totius viscera Senatus grassante victoria: 5. ultimum non civicam modo, sed hostilem quoque rabiem superegressum est; quum armorum furor totius Italiae viribus niteretur, eo usque odiis saevientibus, donec deessent, qui occiderentur. 6. Initium et causa belli, inexplebilis honorum Marii fames, dum decretam Sullae provinciam Sulpicia lege sollicitat. Sed impatiens iniuriae statim Sulla legiones circumegit: dilatoque Mithridate, Esquilina Collinaque porta geminum Urbi agmen infundit.

7. Inde quum Consulto Senatus Sulpicius et Albinovanus obiecissent catervas, sudesque et saxa undique a moenibus ac tela iacerentur; ipse quoque iaculatus incendio viam facit, arcemque Capitolii, quae Poenos, quaeque Gallos etiam Senonas evaserat, quasi captivam victor insedit. 8. Tum ex consulto Senatus adversariis hostibus iudicatis, in praesentem Tribunum aliosque diversae factionis, iure saevitum est. Marium servilis fuga eximit; immo fortuna alteri bello reservavit. 9. Cornelio Cinna, Cnaeo Octavio Consulibus, male obrutum resurrexit incendium, et quidem ab ipsorum discordia, quum de revocandis, quos Senatus hostes iudicaverat, ad populum ferretur. 10. Cincta quidem gladiis concione, sed vincentibus, quibus pax et quies potior, profugus patria sua Cinna confugit ad partes. Redit ab Africa Marius clade maior: siquidem carcer, catenae, fuga, exsilium horrificaverant dignitatem. 11. Itaque ad nomen tanti viri late concurritur: servitia (pro nefas!) et ergastula armantur; et facile invenit exercitum Imperator. 12. Itaque vi patriam reposcens, unde vi fuerat expulsus, poterat videri iure agere, nisi causam suam saevitia corrumperet. Sed quum diis hominibusque infestus rediret, statim primo impetu cliens et alumna Urbis Ostia nefanda strage diripitur. Mox in urbem quadruplici agmine intratur. 13. Divisere copias Cinna, Marius, Carbo, Sertorius. Hic postquam manus omnis Octavii depulsa Ianiculo est, statim ad principum caedem signo dato, aliquanto saevius, quam ut in Punica urbe, saevitur. 14. Octavii Consulis caput pro Rostris exponitur; Antonii Consularis in Marii ipsius mensis. Caesares a Fimbria in penetralibus domorum suorum trucidantur: Crassi, pater et filius, in mutuo alter alterius aspectu. Baebium atque Numitorium per medium forum unci traxere carnificum. 15. Ca-

tulus se ignis haustu ludibrio hostium exemit. 16. Merula, flamen Dialis, in Capitolio Iovis ipsius oculos venarum cruore respersit. Ancharius, ipso vidente Mario, confossus est, quia fatalem illam scilicet manum non porrexerat salutanti. 17. Haec tot Senatus funera intra Calendas et Idus Ianuarii mensis septima illa Marii purpura dedit. Quid futurum fuit, si annum Consulatus implesset? 18. Scipione Norbanoque Consulibus, tertius ille turbo civilis insaniae toto furore detonuit, quippe quum hinc octo legiones, et quingentae cohortes starent in armis, inde ab Asia cum victore exercitu Sulla properaret. 19. Et sane quum tam ferox in Sullanos Marius fuisset: quanta saevitia opus erat, ut Sulla de Mario vindicaretur? Primum apud Capuam sub amne Vulturno signa concurrunt: et statim Norbani fusus exercitus: statim omnes Scipionis copiae, ostentata spe pacis, oppressae. 20. Tum Marius iuvenis, et Carbo Consules, quasi desperata victoria, ne inulti perirent, in antecessum sanguine Senatus sibi parentabant: obsessaque curia, sic de Senatu, quasi de carcere, qui iugularentur, educti. 21. Quid funerum in foro, in circo, in patentibus templis? Nam Quintus Mucius Scaevola Pontifex, Vestales amplexus aras, tantum non eodem igne sepelitur. 22. Lamponius atque Telesinus, Samnitum duces, atrocius Pyrrho et Hannibale Campaniam Etruriamque populantur: et, sub specie partium, se vindicant. 23. Sed apud Sacriportum Collinamque portam debellatae omnes hostium copiae. Ibi Marius, hic Telesinus oppressi. Nec idem tamen caedium, qui belli finis fuit. Stricti enim et in pace gladii, animadversumque in eos, qui se sponte dediderant. 24. Minus est, quod apud Sacriportum septuaginta amplius millia Sulla concidit. Bellum erat. Quatuor millia deditorum inermium civium in villa publica interfici iussit. Isti tot in

pace, non plures sunt? 25. Quis autem illos potest computare, quos in Urbe passim, quisquis voluit, occidit! donec admonente Fufidio: *Vivere aliquos debere, ut essent, quibus imperarent:* proposita est ingens illa tabula: et ex ipso Equestris ordinis flore ac Senatu duo millia electi, qui mori iuberentur. 26. Novi generis edictum. Piget post haec referre, ludibrio habita fata Carbonis, fata Sorani, Plaetorios atque Venuleios: Baebium sine ferro, ritu ferarum, inter manus lancinatum; Marium, ducis ipsius fratrem, apud Catuli sepulcrum, oculis effossis, manibus cruribusque effractis, servatum aliquamdiu, ut per singula membra moreretur. 27. Possis singulorum ferre poenas; sed municipia Italiae splendidissima, sub hasta venierunt, Spoletium, Interamnium, Praeneste, Florentia. 28. Nam Sulmonem, vetus oppidum, socium atque amicum (facinus indignum!), non expugnatum [ut obsides iure belli, et modo morte damnati duci iubentur, sic damnatam civitatem] iussit Sulla deleri.

---

## CAPUT XXII.

1. Bellum Sertorianum quid aliud, quam Sullanae proscriptionis hereditas fuit? Hostile potius, an civile dixerim, nescio: quippe quod Lusitani Celtiberique Romano gesserint duce. 2. Exsul et profugus feralis illius tabulae, vir summae quidem, sed calamitosae virtutis, malis suis maria terrasque permiscuit: et iam Africae, iam Baliaribus insulis fortunam expertus, consiliisque in Oceanum, Fortunatasque insulas penetravit: tandem Hispaniam armavit. 3. Viro cum viris facile convenit. Nec alias magis apparuit Hispani militis vigor, quam Romano duce. 4. Quamquam ille non contentus Hispania, ad Mithridatem quoque Ponticosque perrexit. 5. Rex eum

classe iuvit. Et quid futurum fuit satis tanto hosti, cui uno Imperatore resistere res Romana non potuit? Additus Metello Cnaeus Pompeius. Hi copias viri attrivere: nec tamen prius bello, quam suorum scelere et insidiis, exstinctus. 6. Copias eius prope tota Hispania persecuti, diu et ancipiti semper acie domaverunt. Prima per legatos habita certamina, quum hinc Domitius et Thorius, inde Hirtuleii proluderent: 7. mox his apud Segoviam, illis apud Anam flumen, oppressis, ipsi duces cominus invicem experti, apud Lauronem atque Sucronem aequavere clades. 8. Tum illis ad populationem agrorum, his ad urbium exeidia conversis, misera inter Romanos duces Hispania discordiae poenas dabat: 9. donec oppresso domestica fraude Sertorio, victo deditoque Perpenna, ipsae quoque in Romanam fidem venere urbes, Osca, Termes, Tuttia, Valentia, Uxama et in fame nihil non experta Calagurris. Sic recepta in pacem Hispania. Victores duces externum id magis, quam civile bellum videri voluerunt, ut triumpharent.

---

## CAPUT XXIII.

1. Marco Lepido, Quinto Catulo Consulibus, civile bellum paene citius oppressum est, quam inciperet. Sed quantulacunque fax illius motus ab ipso Sullae rogo exarsit! 2. Cupidus rerum novarum per insolentiam Lepidus acta tanti viri rescindere parabat. Nec immerito, si tamen posset sine magna clade reipublicae. 3. Nam quum iure belli Sulla dictator proscripsisset inimicos; qui supererant, revocante Lepido, quid aliud quam ad bellum vocabantur? quumque damnatorum civium bona, addicente Sulla, quamvis male capta, iure tamen repeterentur: repetitio eorum procul dubio labefactabat compositam

civitatem. 4. Expediebat ergo quasi aegrae sauciaeque reipublicae requiescere quomodocunque, ne vulnera curatione ipsa rescinderentur. 5. Ergo quum turbidis concionibus, velut classico, civitatem terruisset, profectus in Etruriam, arma inde et exercitum Urbi admovebat. 6. Sed iam Mulvium pontem collemque Ianiculum Lutatius Catulus Cnaeusque Pompeius, Sullanae dominationis duces atque signiferi, alio exercitu insederant. 7. A quibus primo statim impetu retro pulsus, hostisque a Senatu iudicatus, incruenta fuga in Etruriam, inde Sardiniam recessit: ibique morbo et poenitentia interiit. Victores, quod non temere alias in civilibus bellis, pace contenti fuerunt.

# L. ANNAEI FLORI
## EPITOME
# RERUM ROMANARUM.
## LIBER QUARTUS.

### CAPUT I.

1. Catilinam luxuria primum, tum hinc conflata egestas rei familiaris, simul occasio, quod in extremis finibus mundi arma Romana peregrinabantur, in nefaria consilia opprimendae patriae suae compulere. 2. Senatum confodere, Consules trucidare, distringere incendiis Urbem, diripere aerarium, totam denique rempublicam funditus tollere, et quidquid

ne Hannibal videretur optasse, quibus (ó nefas!) sociis aggressus est! Ipse patricius; sed hoc minus est. 3. Curii, Portii, Sullae, Cethegi, Autronii, Varguntei, Longini, quae familiae! Quae Senatus insignia! Lentulus quoque tum cummaxime Praetor. Hos omnes immanissimi facinoris satellites habuit. 4. Additum est pignus coniurationis sanguis humanus, quem circumlatum pateris bibere: summum nefas, ni amplius esset, propter quod biberunt. 5. Actum erat de pulcherrimo imperio, nisi illa coniuratio in Ciceronem et Antonium Consules incidisset, quorum alter industria rem patefecit, alter manu oppressit. 6. Tanti sceleris indicium per Fulviam emersit, vilissimum scortum, sed parricidii innocens. 7. Tum Consul, habito Senatu, in praesentem reum peroravit: sed non amplius profectum, quam ut hostis evaderet, seque palam ac professo *incendium suum restincturum ruina* minaretur. 8. Et ille quidem ad praeparatum a Mallio in Etruria exercitum proficiscitur, signa illaturus Urbi. Lentulus, destinatum familiae suae Sibyllinis versibus regnum sibi vaticinans, ad praestitutum a Catilina diem urbe tota viros, faces, tela disponit. 9. Nec civili conspiratione contentus. Legatis Allobrogum, qui tum forte aderant, in arma sollicitatis, isset ultra Alpes furor, nisi altera proditione Volturcii Praetoris litterae tenerentur. Statim Ciceronis imperio iniecta est barbaris manus. Palam Praetor in Senatu convincitur. 10. De supplicio agentibus, Caesar parcendum dignitati: Cato animadvertendum pro scelere, censebant. 11. Quam sententiam sequutis omnibus, in carcere parricidae strangulantur. Quamvis parte coniurationis oppressa, ab incepto Catilina non destitit; sed infestis ab Etruria signis patriam petens, obvio Antonii exercitu opprimitur. Quam atrociter dimicatum sit, exitus docuit. 12. [Nemo hostium bello superfuit. Quem quis in

pugnando ceperat locum, eum amissa anima corpore tegebat. Catilina longe a suis inter hostium cadavera repertus est; pulcherrima morte, si sic pro patria concidisset].

## CAPUT II.

1. Iam toto paene orbe pacato, maius erat imperium Romanum, quam ut ullis exteris viribus opprimi posset. Itaque invidens Fortuna principi gentium populo, ipsum illum in exitium sui armavit. 2. Ac Mariana quidem Cinnanaque rabies iam intra Urbem praeluserat, quasi si experiretur. Sullana tempestas latius, intra Italiam tamen, detonuerat. 3. Caesaris furor atque Pompeii Urbem, Italiam, gentes, nationes, totum denique, qua patebat, imperium, quodam quasi diluvio aut inflammatione corripuit; 4. adeo ut non recte tantum civile dicatur, ac ne sociale quidem, sed ne externum; sed potius commune quoddam ex omnibus, et plus quam bellum. 5. Quippe si duces eius inspicias, totus Senatus in partibus: si exercitus, hinc undecim legiones, inde decem et octo, flos omnis et robur Italici sanguinis: si auxilia sociorum; hinc Gallici Germanique dilectus: inde Deiotarus, Ariobarzanes, Tarcondimotus, Cotus, omne Thraciae, Cappadociae, Ciliciae, Macedoniae, Graeciae, Aetoliae totiusque robur Orientis: 6. si moram belli; quatuor anni, sed pro clade rerum breve tempus: si locum et spatium ubi commissum est; intra Italiam: inde se in Galliam Hispaniamque deflexit, reversumque ab Occasu, totis viribus in Epiro Thessaliaque consedit: hinc in Aegyptum subito transiluit: inde respexit Asiam, Africae incubuit: postremo in Hispaniam regyravit, et ibi aliquando defecit. Sed non et odia partium finita cum bello. 7. Non enim prius quieverunt, quam in ipsa Urbe, medio

Senatu, eorum, qui victi erant, odia victoris se caede satiarent. 8. Causa tantae calamitatis eadem, quae omnium: nimia felicitas. Siquidem Quinto Metello, Lucio Afranio Consulibus, cum Romana maiestas toto orbe polleret, recentesque victorias, Ponticos et Armenios triumphos in Pompeianis theatris Roma cantaret: nimia Pompeii potentia apud otiosos, ut solet, cives movet invidiam. 9. Metellus ob imminutum Cretae triumphum, Cato adversus potentes semper obliquus, detrectare Pompeium, actisque eius obstrepere. Hinc dolor transversum egit, et ad praesidia dignitati paranda impulit. 10. Forte tunc Crassus genere, divitiis, dignitate florebat; vellet tamen auctiores opes. Caius Caesar eloquentia et spiritu, ecce iam et consulatu allevabatur. Pompeius tamen inter utrumque eminebat. 11. Sic igitur Caesare dignitatem comparare, Crasso augere, Pompeio retinere cupientibus, omnibusque pariter potentiae cupidis, de invadenda Republica facile convenit. 12. Ergo quum mutuis viribus in suum quisque decus niterentur, Galliam Caesar invadit, Crassus Asiam, Pompeius Hispaniam: tres maximi exercitus; et in his orbis imperium societate trium principum occupatur. 13. Decem annos traxit ista dominatio. Exinde, quia mutuo metu tenebantur, Crassi morte apud Parthos et Iuliae, Caesaris filiae, quae nupta Pompeio generi socerique concordiam matrimonii foedere continebat, statim aemulatio erupit. 14. Iam Pompeio suspectae Caesaris opes, et Caesari Pompeiana dignitas gravis. Nec ille ferebat parem, nec hic superiorem. Nefas! sic de principatu laborabant, tanquam duos tanti imperii Fortuna non caperet. 15. Ergo Lentulo Marcelloque Consulibus, rupta prima coniurationis fide, de successione Caesaris Senatus, id est Pompeius, agitabat; nec ille abnuebat, si ratio sui proximis comitiis haberetur. 16. Consu-

latus absenti, quem decem Tribuni, favente Pompeio, nuper decreverant, tum, dissimulante eodem, negabatur. *Veniret et peteret more maiorum.* 17. Ille contra flagitare decreta: ac, *nisi in fide permanerent, non se remittere exercitum.* Ergo ut in hostem decernitur. His Caesar agitatus, statuit praemia armorum armis defendere. 18. Prima civilis belli arena Italia fuit, cuius arces levibus praesidiis Pompeius insederat; sed omnia subito Caesaris impetu oppressa sunt. 19. Prima Arimino signa cecinerunt. Tum pulsus Etruria Libo, Umbria Thermus, Domitius Corfinio. Et peractum erat sine sanguine, si Pompeium Brundisii opprimere potuisset. 20. Et ceperat. Sed ille per obsessi claustra portus nocturna fuga evasit. Turpe dictu! modo princeps Patrum, pacis bellique moderator, per triumphatum a se mare lacera et paene inermi nave fugiebat. 21. Nec Pompeii ab Italia, quam Senatus ab Urbe, fuga turpior: quam paene vacuam metu Caesar ingressus Consulem se ipse fecit. Aerarium quoque sanctum, quia tardius aperiebant Tribuni, iussit effringi, censumque et patrimonium Populi Romani ante rapuit, quam imperium. 22. Pulso fugatoque Pompeio, maluit prius ordinare provincias, quam ipsum sequi. Siciliam et Sardiniam, annonae pignora, per legatos habet. 23. Nihil hostile erat in Gallia: pacem ipse fecerat. Sed ad Hispanienses Pompeii exercitus transeunti per eam duci portas claudere ausa Massilia est. Misera dum cupit pacem, belli metu in bellum incidit: sed quia tuta muris erat, vinci eam sibi iussit absenti. 24. Graecula civitas, non pro mollitia nominis, et vallum rumpere et incendere machinas ausa et congredi navibus; 25. sed Brutus, cui mandatum erat bellum, victos terra marique perdomuit. Mox dedentibus se omnia ablata, praeter, quam potiorem omnibus habebant, libertatem. 26. Anceps

variumque, sed incruentum in Hispania bellum cum legatis Cnaei Pompeii, Petreio et Afranio: quos Ilerdae castra habentes, apud Sicorin amnem obsidere, et ab oppido intercludere aggreditur. 27. Interim abundatio verni fluminis commeatibus prohibebat. Sic fame castra tentata sunt, obsessorque ipse quasi obsidebatur. 28. Sed ubi pax fluminis redit, et populationibus et pugnae campos aperuit: iterum ferox instat: et cedentes ad Celtiberiam consequutus, aggere et vallo, et per haec siti ad deditionem compulit. 29. Sic citerior Hispania recepta est; nec ulterior moram fecit. Quid enim una post quinque legiones? Itaque ultro cedente Varrone, Gades, fretum, Oceanus, omnia felicitatem Caesaris sequebantur. 30. Aliquid tamen adversus absentem ducem ausa Fortuna est circa Illyricum et Africam, quasi de industria prospera eius adversis radiaret. 31. Quippe quum fauces Hadriani maris iussi occupare Dolabella et Antonius, ille Illyrico, hic Curictico littore castra posuissent; iam maria late tenente Pompeio, repente legatus eius Octavius ingentibus copiis classicorum utrumque circumvenit. 32. Deditionem fames extorsit Antonio. Missae quoque a Basilo in auxilium eius rates, quales inopia navium fecerant, nova Pompeianorum arte Cilicum, actis sub mari funibus, captae quasi per indaginem. 33. Duas tamen aestus explicuit; una, quae Opiterginos ferebat, in vadis haesit, memorandumque posteris exitum dedit. Quippe vix mille iuvenum manus, circumfusi undique exercitus per totum diem tela sustinuit, et, quum exitum virtus non haberet, tamen ne in deditionem veniret, hortante Tribuno Vulteio, mutuis ictibus in se concucurrit. 34. In Africa quoque par et virtus et calamitas Curionis fuit, qui ad recipiendam provinciam missus, pulso fugatoque Varo superbus, subitum Iubae regis adventum equitatumque Maurorum susti-

nere non potuit. Patebat victo fuga; sed pudor suasit, ut amissum sua temeritate exercitum morte sequeretur. 35. Sed iam debitum par Fortuna flagitante, sedem bello Pompeius Epiron elegerat. 36. Nec Caesar morabatur. Quippe ordinatis a tergo omnibus, quamvis hiems media prohiberet, tempestate ad bellum navigavit; 37. positisque ad Oricum castris, quum pars exercitus, ob inopiam navium cum Antonio relicta, Brundisii moram faceret, adeo impatiens erat, ut ad arcessendos eos ardente ventis mari, nocte concubia, speculatorio navigio, solus ire tentaverit. Exstat ad trepidum tanto discrimine gubernatorem vox ipsius: *Caesarem vehis!* 38. Contractis in unum undique copiis, positisque cominus castris, diversa erant ducum consilia. Caesar pro natura ferox, et conficiendae rei cupidus, ostentare aciem, provocare, lacessere: 39. nunc obsidione castrorum, quae sedecim millium vallo obduxerat; (sed quid his obesset obsidio, qui patente mari omnibus copiis abundarent?) 40. nunc expugnatione Dyrrhachii irrita; (quippe quam vel situs inexpugnabilem faceret) ad hoc assiduis in eruptione hostium proeliis; (quo tempore egregia virtus Scaevae Centurionis emicuit, cuius in scuto centum atque viginti tela sederunt,) 41. iam vero urbium direptione sociarum, quum Oricum et Gomphos et alia castella Thessaliae vastaret. 42. Pompeius adversus haec nectere moras, tergiversari, sic simul ut hostem interclusum undique inopia commeatuum tereret, usque dum ardentissimi ducis consenesceret impetus. 43. Nec diutius profuit duci salutare consilium. Miles otium, socii moram, principes ambitum ducis increpabant. Sic praecipitantibus fatis proelio sumpta Thessalia est: et Philippicis campis Urbis, imperii, generis humani fata commissa sunt. 44. Nunquam ullo loco tantum virium populi Romani, tantum dignitatis

Fortuna vidit. Trecenta amplius millia bellatorum hinc vel illinc, praeter auxilia regum et Senatum. 45. Nunquam imminentis ruinae manifestiora prodigia, fuga victimarum, examina in signis, interdiu tenebrae. Dux ipse, in nocturna imagine theatri sui audiens plausum in modum planctus circumsonare, mane cum pullo (nefas!) apud principia conspectus est. 46. Nunquam acrior neque alacrior exercitus Caesaris fuit. Inde classica prius, inde tela. Annotatum quoque committentis aciem Crastini pilum: qui mox adacto in os gladio, sic inter cadavera repertus, libidinem ac rabiem, qua pugnaverat, ipsa novitate vulneris praeferebat. 47. Sed nec minus admirabilior illius exitus belli. Quippe quum Pompeius adeo equitum copia abundaret, ut facile circumventurus sibi Caesarem videretur, circumventus ipse est. 48. Nam quum diu aequo Marte contenderent, iussuque Pompeii effusus a cornu erupisset equitatus, repente hinc signo dato, Germanorum cohortes tantum in effusos equites fecere impetum, ut hi esse pedites, illi venire in equis viderentur. 49. Hanc stragem levis armaturae ruina comitata est. Tunc terrore latius dato, turbantibus invicem copiis, reliqua strages quasi una manu facta est. Nec ulla res magis exitio fuit, quam ipsa exercitus magnitudo. 50. Multus in eo proelio Caesar fuit, mediusque inter Imperatorem et militem. Voces quoque obequitantis exceptae, altera cruenta, sed docta, et ad victoriam efficax, *Miles, faciem feri*: altera ad iactationem composita: *Parce civibus*: quum ipse sequeretur. 51. Felicem utcunque in malis Pompeium, si eadem ipsum, quae exercitum eius, Fortuna traxisset! Superstites dignitatis suae vixit, ut cum maiore dedecore per Thessalica Tempe equo fugeret et una navicula Lesbon applicaret: ut pulsus Syedris in deserto Ciliciae scopulo, fugam in Parthos, Africam, vel Ae-

gypton agitaret: 52. ut denique in Pelusio littore, imperio vilissimi regis, consiliis spadonum, et, ne quid malis desit, Septimii desertoris sui gladio trucidatus, sub oculis uxoris suae liberorumque moreretur. 53. Quis non peractum esse cum Pompeio crederet bellum? Atquin acrius multo atque vehementius Thessalici incendii cineres recaluerunt. 54. Et in Aegypto quidem adversus Caesarem sine partibus bellum. 55. Quippe quum Ptolemaeus, rex Alexandriae, summum civilis belli scelus peregisset, et foedus amicitiae cum Caesare, medio Pompeii capite sanxisset: ultionem clarissimi viri Manibus quaerente fortuna, causa non defuit. 56. Cleopatra regis soror, affusa Caesaris genibus, partem regni reposcebat. 57. Aderat puellae forma, quae duplicaretur ex illo, quod talis passa videbatur iniuriam, et odium ipsius regis, qui Pompeii caedem partium fato, non Caesari, dederat; haud dubie idem in ipsum ausurus, si occasio tulisset. 58. Quam ubi Caesar restitui iussit in regnum, statim ab eisdem percussoribus Pompeii obsessus in regia, quamvis exigua manu ingentis exercitus molem mira virtute sustinuit. 59. Ac primum proximorum aedificiorum atque navalium incendio infestorum hostium tela submovit, mox in peninsulam Pharon subitus evasit: inde depulsus in maria mira felicitate ad proximam classem enatavit, relicto quidem in fluctibus paludamento, seu fato, seu consilio, ut illud ingruentibus hostium telis saxisque peteretur. 60. Tum receptus a classicis suis, undique simul hostes adortus, de imbelli ac perfida gente iusta generi Manibus dedit. Quippe et Theodotus, magister auctorque totius belli, et ne virilia quidem portenta, Pothinus atque Ganymedes, diversa per mare et terras fuga et morte consumpti. Regis ipsius corpus obrutum limo repertum est in aureae loricae honore. 61. In Asia quoque novus rerum

motus a Ponto, quasi de industria captante Fortuna hunc Mithridatico regno exitum, ut a Pompeio pater, a Caesare filius vinceretur. 62. Rex Pharnaces magis discordiae nostrae fiducia, quam suae virtutis, infesto in Cappadociam agmine ruebat. 63. Sed hunc Caesar aggressus, uno et, ut sic dixerim, non toto proelio obtrivit; more fulminis, quod uno eodemque momento venit, percussit, abscessit. Nec vana de se praedicatio est Caesaris, *ante victum hostem esse, quam visum.* 64. Sic cum exteris. At in Africa cum civibus multo atrocius. Huc reliquias partium naufragarum quidam furoris aestus expulerat; nec reliquias diceres, sed integrum bellum. 65. Sparsae magis, quam oppressae vires erant. Auxerat sacramentum ipsa clades Imperatoris: nec degenerabat ducum successio. Quippe satis ample sonabant in Pompeiani nominis locum Cato et Scipio. Accessit copiis Mauretaniae rex Iuba, videlicet ut latius vinceret Caesar. 66. Nihil ergo inter Pharsaliam et Thapson, nisi quod amplior eoque acrior Caesarianorum impetus fuit, indignantium post Pompeium crevisse bellum. Denique, quod alias nunquam ante imperium ducis, sua sponte signa cecinerunt. 67. Strages a Iuba coepit, cuius elephanti bellorum rudes, et nuper a silva, consternati subito clangore lituorum in suos sese circumegere. Statim et exercitus in fugam; nec duces fortius, quam ut effugerent. Non inconspicua tamen mors omnium. 68. Iam Scipio nave fugiebat: sed, assequutis eum hostibus, gladium per viscera exegit: et, *ubi esset*, quodam requirente, respondit hoc ipsum: *Bene se habet Imperator.* 69. Iuba, quum se recepisset in regiam, magnifice epulatus postero die cum Petreio fugae comite, superque mensas et pocula interficiendum se ei praebuit. Ille et regi sufficit et sibi: quum interim semesi in medio cibi, et parentalia fercula regio simul

Romanoque sanguine madebant. 70. Cato non interfuit bello: positisque apud Bagradam castris, Uticam, velut altera Africae claustra, servabat. Sed accepta partium clade, nihil cunctatus, ut sapiente dignum erat, mortem sibi etiam laetus accivit. 71. Nam postquam filium comitesque ab amplexu dimisit, in noctem lecto ad lucernam Platonis libro, qui immortalitatem animae docet, paulum quieti dedit: tunc circa primam vigiliam stricto gladio revelatum pectus semel iterumque percussit. 72. Ausi post hoc virum medici violare fomentis. Ille passus, dum abscederent, rescidit plagas: secutaque vi sanguinis moribundas manus in ipso vulnere reliquit. 73. Quasi non esset usquam dimicatum, sic arma rursus et partes; quantoque Africa supra Thessaliam fuit, tanto Africam superabat Hispania. 74. Plurimum quantum favoris partibus dabat fraternitas ducum, et pro uno duo stare Pompeios. Itaque nusquam atrocius, nec tam ancipiti Marte concursum est. 75. Primum in ipso ostio Oceani Varus Didiusque legati conflixere: sed acrius fuit cum ipso mari, quam inter se navibus bellum: siquidem [velut furorem civicum castigaret] Oceanus utramque classem naufragio cecidit. 76. Quinam ille horror, quum eodem tempore fluctus, procellae, viri, naves, armamenta confligerent! Adde situs ipsius formidinem, vergentia in unum, hinc Hispaniae, inde Mauretaniae littora, mare et intestinum et externum, imminentesque Herculis speculas, quum omnia undique simul proelio et tempestate saevirent. 77. Mox circa obsidiones urbium utrimque discursum est; quae miserae inter hos atque illos duces societatis Romanae poenas dabant. 78. Omnium postrema certaminum Munda. Hic non pro cetera felicitate, sed anceps diu et triste proelium, ut plane videretur nescio quid deliberare Fortuna. 79. Sane et ipse ante aciem moestior non ex

more Caesar, sive respectu fragilitatis humanae, sive nimiam prosperorum suspectam habens continuationem: vel eadem timens, postquam idem esse coeperat, quod Pompeius. 80. Sed in ipso proelio, quod nemo unquam meminerat, quum diu pari Marte acies nihil aliud quam occiderent, in medio ardore pugnantium subito ingens inter utrosque silentium, quasi convenisset. 81. Novissime illud inusitatum Caesaris oculis nefas: post quatuordecim annos probata veteranorum manus gradum retro dedit: quos, etsi nondum fugerant, apparebat tamen, pudore magis, quam virtute resistere. 82. Itaque ille, ablegato equo, similis furenti, primam in aciem procurrit. Ibi prensare fugientes, confirmare, increpare; per totum denique agmen oculis, manibus, clamore volitare. 83. Dicitur in illa perturbatione et de extremis agitasse secum, et ita manifesto vultu fuisse, quasi occupare mortem manu vellet; nisi cohortes hostium quinque per transversam aciem actae, quas Labienus periclitantibus castris praesidio miserat, speciem fugae praebuissent. 84. Hoc aut et ipse credidit, aut dux callidus arripuit in occasionem: et quasi in fugientes invectus, simul et suorum erexit animos, et hostis perculit. Nam hi, dum se putant vincere, fortius sequi: Pompeiani, dum fugere credunt suos, fugere coeperunt. 85. Quanta fuerit hostium caedes, ira rabiesque victoribus, hinc aestimari potest, quod a proelio profugi quum se Mundam recepissent, et Caesar obsideri statim victos imperasset, congestis cadaveribus agger effectus est, quae, pilis iaculisque confixa, inter se tenebantur. Foedum etiam in barbaris! 86. Sed videlicet victoriam desperantibus Pompeii liberis, Cnaeum proelio profugum, crure saucium, deserta et avia petentem, Caesonius apud Lauronem oppidum consecutus pugnantem interficit. 87. Sextum Fortuna in Celtiberiam interim abscon-

dit: aliisque post Caesarem bellis servavit. 88. Caesar in patriam victor invehitur, primum de Gallia triumphum trahens. Hic erat Rhenus et Rhodanus et ex auro captivus Oceanus. Altera laurus Aegyptia: tunc in ferculis Nilus, Arsinoë; et ad simulacrum ignium ardens Pharos. 89. Tertius de Pharnace currus et Ponto. Quartus Iubam et Mauros et bis subactam ostendebat Hispaniam. Pharsalia et Thapsos et Munda nusquam. Et quanto maiora erant, de quibus non triumphabat! 90. Hic aliquando finis armis fuit. Reliqua, pax incruenta: pensatumque clementia bellum. Nemo caesus imperio praeter Afranium (satis ignoverat semel) et Faustum Sullam (didicerat generos timere,) filiamque Pompeii cum parvulis ex Sulla. Hic posteris cavebatur. 91. Itaque non ingratis civibus omnes unum in principem congesti honores: circa templa imagines; in theatro distincta radiis corona; suggestus in curia; fastigium in domo; mensis in coelo; ad hoc Pater ipse patriae, perpetuusque Dictator: novissime, dubium an ipso volente, oblata pro Rostris ab Antonio Consule regni insignia. 92. Quae omnia, velut infulae, in destinatam morti victimam congerebantur. Quippe clementiam principis vicit invidia: gravisque erat liberis ipsa beneficiorum potentia. 93. Nec diutius dilatio donata est; sed Brutus et Cassius aliique patres consensere in caedem principis. 94. Quanta vis fati! Manaverat late coniuratio. Libellus etiam Caesari datus eodem die: nec perlitare centum victimis potuerat. Venit in curiam tamen, expeditionem Parthicam meditans. 95. Ibi in curuli sedentem eum Senatus invasit: tribusque et viginti vulneribus ad terram datus est. Sic ille, qui terrarum orbem civili sanguine impleverat, tandem ipse sanguine suo curiam implevit.

## CAPUT III.

1. Populus Romanus, Caesare et Pompeio trucidatis, redisse in statum pristinum libertatis videbatur: 2. et redierat, nisi aut Pompeius liberos aut Caesar heredem reliquisset: vel, quod utroque perniciosius fuit, si non, collega quondam, mox aemulus Caesarianae potentiae, fax et turbo sequentis saeculi, superfuisset Antonius. 3. Quippe dum Sextus paterna repetit, trepidatum toto mari; dum Octavius mortem patris ulciscitur, iterum fuit movenda Thessalia: 4. dum Antonius, varius ingenio, aut successorem Caesaris indignatur Octavium, aut amore Cleopatrae desciscit in regem, iam aliter salvus esse non potuit, nisi confugisset ad servitutem. 5. Gratulandum tamen in tanta perturbatione est, quod potissimum ad Octavium Caesarem Augustum summa rerum rediit, qui sapientia sua atque sollertia perculsum undique ac perturbatum ordinavit imperii corpus. 6. Quod ita haud dubie nunquam coire et consentire potuisset, nisi unius praesidis nutu, quasi anima et mente regeretur. 7. Marco Antonio, Publio Dolabella Consulibus, imperium Romanum iam ad Caesares transferente Fortuna, varius et multiplex motus civitatis fuit; 8. quodque in annua coeli conversione fieri solet, ut mota sidera tonent ac suos flexus tempestate significent: sic tum Romanae dominationis, id est, humani generis, conversione penitus intremuit, omnique genere discriminum, civilibus, exteris, terrestribus ac navalibus bellis, omne imperii corpus agitatum est.

## CAPUT IV.

1. Prima civilium motuum causa testamentum Caesaris fuit, cuius secundus heres Antonius, praelatum sibi Octavium furens, inexpiabile contra adoptionem acerrimi iuvenis susceperat bellum. 2. Quippe quum intra decem et octo annos tenerum et obnoxium et opportunum iniuriae iuvenem videret, se plenae ex commilitio Caesaris dignitatis, lacerare furtis hereditatem, ipsum insectari probris, et cunctis artibus adoptionem Iuliae gentis inhibere; denique ad deprimendum iuvenem palam arma moliri. 3. Et iam parato exercitu in Cisalpina Gallia resistentem motibus suis Decimum Brutum obsederat. 4. Octavius Caesar, et aetate et iniuria favorabilis et nominis maiestate, quod sibi induerat, revocatis ad arma veteranis, privatus (quis crederet?) Consulem aggreditur. Obsidio Mutinae liberat Brutum: Antonium exuit castris. 5. Tum quidem etiam manu pulcher apparuit: nam cruentus et saucius aquilam, a moriente signifero traditam, suis humeris in castra referebat.

## CAPUT V.

1. Alterum bellum concitavit agrorum divisio, quos Caesar veteranis patris pretium militiae persolverat. 2. Semper alias Antonii pessimum ingenium Fulvia [ut gladio cincta virilis militiae] uxor agitabat. Ergo depulsos agris colonos incitando iterum in arma vocaverat. 3. Hic vero iam non privatis, sed totius Senatus suffragiis iudicatum hostem Caesar aggressus, intra Perusiae muros redegit, compulitque ad extrema deditionis turpi et nihil non experta fame.

## CAPUT VI.

1. Quum solus etiam gravis paci, gravis reipublicae esset Antonius, quasi ignis incendio Lepidus accessit, cui contra duos exercitus necesse fuit venire in cruentissimi foederis societatem. 2. Diversa omnium vota, ut ingenia. Lepidum divitiarum cupido, quarum spes ex turbatione reipublicae: Antonium ultionis de eis, qui se hostem iudicassent: Caesarem inultus pater et Manibus eius graves Cassius et Brutus agitabant. 3. In hoc velut foedus pax inter tres duces componitur. Apud Confluentes inter Rheni insulam et Bononiam iungunt manus; exercitus consalutant. Nullo bono more Triumviratus invaditur: oppressaque armis republica, redit Sullana proscriptio, cuius atrocitas nihil in se minus habet, quam numerum centum quadraginta senatorum. 4. Exitus foedi, truces, miserabiles toto terrarum orbe fugientium. Quis pro indignitate rei non ingemiscat, quum Antonius Lucium Caesarem avunculum suum, Lepidus Lucium Paullum fratrem proscripserint? 5. Romae capita caesorum proponere in Rostris iam usitatum erat: verum sic quoque civitas lacrimas tenere non potuit, quum recisum Ciceronis caput in illis suis Rostris videret; nec aliter ad videndum eum, quam solebat ad audiendum concurreretur. 6. Haec scelera in Antonii Lepidique tabulis. Caesar percussoribus patris contentus fuit. Haec quoque, nisi multa fuisset, etiam iusta caedes haberetur.

---

## CAPUT VII.

1. Brutus et Cassius sic C. Caesarem, quasi Tarquinium, depulisse regno videbantur; sed libertatem, quam maxime restitutam voluerunt, illo ipso parricidio perdiderunt. 2. Igitur, caede perfecta, quum ve-

teranos Caesaris, nec immerito, timerent, statim e Curia in Capitolium confugerant. Nec illis ad ultionem deerat animus; sed ducem nondum habebant. 3. Igitur quum appareret, quae strages reipublicae immineret, displicuit ultio, Ciceronis consiliis abolitione decreta. 4. Ne tamen publici doloris oculos ferirent, in provincias ab illo ipso, quem occiderant, Caesare datas, Syriam et Macedoniam, concesserant. Sic vindicta Caesaris dilata potius, quam oppressa est. 5. Igitur ordinata, magis ut poterat, quam debebat, inter Triumviros republica, relicto ad Urbis praesidium Lepido, Caesar cum Antonio in Cassium Brutumque succingitur. 6. Illi comparatis ingentibus copiis, eandem illam, quae fatalis Cnaeo Pompeio fuit, arenam insederant. Sed nec tum cladis destinatae signa latuerunt. 7. Nam et assuetae cadaverum pabulo volucres castra, quasi iam sua, circumvolabant; et in aciem prodeuntibus obvius Aethiops nimis aperte ferale signum fuit. 8. Ipsique Bruto per noctem, quum illato lumine ex more aliqua secum agitaret, atra quaedam imago se obtulit, et, *quae esset*, interrogata: *Tuus*, inquit, *malus genius*. Hoc: et sub oculis mirantis evanuit. 9. Pari in meliora praesagio in Caesaris castris omnia aves victimaeque promiserant; sed nihil illo praesentius, quod Caesaris medicus somnio admonitus est, *ut Caesar castris excederet, quibus capi imminebat*: ut factum est. 10. Acie namque commissa, quum pari ardore aliquamdiu dimicatum foret, (quamvis duces non praesentes essent, quum hunc corporis aegritudo, illum metus et ignavia subduxissent), stabat tamen pro partibus invicta fortuna et ultoris et qui vindicabatur. Primum adeo anceps fuit et par utrimque discrimen, ut exitus proelii docuit. Capta sunt hinc Caesaris castra, inde Cassii. 11. Sed quanto efficacior est fortuna, quam virtus! Et quam verum est,

quod moriens efflavit, *non in re, sed in verbo tant*
*esse virtutem!* Victoriam illi proelio error dedit.
Cassius, inclinato cornu suo, quum, captis Caesa
castris, rapido impetu recipientes se equites vide
fugere arbitratus, evadit in tumulum: 13. inde p
vere et strepitu, et iam nocte vicina, eximentibus
stae rei sensum, quum speculator quoque, in id n
sus, tardius renuntiaret; transactum de partibus
tus, uni ex proximis auferendum praebuit caput.
Brutus quum in Cassio etiam suum animum pe
disset, ne quid ex constituti fide resignaret, (ita en
ne superessent bello, convenerat) ipse quoque uni
mitum suorum confodiendum praebuit latus. 15.
sapientissimos viros non mirtur ad ultimum
suis manibus usos? Nisi si hoc quoque ex persua
ne sectae fuit, ne violarent manus, sed in aboliti
sanctissimarum piissimarumque animarum iudi
suo, scelere alieno uterentur.

---

## CAPUT VIII.

1. Sublatis percussoribus Caesaris, super
Pompeii domus. Alter iuvenum in Hispania occ
rat, alter fuga evaserat: contractisque infelicis b
reliquiis, quum insuper ergastula armasset, Sicil
Sardiniamque habebat. Iam et classe medium m
insederat. 2. O quam diversus a patre! Ille Cil
exstinxerat. Hicce pirat. . . — — — — — — belli
valis agitaret. 3. Tanta mole belli petitus in Si
freto iuvenis oppressus est: magnique famam d
ad inferos secum tulisset, si tentasset ulterius n
nisi quod magnae indolis signum est, *sperare sem*
4. Perditis enim rebus profugit Asiamque velis p
venturus ibi in manus hostium et catenas, et,
miserrimum fortibus viris, ad hostium arbitrium

percussore moriturus. 5. Non alia post Xerxen miserabilior fuga. Quippe modo trecentarum quinquaginta navium dominus cum sex septémve fugiebat, exstincto praetoriae navis lumine, anulis in mare abiectis, pavens atque respectans, et tamen non timens, ne periret.

---

## CAPUT IX.

1. Quamvis in Cassio et Bruto partes sustulisset, in Pompeio totum partium nomen abolevisset: nondum tamen ad pacis stabilitatem profecerat Caesar, quum scopulus et nodus et mora publicae securitatis superesset Antonius. 2. Nec ille defuit vitiis, quin periret; immo omnia expertus ambitu et luxuria, primum hostes, deinde cives, tandem etiam terrore sui saeculum liberavit. 3. Parthi clade Crassiana altius animos erexerant, civilesque [populi Romani] discordias laeti acceperant. Itaque, ut prima affulsit occasio, non dubitaverunt erumpere, ultro quidem invitante Labieno, qui missus a Cassio Brutoque (qui furor scelerum!) sollicitaverat hostes in auxilium. 4. Et illi, Pacoro duce, regio iuvene, dispulerant Antoniana praesidia. 5. Saxa legatus, ne veniret in potestatem, a gladio impetravit. Denique, ablata Syria, emanabat latius malum, hostibus sub auxilii specie sibi vincentibus, nisi Ventidius, et hic legatus Antonii, incredibili felicitate et Labieni copias ipsumque Pacorum, et omnem Parthicum equitatum, toto inter Orontem et Euphraten sinu, late cecidisset. 6. Viginti amplius millium fuit. Nec sine consilio ducis, qui simulato metu adeo passus est hostem castris succedere, donec, absumpto iactus spatio, adimeret usum sagittarum. 7. Rex fortissime dimicans cecidit. Mox, circumlato eius per urbes, quae descive

rant, capite, Syria sine bello recepta. Sic Crassianam cladem Pacori caede pensavimus.

---

## CAPUT X.

1. Expertis invicem Parthis atque Romanis, quum Crassus et Pacorus utrimque virium mutuarum documenta fuissent, pari rursus reverentia integrata amicitia; et quidem ab ipso foedus Antonio cum rege percussum. 2. Sed (immensa vanitas hominis!) dum titulorum cupidine Araxen et Euphraten sub imaginibus suis legi concupiscit: neque causa, neque consilio, ac ne imaginaria quidem belli indictione, quasi hoc quoque ex arte ducis esset, obrepere, relicta repente Syria in Parthos impetum facit. 3. Gens praeter armorum fiduciam callida, simulat trepidationem et in campos fugam. Hic statim quasi victor sequebatur, quum subito nec magna hostium manus ex improviso et iam in fessos via sub vespere, velut nimbus, erupit. Missis undique sagittis duas legiones operuerunt. 4. Nihil acciderat in comparationem cladis, quae in posterum diem imminebat, nisi intervenisset deûm miseratio. Unus ex clade Crassiana Parthico habitu castris adequitat, et, salute Latine data, quum fidem ipso sermone fecisset, quid immineret, edocuit; 5. *iam affuturum cum omnibus copiis regem: irent retro peterentque montes: sic quoque hostem fortasse non defore.* Atque ita secuta est minor vis hostium, quam imminebat. 6. Affuit tamen: deletaeque reliquae copiae forent, nisi urgentibus telis in modum grandinis, quadam forte, quasi docti, procubuissent in genua milites, et, elatis supra capita scutis, caesorum speciem praebuissent. 7. Tum Parthus arcus inhibuit. Dein rursus quum se Romani extulissent, adeo res miraculo fuit, ut unus ex barbaris miserit vocem: *Ite et bene valete, Romani; me-*

*rito vos victores gentium fama loquitur, qui Parthorum tela fugistis.* 8. Non minor ex via postea, quam ab hostibus clades. Infesta primum siti regio; tum quibusdam salinacidis fluviis infestior: novissime, quae iam ab invalidis et avide hauriebantur, noxiae etiam dulces fuere. 9. Mox et ardores per Armeniam et nives per Cappadociam et utriusque coeli subita mutatio pro pestilentia fuit. 10. Sic vix tertia parte de sedecim legionibus reliqua, quum argentum eius passim dolabris concideretur; et subinde inter moras mortem a gladiatore suo flagitasset egregius imperator; tandem perfugit in Syriam. Ibi incredibili quadam mentis vecordia ferocior aliquanto factus est: quasi vicisset, quia evaserat.

---

## CAPUT XI.

1. Furor Antonii, quatenus per ambitum non interierat, luxu et libidine exstinctus est. Quippe post Parthos quum exosus arma in otio ageret, captus amore Cleopatrae, quasi bene gestis rebus, in regio se sinu reficiebat. 2. Haec mulier Aegyptia ab ebrio Imperatore pretium libidinum Romanum imperium petit. Et promisit Antonius, quasi facilior esset Partho Romanus. 3. Igitur dominationem parare, nec tacite; sed patriae, nominis, togae, fascium oblitus, totus in monstrum illud ut mente, ita animo cultuque desciverat. Aureum in manu baculum; ad latus acinaces; purpurea vestis ingentibus obstricta gemmis: diadema deerat, ut regina rex et ipse frueretur. 4. Ad primam noverum motuum famam Caesar a Brundisio traiecerat, ut venienti bello occurreret: positisque castris in Epiro, Leucadem insulam montemque Leucaten et Ambracii sinus cornua, infesta classe succinxerat. 5. Nobis quadringentae

amplius naves, ducentae non minus hostium; sed numerum magnitudo pensabat. Quippe a senis in novenos remorum ordinibus: ad hoc turribus atque tabulatis allevatae, castellorum vel urbium specie, non sine gemitu maris et labore ventorum ferebantur: quae quidem ipsa moles exitio fuit. 6. Caesaris naves a triremibus in senos, nec amplius, ordines creverant. Itaque habiles in omnia, quae usus posceret: ad impetus et recursus, flexusque capiendos, illas graves et ad omnia praepeditas, singulas plures adortae, missilibus, simul rostris, ad hoc ignibus iactis [ad arbitrium] dissipavere. 7. Nec ulla re magis hostilium copiarum apparuit magnitudo, quam post victoriam. Quippe immensa classis, naufragio belli facto, toto mari fluitabat: Arabumque et Sabaeorum et mille aliarum Asiae gentium spolia, purpuram aurumque in ripam assidue mota ventis maria revomebant. 8. Prima dux fugae regina, cum aurea puppe veloque purpureo in altum se dedit. Mox sequutus Antonius; sed instare vestigiis Caesar. 9. Itaque nec praeparata in Oceanum fuga, nec munita praesidiis utraque Aegypti cornua, Paraetonium atque Pelusium, profuere. Prope manu tenebantur. Prior ferrum occupavit Antonius. Regina ad pedes Caesaris provoluta tentavit oculos ducis. Frustra. Nam pulchritudo intra pudicitiam principis fuit. 10. Nec illa de vita, quae offerebatur, sed de parte regni, laborabat. Quod ubi desperavit a principe, servarique se triumpho vidit, incautiorem nancta custodiam, in Mausoleum se recipit. 11. Ibi maximos, ut solebat, induta cultus, in differto odoribus solio, iuxta suum se collocavit Antonium; admotisque ad venas serpentibus, sic morte, quasi somno, soluta est.

## CAPUT XII.

1. Hic finis armorum civilium: reliqua adversus exteras gentes, quae, districto circa mala sua imperio, diversis orbis oris emicabant. 2. Nova quippe pax: necdum assuetae frenis servitutis tumidae gentium inflataeque cervices ab imposito nuper iugo resiliebant. 3. Ad Septemtrionem conversa ferme plaga ferocius agebat: Norici, Illyrii, Pannonii, Delmatae, Moesi, Thraces et Daci, Sarmatae atque Germani. 4. Noricis animos Alpes dabant, quasi in nives bellum non posset ascendere: sed omnes illius cardinis populos, Breunos, Cennos atque Vindelicos, per privignum suum Claudium Drusum perpacavit. 5. Quae fuerit Alpinarum gentium feritas, facile vel mulieres ostendêre, quae, deficientibus telis, infantes ipsos afflictos humo in ora militum adversa miserunt. 6. Illyrii quoque sub Alpibus agunt, imasque valles earum, ac quaedam quasi claustra, custodiunt, abruptis torrentibus implicati. In hos expeditionem ipse sumsit, fierique pontes imperavit. 7. Hic et aquis et hoste turbantibus, cunctanti ad adscensum militi scutum de manu rapuit; et in via primus, tunc agmine sequuto, quum subrutus multitudine pons succidisset, saucius manibus et cruribus, speciosior sanguine, et ipso periculo augustior, terga hostium percecidit. 8. Pannonii duobus satis acribus fluviis, Dravo, Savoque, vallabantur. Populati proximos, intra ripas se recipiebant. In hos domandos Tiberium misit. Caesi sunt in utrisque fluminibus. 9. Arma victorum non ex more belli cremata, sed fracta sunt, et in profluentes data, ut ceteris, qui resistebant, victoria sic nuntiaretur. 10. Delmatae plerumque sub silvis agebant: inde in latrocinia promptissimi. 11. Hos iam quidem Marcius incensa urbe Delminio quasi detruncaverat; postea Asinius Pollio

gregibus, agris, armis, multaverat; 12. sed Augustus perdomandos Vibio mandat, qui efferum genus fodere terras coëgit aurumque venis repurgare: quod alioquin gens omnium cupidissima eo studio, ea diligentia anquirit, ut illud in usus suos servare videatur. 13. Moesi quam feri, quam truces fuerint, quam ipsorum etiam barbari barbarorum, horribile dictu est. 14. Unus ducum, ante aciem postulato silentio, *Qui vos estis?* inquit. Responsum invicem: *Romani, gentium domini*. Et ille, *Ita*, inquit, *fiet, si nos viceritis.* 15. Accepit omen Marcus Crassus. Illi statim ante aciem immolato equo concepere votum, *ut caesorum extis ducum et litarent et vescerentur.* 16. Deos audisse crediderim. Nec tubas sustinere potuerunt. Non minimum terroris incussit barbaris Cn. Ovidius Centurio, satis barbarae, efficacis tamen apud pares homines stoliditatis, qui, foculum gerens super cassidem, suscitatam motu corporis flammam, velut ardenti capite, fundebat. 17. Antea saepe Thraces, tum maxime Coto rege desciverant. Ille barbaros et signis militaribus et disciplina armis etiam Romanis assueverat; sed a Pisone perdomiti, in ipsa captivitate rabiem ostendere: quippe quum catenas morsibus tentarent, feritatem suam ipsi puniebant. 18. Daci montibus inhaerent. Inde Cotisonis regis imperio, quotiens concretus gelu Danubius iunxerat ripas, decurrere solebant et vicina populari. 19. Visum est Caesari Augusto gentem aditu difficillimam submovere. Misso igitur Lentulo, ultra ulteriorem repulit ripam: citra praesidia constituit. Sic tunc Dacia non victa, sed summota atque dilata est. 20. Sarmatae patentibus campis inequitant: et hos per eundem Lentulum prohibere Danubio satis fuit. Nihil praeter nives pruinasque et silvas habent: tanta barbaria, ut pacem nec intelligant. 21. Germaniam quoque utinam vincere tanti non putasset! Magis

turpiter amissa est, quam gloriose acquisita. 22. Sed quatenus sciebat, patrem suum Caesarem, bis transvectum ponte Rheno, quaesisse bellum, in illius honorem concupiit facere provinciam: et factum erat, si barbari tam vitia nostra, quam imperia ferre potuissent. 23. Missus in eam provinciam Drusus, primos domuit Usipetes: inde Tencteros percucurrit et Cattos. Nam Marcomanorum spoliis insignibus quendam editum tumulum in tropaei modum excoluit. 24. Inde validissimas nationes, Cheruscos Suevosque et Sygambros, pariter aggressus est, qui, viginti centurionibus in crucem actis, hoc velut sacramento sumserant bellum, adeo certa victoriae spe, ut praedam in antecessum pactione diviserint. 25. Cherusci equos, Suevi aurum et argentum, Sygambri captivos elegerant; sed omnia retrorsum. Victor namque Drusus equos, pecora, torques eorum ipsosque praedam divisit et vendidit. 26. Praeterea in tutelam provinciae praesidia atque custodias ubique disposuit, per Mosam flumen, per Albim, per Visurgim; per Rheni quidem ripam quinquaginta amplius castella direxit. Bonnam et Novesium pontibus iunxit classibusque firmavit. 27. Invisum atque inaccessum in id tempus Hercynium saltum patefecit. Ea denique in Germania pax erat, ut mutati homines, alia terra, coelum ipsum mitius molliusque solito videretur. 28. Denique non per adulationem, sed ex meritis, defuncto ibi fortissimo iuvene, ipse, quod nunquam alias, Senatus cognomen ex provincia dedit. 29. Sed difficilius est provincias obtinere, quam facere. Viribus parantur, iure retinentur. 30. Igitur breve id gaudium. Quippe Germani victi magis, quam domiti erant: moresque nostros magis, quam arma, sub imperatore Druso suspiciebant: postquam vero ille defunctus est, Vari Quinctilii libidinem ac superbiam haud secus, quam saevitiam odisse coepe-

runt. Ausus ille agere conventum: et incaute ius exercuerat, quasi violentiam barbarorum lictoris virgis et praeconis voce posset inhibere. 32. At illi, qui iam pridem rubigine obsitos enses inertesque quaererent equos, ut primum togas, et saeviora armis iura viderunt, duce Armenio arma corripiunt: 33. quum interim tanta erat Varo pacis fiducia, ut ne praedicta quidem, et prodita per Segestem, unum principum, coniuratione commoveretur. 34. Itaque improvidum, et nihil tale metuentem, improviso adorti, quum ille (o securitas) ad tribunal citaret, undique invadunt. Castra rapiuntur; tres legiones opprimuntur. 35. Varus perditas res eodem, quo Cannensem diem Paullus, et fato est et animo sequutus. 36. Nihil illa caede per paludes perque silvas cruentius, nihil insultatione barbarorum intolerantius, praecipue tamen in causarum patronos. 37. Aliis oculos, aliis manus amputabant: unius os sutum, rescisa prius lingua; quam in manu tenens barbarus, *Tandem*, inquit, *vipera, sibilare desisti.* 38. Ipsius quoque Consulis corpus, quod militum pietas humi abdiderat, effossum. Signa et aquilas duas adhuc barbari possident: tertiam signifer prius, quam in manus hostium veniret, evulsit; mersamque intra baltei sui latebras gerens, in cruenta palude sic latuit. 39. Hac clade factum, ut imperium, quod in littore Oceani non steterat, in ripa Rheni fluminis staret. Haec ad Septemtrionem. 40. Sub Meridiano tumultuatum magis, quam bellatum est. Musulanos atque Gaetulos, accolas Syrtium, Cosso duce, compescuit. Unde illi *Gaetulici* nomen. 41. Latius victoria patet. Marmaritas atque Garamantas Quirino subigendos dedit. Potuit et ille redire *Marmaricus;* sed modestior in una aestimanda victoria fuit. 42. Ad Orientem plus negotii cum Armeniis. Huc alterum ex Caesaribus, nepotibus suis, misit. Ambo

fato breves: sed alter inglorius. Massiliae quippe Lucius morbo solvitur: in Syria Caius ex vulnere, quum Armeniam ad Parthos se subtrahentem recipit. 43. Armenios, victo rege Tigrane, in hoc unum servitutis genus Pompeius assueverat, ut rectores a nobis acciperent. Intermissum ergo ius per hunc recuperatum, non incruento, nec inulto tamen certamine. 44. Quippe Domnes, quem rex Artaxates praefecerat, simulata proditione, adortus est virum intentum libello, quem, ut thesaurorum rationes continentem, ipse porrexerat, stricto repente ferro. At recreatus ex vulnere in tempus. 45. Ceterum barbarus, undique infesto exercitu oppressus, gladio et pyra, in quam se percussus immisit, superstiti etiamnum Caesari satisfecit. 46. Sub Occasu pacata fere omnis Hispania, nisi quam Pyrenaei desinentis scopulis inhaerentem citerior alluebat Oceanus. Hic duae validissimae gentes, Cantabri et Astures, immunes imperii agitabant. 47. Cantabrorum et prior et altior et magis pertinax in rebellando animus fuit; qui non contenti libertatem suam defendere, proximis etiam imperitare tentabant, Vaccaeosque et Turmodigos et Autrigonas crebris incursionibus fatigabant. 48. In hos igitur, quia vehementius agere nuntiabantur, non mandata expeditio, sed sumpta est. Ipse venit Segisamam: castra posuit: et tripertito exercitu totam Cantabriam amplexus, efferam gentem, ritu ferarum, quasi indagine, debellabat. 49. Nec ab Oceano quies, quum infesta classe ipsa quoque terga hostium caederentur. Primum adversus Cantabros sub moenibus Vellicae proeliatus est. Hinc fuga in eminentissimum Vinnium montem, quo maria prius Oceani, quam arma Romana ascensura esse crediderant. Tertio Aracillum oppidum magna vi repugnat. 50. Captum tamen postremo fuit. Medulli montis obsidio, quem perpetua quindecim millium fossa com-

prehensum cinxit, undique simul adeunte Romano, postquam extrema barbari vident, certatim igne, ferro [inter epulas] venenoque, quod ibi vulgo ex arboribus taxeis exprimitur, praecipere mortem: seque pars maior a captivitate, quae morte gravior videbatur, vindicaverunt. 51. Haec per Antistium, Furnium, Agrippam, hibernans in Tarraconis maritimis Caesar accepit. 52. Ipse praesens hos deduxit montibus, hos obsidibus adstrinxit, hos sub corona iure belli venumdedit. 53. Digna res lauro, digna curru Senatui visa est; sed iam tantus Caesar erat, ut posset triumphos contemnere. 54. Astures per id tempus ingenti agmine a montibus suis descenderant. Nec temere sumptus, ut barbaris, impetus; sed positis castris apud Asturam flumen, trifariam diviso agmine, tria simul Romanorum castra aggredi parant. 55. Fuisset et anceps et cruentum et ultimum mutua clade certamen cum tam fortibus, tam subito, tam cum consilio venientibus, nisi Brigaecini prodissent: 56. a quibus praemonitus Carisius, cum exercitu advenit oppressitque consilia. Sic tamen quoque non incruento certamine. Reliquias fusi exercitus validissima civitas Lancia excepit: 57. ubi tamen loci adeo certatum est, ut, quum in captam urbem faces poscerentur, aegre dux impetraverit veniam, *ut victoriae Romanae stans potius esset, quam incensa, monumentum.* 58. Hic finis Augusto bellicorum certaminum fuit: idem rebellandi finis Hispaniae. 59. Certa mox fides et aeterna pax; quum ipsorum ingenio in pacis artes promptiore: tum consilio Caesaris, qui fiduciam montium timens, in quos se recipiebant, castra sua, sed quae in plano erant, habitare et incolere iussit. 60. Vigentis esse consilii illud observari coepit. Favebat consilio natura regionis circa omnis aurifera, miniique et chrysocollae et aliorum colorum ferax. Itaque exerceri solum iussit. Sic Astu

res latitantes in profundo opes suas atque divitias, dum aliis quaerunt, nosse coeperunt. 61. Omnibus ad Occasum et Meridiem pacatis gentibus, ad Septemtrionem quoque dumtaxat intra Rhenum atque Danubium, item ad Orientem intra Cyrum et Euphraten; illi quoque reliqui, qui immunes imperii erant, sentiebant tamen magnitudinem, et victorem gentium populum Romanum reverebantur. 62. Nam et Scythae misere legatos et Sarmatae, amicitiam petentes. Seres etiam, habitantesque sub ipso sole Indi, cum gemmis et margaritis, elephantes quoque inter munera trahentes, nihil magis, quam longinquitatem viae imputabant, quam quadriennio impleverant: et tamen ipse hominum color ab alio venire coelo fatebatur. 63. Parthi quoque, quasi victoriae poeniteret, rapta clade Crassiana signa ultro retulere. 64. Sic ubique cuncta atque continua totius generis humani aut pax fuit aut pactio. Aususque tandem Caesar, septingentesimo ab Urbe condita anno, Ianum Geminum cludere, bis ante se clusum; sub Numa rege, et victa primum Carthagine. 65. Hinc conversus ad pacem, pronum in omnia mala et in luxuriam fluens saeculum gravibus severisque legibus multis coërcuit. 66. Ob haec tot facta ingentia *Dictator perpetuus* et *Pater patriae*: tractatum etiam in Senatu, an, quia condidisset imperium, *Romulus* vocaretur; sed sanctius et reverentius visum est nomen *Augusti*, ut scilicet iam tum, dum colit terras, ipso nomine et titulo consecraretur.

---


ΑΛΚΙΒΙΑΔΗΣ

# CORNELII NEPOTIS

# VITAE

# EXCELLENTIUM IMPERATORUM

## CUM FRAGMENTIS.

---

AD

OPTIMORUM LIBRORUM FIDEM

ADCURAVIT

*C. H. WEISE.*

---

*EDITIO STEREOTYPA.*

---

LIPSIAE

SUMTIBUS ET TYPIS CAROLI TAUCHNITII.

1828.

Ladenpreiß 2 Groschen.

# PRAEFAMEN
## DE CORNELIO ET HAC VITARVM EIVS EDITIONE.

*Cornelius Nepos aequalis fuit Ciceroni, Attico, Catullo, et cum his ipsis intima familiaritate coniunctus, vixitque itaque et Iulii Caesaris et Octaviani Augusti temporibus. Vnde oriundus sit, non certo liquet inter scriptores; Plinius Padi accolam dicit, alii Veronensem; Vossius Hostiliae, vico Veronensium, natum esse iudicat, historicos illorum ipsos, a Becello, Veronensium Cancellario collectos, secutus. Romae sine dubio plurimum temporis degit, eoque fortunas suas contulit; magistratus omnino nullos videtur gessisse. Scriptis suis praecellentem et inter coaevos et postea famam est consecutus; quo magis dolendum profecto, pleraque eius aut intercidisse, aut ut ex latebris, quibus occuluntur, prodirent, nondum Angelum suum Maium invenisse. Conscripsit enim praeter Vitas nostras primum Chronica, eaque pro triplici tempore, ἀδήλῳ, μυθικῷ et ἱστορικῷ adornavit, in quibus omnem antiquorum historiam est persecutus. Por-*

*ro librum de Regibus, cuius ipse testis est in principio eorum, quae et in Vitis de regibus commemoravit. Singularem dein composuit librum de Catone Censorio, ut legitur in vita Catonis, cap. III, in fine, rogatu Attici. Item celebris fuit eius de Viris illustribus L., ex quo una nunc exstat T. Pomponii Attici vita. Commemorantur L. de Historicis, de vita Ciceronis, liber etiam, in quo, Suetonio teste, distinxit literatum ab erudito, denique Exempla et Epistolae ad Ciceronem.*

*Quae solae aetatem tulerunt Vitae excellentium Imperatorum, eae principione ita, ut nunc habemus, sint conscriptae, an ex maiore opere in brevius contractae, variae extiterunt opiniones. Haud pauci enim olim opinati sunt, esse Aemilii Probi librarii, qui Theodosio imperante vixit et exaratum partim sua, partim matris et avi manu exemplum Vitarum imperatori obtulit; unde iudicarunt, eum similiter Cornelii, ut Iustinum Trogi, fuisse epitomatorem. Propter insignem nimirum brevitatem operis; deinde loco forsitan in Praefatione ipsa ducti, in fine, falso intellecto verbo magnitudinis, denique ob pristinam libri inscriptionem, quae Probi nomen prae se ferebat: primus enim Lambinus Cornelium in titulo recepit. Sed hanc sententiam dudum reiecerunt viri docti, quorum iam nullus fere est, qui non aureae esse*

*aetatis hunc libellum indicet. Verum titulum libri auctor in fine Praef. addit: de Vita excell. Imperatorum, eumque, omissa tamen praepositione de, repetit in Epaminondae C. IV, 6, unde hanc inscriptionem etiam Fischerus reliquis praeferendam duxit. Sed ea ideo nunc non omni ex parte apta huic volumini videri possit, quia saltem Atticus, quem continet, non est in Imperatoribus numerandus; cuius et vita, ut Catonis, in plerisque codicibus manu scriptis et editionibus antiquissimis, Iensonii, Lambini et Stephani, deest. Etenim serius demum, saeculo exeunte XVI aut ineunte XVII. adiecta est una cum Catone. Ceterum neque has Vitas integras nunc exstare, sequitur aperte ex postremo Hannibalis capite, ubi se iam profitetur Romanorum expliciturum imperatores; unde apparet, nonnisi primam partem operis ad nos pervenisse. — Vlterius nihil praeter ea, quae commemoravimus, de Cornelio constat, quibus addendum adhuc, eum sub Augusto decessisse, teste Plinio Lib. 9. c. 39.*

*In hac editione, horum elegantia typorum, ut nuper Nasonis, Horatii, Virgilii, in usum iuventutis studiosae adornanda, eligi voluit Tauchnitzius, vir de classicis pariter ac lectoribus eorum meritissimus, optimam textus recensionem; eumque ipsum mendis, quam accuratissime fieri posset, typographicis expeditum prodire, in quo,*

*libro plus una vice, postquam iam fusae erant tabulae stereotypae, diligenter perlecto, satisfecisse nos lectoribus sperari potest. Postremo addi etiam Fragmenta curavit, quibus sane haud dubium libro commodum accessit. In textu, quamquam consultum videbatur, non nimis a vulgari lectione recedi, tamen Bardilii maxime adhibita est recensio, ut quae et optima nunc clueret, et in plerisque lectiones Fischero probatas referret, maximeque genuinum auctorem exhibere vere iudicanda esset. — Ita igitur, Lectores, fruimini iucundo hoc et bene ornato libello, et valete faveteque.*

*Lipsiae, M. Mart. A.* MDCCCXXV.

---



# PRAEFATIO.

Non dubito, fore plerosque, Attice, qui hoc genus scripturae leve et non satis dignum summorum virorum personis iudicent, quum relatum legent, quis musicam docuerit Epaminondam; aut in eius virtutibus commemorari, saltasse eum commode, scienterque tibiis cantasse. 2. Sed hi erunt fere, qui, expertes literarum Graecarum, nihil rectum, nisi quod ipsorum moribus conveniat, putabunt. 3. Hi si didicerint, non eadem omnibus esse honesta atque turpia; sed omnia maiorum institutis iudicari, non admirabuntur, nos in Graiorum virtutibus exponendis mores eorum secutos. 4. Neque enim Cimoni fuit turpe, Atheniensium summo viro, sororem germanam habere in matrimonio: quippe quum cives eius eodem uterentur instituto. At id quidem nostris moribus nefas habetur. Laudi in Graecia ducitur adolescentulis, quam plurimos habere amatores. Nulla Lacedaemoni tam est nobilis vidua, quae non ad scenam eat, mercede conducta. 5. Magnis in laudibus tota fere fuit Graecia, victorem Olympiae citari; in scenam vero prodire, et populo esse spectaculo, nemini in eisdem gentibus fuit turpitudini. Quae omnia apud nos partim infamia, partim humilia atque ab honestate remota ponuntur. 6. Contra ea pleraque nostris moribus sunt decora, quae apud illos turpia putantur. Quem enim Romanorum pudet, uxorem ducere in convivium? aut cuius non mater-

familias primum locum tenet aedium, atque in celebritate versatur? 7. Quod multo fit aliter in Graecia. Nam neque in convivium adhibetur, nisi propinquorum; neque sedet, nisi in interiore parte aedium, quae γυναικωνῖτις appellatur, quo nemo accedit, nisi propinqua cognatione coniunctus. 8. Sed hic plura persequi, tum magnitudo voluminis prohibet, tum festinatio, ut ea explicem, quae exorsus sum. Quare ad propositum veniemus, et in hoc exponemus libro de vita excellentium Imperatorum.

---

# I.
# MILTIADES.

## I.

*Miltiades, Cimonis filius, Atheniensis,* quum et antiquitate generis, et gloria maiorum, et sua modestia unus omnium maxime floreret, eaque esset aetate, ut iam non solum de eo bene sperare, sed etiam confidere cives possent sui, talem futurum, qualem cognitum iudicarunt: accidit, ut Athenienses Chersonesum colonos vellent mittere. 2. Cuius generis quum magnus numerus esset, et multi eius demigrationis peterent societatem: ex his delecti Delphos deliberatum missi sunt, qui consulerent Apollinem, quo potissimum duce uterentur. Namque tum Thraces eas regiones tenebant, cum quibus armis erat dimicandum. 3. His consulentibus nominatim Pythia praecepit, ut Miltiadem sibi imperatorem sumerent: id si fecissent, incepta prospera futura. 4. Hoc oraculi responso Miltiades cum delecta manu classe Chersonesum profectus quum accessisset Lemnum, et incolas eius insulae sub potestatem redigere vellet Atheniensium, idque Lemnii sua sponte facerent, postulasset; 5. illi irri-

dentes responderunt, tum id se facturos, quum ille, domo navibus proficiscens vento aquilone, venisset Lemnum. Hic enim ventus, a septentrionibus oriens, adversum tenet Athenis proficiscentibus. 6. Miltiades, morandi tempus non habens, cursum direxit, quo tendebat, pervenitque Chersonesum.

II. Ibi brevi tempore barbarorum copiis disiectis, tota regione, quam petierat, potitus, loca castellis idonea communivit, multitudinem, quam secum duxerat, in agris collocavit, crebrisque excursionibus locupletavit. 2. Neque minus in ea re prudentia, quam felicitate, adiutus est. Nam quum virtute militum hostium devicisset exercitus, summa aequitate res constituit, atque ipse ibidem manere decrevit. 3. Erat enim inter eos dignitate regia, quamvis carebat nomine; neque id magis imperio, quam iustitia, consecutus. Neque eo secius Atheniensibus, a quibus erat profectus, officia praestabat. Quibus rebus fiebat, ut non minus eorum voluntate perpetuo imperium obtineret, qui miserant, quam illorum, cum quibus erat profectus. 4. Chersoneso tali modo constituta, Lemnum revertitur, et ex pacto postulat, ut sibi urbem tradant. Ii enim dixerant, quum, vento borea domo profectus, eo pervenisset, sese dedituros; se autem domum Chersonesi habere. 5. Cares, qui tum Lemnum incolebant, etsi praeter opinionem res ceciderat, tamen, non dicto, sed secunda fortuna adversariorum capti, resistere ausi non sunt, atque ex insula demigrarunt. Pari felicitate ceteras insulas, quae Cyclades nominantur, sub Atheniensium redegit potestatem.

III. Eisdem temporibus Persarum rex Darius, ex Asia in Europam exercitu traiecto, Scythis bellum inferre decrevit. Pontem fecit in Histro flumine, qua copias traduceret. Eius pontis, dum ipse abesset, custodes reliquit principes, quos secum ex

Ionia et Aeolide duxerat; quibus singulis ipsarum urbium perpetua dederat imperia. 2. Sic enim facillime putavit, se Graeca lingua loquentes, qui Asiam incolerent, sub sua retenturum potestate, si amicis suis oppida tuenda tradidisset, quibus, se oppresso, nulla spes salutis relinqueretur. In hoc fuit [tum] numero Miltiades, cui illa custodia crederetur. 3. Hic quum crebri afferrent nuntii, male rem gerere Darium, premique ab Scythis, Miltiades hortatus est pontis custodes, ne a fortuna datam occasionem liberandae Graeciae dimitterent. 4. Nam si cum his copiis, quas secum transportaverat, interisset Darius, non solum Europam fore tutam, sed etiam eos, qui Asiam incolerent Graeci genere, liberos a Persarum futuros dominatione et periculo. Id et facile effici posse. Ponte enim rescisso, regem vel hostium ferro, vel inopia paucis diebus interiturum. 5. Ad hoc consilium quum plerique accederent, Histiaeus Milesius, ne res conficeretur, obstitit, dicens, non idem ipsis, qui summas imperii tenerent, expedire, et multitudini, quod Darii regno ipsorum niteretur dominatio; quo extincto ipsos potestate expulsos civibus suis poenas daturos. Itaque adeo se abhorrere a ceterorum consilio, ut nihil putet ipsis utilius, quam confirmari regnum Persarum. 6. Huius quum sententiam plurimi essent secuti, Miltiades, non dubitans, tam multis consciis ad regis aures consilia sua perventura, Chersonesum reliquit, ac rursus Athenas demigravit. Cuius ratio etsi non valuit, tamen magnopere est laudanda, quum amicior omnium libertati, quam suae fuerit dominationi.

IV. Darius autem, quum ex Europa in Asiam redisset, hortantibus amicis, ut Graeciam redigeret in suam potestatem, classem quingentarum navium comparavit, eique Datim praefecit et Artaphernem; hisque ducenta peditum, decem millia equitum de-

dit: causam interserens, se hostem esse Atheniensibus, quod eorum auxilio Iones Sardis expugnassent, suaque praesidia interfecissent. 2. Illi praefecti regii, classe ad Euboeam appulsa, celeriter Eretriam ceperunt, omnesque eius gentis cives abreptos in Asiam ad regem miserunt. Inde ad Atticam accesserunt, ac suas copias in campum Marathona deduxerunt. Is abest ab oppido circiter millia passuum decem. 3. Hoc tumultu Athenienses tam propinquo tamque magno permoti auxilium nusquam, nisi a Lacedaemoniis, petiverunt, Phidippidemque cursorem eius generis, qui ἡμεροδρόμοι vocantur, Lacedaemonem miserunt, ut nuntiaret, quam celeri opus esset auxilio. 4. Domi autem creant decem praetores, qui exercitui praeessent, in eis Miltiadem. Inter quos magna fuit contentio, utrum moenibus se defenderent, an obviam irent hostibus, acieque decernerent. 5. Vnus Miltiades maxime nitebatur, ut primo quoque tempore castra fierent. Id si factum esset, et civibus animum accessurum, quum viderent, de eorum virtute non desperari et hostes eadem re fore tardiores, si animadverterent, auderi adversus se tam exiguis copiis dimicare.

V. Hoc in tempore nulla civitas Atheniensibus auxilio fuit praeter Plataeenses. Ea mille misit militum. Itaque horum adventu decem millia armatorum completa sunt: quae manus mirabili flagrabat pugnandi cupiditate. 2. Quo factum est, ut plus, quam collegae, Miltiades valuerit. Eius auctoritate impulsi Athenienses copias ex urbe eduxerunt, locoque idoneo castra fecerunt. 3. Deinde postero die sub montis radicibus, acie e regione instructa, nova arte, vi summa proelium commiserunt. Namque arbores multis locis erant stratae, hoc consilio, ut et montium tegerentur altitudine, et arborum tractu equitatus hostium impedire-

tur, ne multitudine clauderentur. 4. Datis, etsi non aequum locum videbat suis, tamen, fretus numero copiarum suarum, confligere cupiebat: eoque magis, quod, priusquam Lacedaemonii subsidio venirent, dimicare utile arbitrabatur. Itaque in aciem peditum centum, equitum decem millia produxit, proeliumque commisit. 5. In quo tanto plus virtute valuerunt Athenienses, ut decemplicem numerum hostium profligarint; adeoque perterruerunt, ut Persae non castra, sed naves petierint. Qua pugna nihil adhuc est nobilius. Nulla enim unquam tam exigua manus tantas opes prostravit.

VI. Cuius victoriae non alienum videtur, quale praemium Miltiadi sit tributum, docere, quo facilius intelligi possit, eandem omnium civitatum esse naturam. 2. Vt enim populi nostri honores quondam fuerunt rari et tenues, ob eamque causam gloriosi; nunc autem effusi atque obsoleti: sic olim apud Athenienses fuisse reperimus. 3. Namque huic Miltiadi, qui Athenas totamque Graeciam liberarat, talis honos tributus est in porticu, quae *Ποικίλη* vocatur, quum pugna depingeretur Marathonia, ut in decem praetorum numero prima eius imago poneretur, isque hortaretur milites, proeliumque committeret. 4. Idem ille populus, posteaquam maius imperium est nactus, et largitione magistratuum corruptus est, trecentas statuas Demetrio Phalereo decrevit.

VII. Post hoc proelium classem septuaginta navium Athenienses eidem Miltiadi dederunt, ut insulas, quae barbaros adiuverant, bello persequeretur. Quo imperio plerasque ad officium redire coëgit, nonnullas vi expugnavit. 2. Ex his Parum insulam, opibus elatam, quum oratione reconciliare non posset, copias e navibus eduxit, urbem operibus clausit, omnique commeatu privavit; deinde vineis ac testudinibus constitutis, propius muros ac-

cessit. 3. Quum iam in eo esset, ut oppido potiretur, procul in continenti lucus, qui ex insula conspiciebatur, nescio quo casu, nocturno tempore incensus est. Cuius flamma ut ab oppidanis et oppugnatoribus est visa, utrisque venit in opinionem, signum a classiariis regiis datum. 4. Quo factum est, ut et Parii a deditione deterrerentur, et Miltiades, timens, ne classis regia adventaret, incensis operibus, quae statuerat, cum totidem navibus, atque erat profectus, Athenas magna cum offensione civium suorum rediret. 5. Accusatus ergo proditionis, quod, quum Parum expugnare posset, a rege corruptus infectis rebus [a pugna] discessisset. Eo tempore aeger erat vulneribus, quae in oppugnando oppido acceperat. Itaque quoniam ipse pro se dicere non posset, verba fecit frater eius Tisagoras. 6. Causa cognita, capitis absolutus, pecunia multatus est, eaque lis quinquaginta talentis aestimata est, quantus in classem sumtus factus erat. Hanc pecuniam quod solvere in praesentia non poterat, in vincula publica coniectus est, ibique diem obiit supremum.

VIII. Hic etsi crimine Pario est accusatus, tamen alia fuit causa damnationis. Namque Athenienses propter Pisistrati tyrannidem, quae paucis annis ante fuerat, omnium suorum civium potentiam extimescebant. 2. Miltiades, multum in imperiis magistratibusque versatus, non videbatur posse esse privatus; praesertim quum consuetudine ad imperii cupiditatem trahi videretur. 3. Nam Chersonesi omnes illos, quos habitarat, annos perpetuam obtinuerat dominationem, tyrannusque fuerat appellatus, sed iustus. Non erat enim vi consecutus, sed suorum voluntate, eamque potestatem bonitate retinebat. Omnes autem et habentur et dicuntur tyranni, qui potestate sunt perpetua in ea civitate, quae libertate usa est. 4. Sed in Miltiade erat quum summa humanitas, tum mira communitas, ut

nemo tam humilis esset, cui non ad eum aditus pateret; magna auctoritas apud omnes civitates, nobile nomen, laus rei militaris maxima. Haec populus respiciens maluit eum innoxium plecti, quam se diutius esse in timore.

# II.
# THEMISTOCLES.

## I.

*Themistocles, Neocli filius, Atheniensis.* Huius vitia ineuntis adolescentiae magnis sunt emendata virtutibus, adeo ut anteferatur huic nemo, pauci pares putentur. 2. Sed ab initio est ordiendum. Pater eius Neocles generosus fuit. Is uxorem Acharnanam civem duxit, ex qua natus est Themistocles. Qui quum minus esset probatus parentibus, quod et liberius vivebat, et rem familiarem negligebat, a patre exheredatus est. 3. Quae contumelia non fregit eum, sed erexit. Nam quum iudicasset, sine summa industria non posse eam exstingui, totum se dedidit reipublicae, diligentius amicis famaeque serviens. Multum in iudiciis privatis versabatur; saepe in concionem populi prodibat; nulla res major sine eo gerebatur, celeriterque, quae opus erant, reperiebat. 4. Neque minus in rebus gerendis promptus, quam excogitandis, erat, quod et de instantibus (ut ait Thucydides) verissime iudicabat, et de futuris callidissime coniiciebat. Quo factum est, ut brevi tempore illustraretur.

II. Primus autem gradus fuit capessendae reipublicae bello Corcyraeo: ad quod gerendum praetor a populo factus non solum praesenti bello, sed etiam reliquo tempore ferociorem reddidit civitatem. 2. Nam quum pecunia publica, quae ex me-

tallis redibat, largitione magistratuum quotannis interiret, ille persuasit populo, ut ea pecunia classis centum navium aedificaretur. 3. Qua celeriter effecta, primum Corcyraeos fregit, deinde maritimos praedones consectando mare tutum reddidit. In quo quum divitiis ornavit, tum etiam peritissimos belli navalis fecit Athenienses. 4. Id quantae saluti fuerit universae Graeciae, bello cognitum est Persico, quum Xerxes et mari et terra bellum universae inferret Europae cum tantis copiis, quantas neque antea, neque postea habuit quisquam. 5. Huius enim classis mille et ducentarum navium longarum fuit, quam duo millia onerariarum sequebantur; terrestres autem exercitus septingentorum millium peditum, equitum quadringentorum millium fuerunt. 6. Cuius de adventu quum fama in Graeciam esset perlata, et maxime Athenienses peti dicerentur propter pugnam Marathoniam; miserunt Delphos consultum, quidnam facerent de rebus suis. Deliberantibus Pythia respondit, ut moenibus ligneis se munirent. 7. Id responsum quo valeret, quum intelligeret nemo, Themistocles persuasit, consilium esse Apollinis, ut in naves se suaque conferrent: eum enim a deo significari murum ligneum. 8. Tali consilio probato addunt ad superiores totidem naves triremes, suaque omnia, quae moveri poterant, partim Salamina, partim Troezena asportant; arcem sacerdotibus paucisque maioribus natu ac sacra procuranda tradunt, reliquum oppidum relinquunt.

III. Huius consilium plerisque civitatibus displicebat, et in terra dimicari magis placebat. Itaque missi sunt delecti cum Leonida, Lacedaemoniorum rege, qui Thermopylas occuparent, longiusque barbaros progredi non paterentur. Hi vim hostium non sustinuerunt, eoque loco omnes interierunt. 2. At classis communis Graeciae trecentarum navium,

in qua ducentae erant Atheniensium, primum apud Artemisium, inter Euboeam continentemque terram, cum classiariis regis conflixit. Angustias enim Themistocles quaerebat, ne multitudine circumiretur. 3. Hic etsi pari proelio discesserant, tamen eodem loco non sunt ausi manere: quod erat periculum, ne, si pars navium adversariorum Euboeam superasset, ancipiti premerentur periculo. 4. Quo factum est, ut ab Artemisio discederent, et exadversum Athenas apud Salamina classem suam constituerent.

IV. At Xerxes, Thermopylis expugnatis, protinus accessit astu, idque nullis defendentibus, interfectis sacerdotibus, quos in arce invenerat, incendio delevit. 2. Cuius fama perterriti classiarii quum manere non auderent, et plurimi hortarentur, ut domos suas quisque discederent, moenibusque se defenderent: Themistocles unus restitit, et universos pares esse posse aiebat, dispersos testabatur perituros; idque Eurybiadi, regi Lacedaemoniorum, qui tum summae imperii praeerat, fore affirmabat. 3. Quem quum minus, quam vellet, moveret, noctu de servis suis, quem habuit fidelissimum, ad regem misit, ut ei nuntiaret suis verbis, adversarios eius in fuga esse: 4. qui si discessissent, maiore cum labore et longinquiore tempore bellum confecturum, quum singulos consectari cogeretur; quos si statim aggrederetur, brevi universos oppressurum. Hoc eo valebat, ut ingratiis ad depugnandum omnes cogerentur. 5. Hac re audita barbarus, nihil doli subesse credens, postridie alienissimo sibi loco, contra opportunissimo hostibus, adeo angusto mari conflixit, ut eius multitudo navium explicari non potuerit. Victus ergo est magis consilio Themistoclis, quam armis Graeciae.

V. Hic etsi male rem gesserat, tamen tantas habebat reliquias copiarum, ut etiam cum his oppri-

mere posset hostes. Iterum ab eodem gradu depulsus est. Nam Themistocles verens, ne bellare perseveraret, certiorem eum fecit, id agi, ut pons, quem ille in Hellesponto fecerat, dissolveretur, ac reditu in Asiam excluderetur; idque ei persuasit. 2. Itaque qua sex mensibus iter fecerat, eadem minus diebus triginta in Asiam reversus est, seque a Themistocle non superatum, sed conservatum iudicavit. 3. Sic unius viri prudentia Graecia liberata est, Europaeque succubuit Asia. Haec altera victoria, quae cum Marathonio possit comparari tropaeo. Nam pari modo apud Salamina parvo numero navium maxima post hominum memoriam classis est devicta.

VI. Magnus hoc bello Themistocles fuit, nec minor in pace. Quum enim Phalerico portu, neque magno neque bono, Athenienses uterentur; huius consilio triplex Piraeei portus constitutus est, isque moenibus circumdatus, ut ipsam urbem dignitate aequipararet, utilitate superaret. 2. Idem muros Atheniensium restituit praecipuo periculo suo. Namque Lacedaemonii, causam idoneam nacti propter barbarorum excursiones, qua negarent, oportere extra Peloponnesum ullam urbem habere, ne essent loca munita, quae hostes possiderent, Athenienses aedificantes prohibere sunt conati. 3. Hoc longe alio spectabat, atque videri volebant. Athenienses enim duabus victoriis, Marathonia et Salaminia, tantam gloriam apud omnes gentes erant consecuti, ut intelligerent Lacedaemonii, de principatu sibi cum his certamen fore. 4. Quare eos quam infirmissimos esse volebant. Postquam autem audierunt, muros instrui, legatos Athenas miserunt, qui id fieri vetarent. His praesentibus desierunt, ac se de ea re legatos ad eos missuros dixerunt. 5. Hanc legationem suscepit Themistocles, et solus primo profectus est; reliqui legati ut tum

exirent, quum satis altitudo muri exstructa videretur, praecepit: interim omnes, servi atque liberi, opus facerent, neque ulli loco parcerent, sive sacer, sive profanus, sive privatus esset, sive publicus, et undique, quod idoneum ad muniendum putarent, congererent. Quo factum est, ut Atheniensium muri ex sacellis sepulcrisque constarent.

VII. Themistocles autem, ut Lacedaemonem venit, adire ad magistratus noluit, et dedit operam, ut quam longissime tempus duceret, causam interponens, se collegas exspectare, quum Lacedaemonii quererentur, opus nihilominus fieri, eumque in ea re conari fallere. 2. Interim reliqui legati sunt consecuti. A quibus quum audisset, non multum superesse munitionis, ad ephoros Lacedaemoniorum accessit, penes quos summum imperium erat, atque apud eos contendit, falsa his esse delata; quare aequum esse, illos viros bonos nobilesque mittere, quibus fides haberetur, qui rem explorarent; interea se obsidem retinerent. 3. Gestus est ei mos, tresque legati, functi summis honoribus, Athenas missi sunt. Cum his collegas suos Themistocles iussit proficisci eisque praedixit, ut ne prius Lacedaemoniorum legatos dimitterent, quam ipse esset remissus. 4. Hos postquam Athenas pervenisse ratus est, ad magistratum senatumque Lacedaemoniorum adiit, et apud eos liberrime professus est, Athenienses suo consilio, quod communi iure gentium facere possent, deos publicos, suosque patrios ac penates, quo facilius ab hoste possent defendere, muris sepsisse; neque in eo, quod inutile esset Graeciae, fecisse. 5. Nam illorum urbem ut propugnaculum oppositum esse barbaris, apud quam iam bis classes regias fecisse naufragium. 6. Lacedaemonios autem male et iniuste facere, qui id potius intuerentur, quod ipsorum dominationi, quam quod universae Graeciae utile esset. Quare, si suos legatos recipere vellent, quos Athenas mise-

rant, se remitterent, aliter illos nunquam in patriam recepturi.

VIII. Tamen non effugit civium suorum invidiam. Namque ob eundem timorem, quo damnatus erat Miltiades, testarum suffragiis e civitate eiectus, Argos habitatum concessit. 2. Hic quum propter multas eius virtutes magna cum dignitate viveret, Lacedaemonii legatos Athenas miserunt, qui eum absentem accusarent, quod societatem cum rege Persarum ad Graeciam opprimendam fecisset. 3. Hoc crimine absens proditionis est damnatus. Id ut audivit, quod non satis tutum se Argis videbat, Corcyram demigravit. Ibi quum eius principes civitatis animadvertisset timere, ne propter se bellum his Lacedaemonii et Athenienses indicerent; ad Admetum, Molossorum regem, cum quo ei hospitium erat, confugit. 4. Huc quum venisset, et in praesentia rex abesset, quo maiore religione se receptum tueretur, filiam eius parvulam arripuit, et cum ea se in sacrarium, quod summa colebatur caerimonia, coniecit. Inde non prius egressus est, quam rex eum data dextra in fidem reciperet, quam praestitit. 5. Nam quum ab Atheniensibus et Lacedaemoniis exposceretur publice, supplicem non prodidit, monuitque, ut consuleret sibi; difficile enim esse, in tam propinquo loco tuto eum versari. Itaque Pydnam eum deduci iussit, et, quod satis esset praesidii, dedit. 6. Hic in navem omnibus ignotus nautis adscendit. Quae quum tempestate maxima Naxum ferretur, ubi tum Atheniensium erat exercitus; sensit Themistocles, si eo pervenisset, sibi esse pereundum. Hac necessitate coactus domino navis, qui sit, aperit, multa pollicens, si se conservasset. 7. At ille, clarissimi viri captus misericordia, diem noctemque procul ab insula in salo navem tenuit in ancoris, neque quemquam ex ea exire passus est. In-

de Ephesum pervenit, ibique Themistoclem exponit: cui ille pro meritis gratiam postea retulit.

IX. Scio, plerosque ita scripsisse, Themistoclem, Xerxe regnante, in Asiam transisse. Sed ego potissimum Thucydidi credo, quod aetate proximus erat, qui illorum temporum historiam reliquerunt, et eiusdem civitatis fuit. Is autem ait, ad Artaxerxem eum venisse, atque his verbis epistolam misisse: 2. *Themistocles veni ad te, qui plurima mala omnium Graiorum in domum tuam intuli, quum mihi necesse fuit, adversus patrem tuum bellare, patriamque meam defendere.* 3. *Idem multo plura bona feci, postquam in tuto ipse, et ille in periculo esse coepit. Nam quum in Asiam reverti vellet, proelio apud Salamina facto, literis eum certiorem feci, id agi, ut pons, quem in Hellesponto fecerat, dissolveretur, atque ab hostibus circumiretur: quo nuntio ille periculo est liberatus.* 4. *Nunc autem confugi ad te, exagitatus a cuncta Graecia, tuam petens amicitiam: quam si ero adeptus, non minus me bonum amicum habebis, quam fortem inimicum ille expertus est. Ea autem rogo, ut de his rebus, quas tecum colloqui volo, annum mihi temporis des, eoque transacto ad te venire patiaris.*

X. Huius rex animi magnitudinem admirans, cupiensque talem virum sibi conciliari, veniam dedit. Ille omne illud tempus literis sermonique Persarum dedit: quibus adeo eruditus est, ut multo commodius dicatur apud regem verba fecisse, quam hi poterant, qui in Perside erant nati. 2. Hic quum multa regi esset pollicitus; gratissimumque illud, si suis uti consiliis vellet, illum Graeciam bello oppressurum; magnis muneribus ab Artaxerxe donatus in Asiam rediit, domiciliumque Magnesiae sibi constituit. 3. Namque hanc urbem ei rex donarat, his quidem verbis, quae ei panem praeberet (ex qua regione quinquaginta talenta quotannis redibant);

Lampsacum autem, unde vinum sumeret; Myuntem, ex qua opsonium haberet. Huius ad nostram memoriam monumenta manserunt duo: sepulcrum prope oppidum, in quo est sepultus; statuae in foro Magnesiae. 4. De cuius morte multimodis apud plerosque scriptum est; sed nos eundem potissimum Thucydidem auctorem probamus, qui illum ait Magnesiae morbo mortuum, neque negat, fuisse famam, venenum sua sponte sumpsisse, quum se, quae regi de Graecia opprimenda pollicitus esset, praestare posse desperaret. Idem, ossa eius clam in Attica ab amicis sepulta, quoniam legibus non concederetur, quod proditionis esset damnatus, memoriae prodidit.

◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆

## III.

## ARISTIDES.

### I.

*Aristides, Lysimachi filius, Atheniensis,* aequalis fere fuit Themistocli. Itaque cum eo de principatu contendit: namque obtrectarunt inter se. 2. In his autem cognitum est, quanto antestaret eloquentia innocentiae. Quamquam enim adeo excellebat Aristides abstinentia, ut unus post hominum memoriam, quod quidem nos audierimus, cognomine IVSTVS sit appellatus; tamen, a Themistocle collabefactus, testula illa exsilio decem annorum multatus est. 3. Qui quidem quum intelligeret, reprimi concitatam multitudinem non posse, cedensque animadvertisset quendam scribentem, ut patria pelleretur, quaesisse ab eo dicitur, quare id faceret, aut quid Aristides commisisset, cur tanta poena dignus duceretur? 4. Cui ille respondit, se ignorare Aristidem; sed sibi non placere, quod tam cupide elaborasset, ut praeter ceteros Iustus appellaretur. 5. Hic

decem annorum legitimam poenam non pertulit. Nam postquam Xerxes in Graeciam descendit, sexto fere anno, quam erat expulsus, populiscito in patriam restitutus est.

II. Interfuit autem pugnae navali apud Salamina, quae facta est prius, quam poena liberaretur. Idem praetor fuit Atheniensium apud Plataeas in proelio, quo Mardonius fusus, barbarorumque exercitus interfectus est. 2. Neque aliud est ullum huius in re militari illustre factum, quam huius imperii memoria; iustitiae vero, et aequitatis, et innocentiae multa: in primis, quod eius aequitate factum est, quum in communi classe esset Graeciae simul cum Pausania, quo duce Mardonius erat fugatus, ut summa imperii maritimi ab Lacedaemoniis transferretur ad Athenienses. 3. Namque ante id tempus et mari et terra duces erant Lacedaemonii. Tum autem et intemperantia Pausaniae et iustitia factum est Aristidis, ut omnes fere civitates Graeciae ad Atheniensium societatem se applicarent, et adversus barbaros hos duces deligerent sibi.

III. Quos quo facilius repellerent, si forte bellum renovare conarentur, ad classes aedificandas exercitusque comparandos quantum pecuniae quaeque civitas daret, Aristides delectus est, qui constitueret, eiusque arbitrio quadringena et sexagena talenta quotannis Delum sunt collata. Id enim commune aerarium esse voluerunt. Quae omnis pecunia postero tempore Athenas translata est. 2. Hic qua fuerit abstinentia, nullum est certius indicium, quam quod, quum tantis rebus praefuisset, in tanta paupertate decessit, ut, qui efferretur, vix reliquerit. 3. Quo factum est, ut filiae eius publice alerentur, et de communi aerario dotibus datis collocarentur. Decessit autem fere post annum quartum, quam Themistocles Athenis erat expulsus.

# IV.
# PAVSANIAS.

## I.

*Pausanias, Lacedaemonius,* magnus homo, sed varius in omni genere vitae fuit. Nam ut virtutibus eluxit, sic vitiis est obrutus. 2. Huius illustrissimum est proelium apud Plataeas. Namque illo duce Mardonius (satrapes regius, natione Medus, regis gener, in primis omnium Persarum et manu fortis et consilii plenus) cum ducentis millibus peditum, quos viritim legerat, et viginti millibus equitum, haud ita magna manu Graeciae fugatus est, eoque ipse dux cecidit proelio. 3. Qua victoria elatus plurima miscere coepit, et maiora concupiscere. Sed primum in eo est reprehensus, quod ex praeda tripodem aureum Delphis posuisset, epigrammate scripto, in quo erat haec sententia: *Suo ductu barbaros apud Plataeas esse deletos, eiusque victoriae ergo Apollini donum dedisse.* 4. Hos versus Lacedaemonii exsculpserunt, neque aliud scripserunt, quam nomina earum civitatum, quarum auxilio Persae erant victi.

II. Post id proelium eundem Pausaniam cum classe communi Cyprum atque Hellespontum miserunt, ut ex his regionibus barbarorum praesidia depelleret. 2. Pari felicitate in ea re usus elatius se gerere coepit, maioresque appetere res. Nam quum, Byzantio expugnato, cepisset complures Persarum nobiles, atque in his nonnullos regis propinquos, hos clam Xerxi remisit, simulans, ex vinculis publicis effugisse; et cum his Gongylum Eretriensem, qui litteras regi redderet, in quibus haec fuisse scripta Thucydides memoriae prodidit: 3. „Pausanias, dux „Spartae, quos Byzantii ceperat, postquam propin-

„quos tuos cognovit, tibi muneri misit, seque tecum „affinitate coniungi cupit: quare, si tibi videtur, des „ei filiam tuam nuptum. 4. Id si feceris, et Spartam „et ceteram Graeciam sub tuam potestatem, se „adiuvante, te redacturum pollicetur. His de rebus „si quid geri volueris, certum hominem ad eum mit„tas face, cum quo colloquatur.“ 5. Rex, tot hominum salute, tam sibi necessariorum, magnopere gavisus, confestim cum epistola Artabazum ad Pausaniam mittit, in qua eum collaudat, ac petit, ne cui rei parcat ad ea perficienda, quae pollicetur. Si fecerit, nullius rei a se repulsam laturum. 6. Huius Pausanias voluntate cognita, alacrior ad rem gerendam factus, in suspicionem cecidit Lacedaemoniorum. In quo facto domum revocatus, accusatus capitis, absolvitur; multatur tamen pecunia: quam ob causam ad classem remissus non est.

III. At ille post non multo sua sponte ad exercitum rediit, et ibi non callida, sed dementi ratione cogitata patefecit. Non enim mores patrios solum, sed etiam cultum vestitumque mutavit. 2. Apparatu regio utebatur, veste Medica; satellites Medi et Aegyptii sequebantur; epulabatur more Persarum luxuriosius, quam, qui aderant, perpeti possent; 3. aditum petentibus conveniendi non dabat; superbe respondebat, [et] crudeliter imperabat. Spartam redire nolebat. Colonas, qui locus in agro Troadis est, se contulerat: ibi consilia quum patriae, tum sibi inimica capiebat. 4. Id postquam Lacedaemonii rescierunt, legatos ad eum cum scytala miserunt, in qua more illorum erat scriptum: *nisi domum reverteretur, se capitis eum damnaturos.* 5. Hoc nuntio commotus, sperans, se etiam tum pecunia et potentia instans periculum posse depellere, domum rediit. Huc ut venit, ab ephoris in vincula publica coniectus est. Licet enim legibus eorum cuivis ephoro hoc facere regi. Hinc tamen se expedivit;

neque eo magis carebat suspicione. Nam opinio manebat, eum cum rege habere societatem. 6. Est genus quoddam hominum, quod Ilotae vocatur, quorum magna multitudo agros Lacedaemoniorum colit, servorumque munere fungitur. Hos quoque sollicitare spe libertatis existimabatur. 7. Sed quod harum rerum nullum erat apertum crimen, quo argui posset, non putabant, de tali tamque claro viro suspicionibus oportere iudicari, et exspectandum, dum se ipsa res aperiret.

IV. Interim Argilius quidam, adolescentulus, quem puerum Pausanias amore venereo dilexerat, quum epistolam ab eo ad Artabazum accepisset, eique in suspicionem venisset, aliquid in ea de se esse scriptum, quod nemo eorum rediisset, qui super tali causa eodem missi erant, vincula epistolae laxavit, signoque detracto cognovit, si pertulisset, sibi esse pereundum. 2. Erant in eadem epistola, quae ad ea pertinebant, quae inter regem Pausaniamque convenerant. Has ille litteras ephoris tradidit. 3. Non est praetereunda gravitas Lacedaemoniorum hoc loco. Nam ne huius quidem indicio impulsi sunt, ut Pausaniam comprehenderent; neque prius vim adhibendam putaverunt, quam se ipse indicasset. 4. Itaque huic indici, quid fieri vellent, praeceperunt. Fanum Neptuni est Taenari, quod violari nefas putant Graeci. Eo ille index confugit; in ara consedit. Hanc iuxta locum fecerunt sub terra, ex quo posset audiri, si quis quid loqueretur cum Argilio. 5. Huc ex ephoris quidam descenderunt. Pausanias, ut audivit, Argilium confugisse in aram, perturbatus venit eo. Quem quum supplicem Dei videret in ara sedentem, quaerit, causae quid sit tam repentino consilio. Huic ille, quid ex litteris comperisset, aperit. 6. Modo magis Pausanias perturbatus orare coepit, ne enuntiaret, nec se meritum de illo optime, proderet. Quod si eam veniam

sibi dedisset, tantisque implicatum rebus sublevasset, magno ei praemio futurum.

V. His rebus ephori cognitis satius putaverunt, in urbe eum comprehendi. Quo quum essent profecti, et Pausanias, placato Argilio, ut putabat, Lacedaemonem reverteretur; in itinere, quum iam in eo esset, ut comprehenderetur, ex vultu cuiusdam ephori, qui eum admonere cupiebat, insidias sibi fieri intellexit. 2. Itaque paucis ante gradibus, quam qui sequebantur, in aedem Minervae, quae χαλκίοικος vocatur, confugit. Hinc ne exire posset, statim ephori valvas eius aedis obstruxerunt, tectumque sunt demoliti, quo facilius sub divo interiret. 3. Dicitur, eo tempore matrem Pausaniae vixisse, eamque iam magno natu, postquam de scelere filii comperit, in primis ad filium claudendum lapidem ad introitum aedis attulisse. 4. Sic Pausanias magnam belli gloriam turpi morte maculavit. Hic quum semianimis de templo elatus esset, confestim animam efflavit. 5. Cuius mortui corpus quum eodem nonnulli dicerent inferri oportere, quo hi, qui ad supplicium essent dati; displicuit pluribus, et procul ab eo loco infoderunt, quo erat mortuus. Inde posterius [dei] Delphici responso erutus, atque eodem loco sepultus, ubi vitam posuerat.

# V.

# CIMON.

## I.

*Cimon, Miltiadis filius, Atheniensis*, duro admodum initio usus est adolescentiae. Nam quum pater eius litem aestimatam populo solvere non potuisset, ob eamque causam in vinculis publicis decessisset; Cimon eadem custodia tenebatur, ne-

que legibus Atheniensium emitti poterat, nisi pecuniam, qua pater multatus erat, solvisset. 2. Habebat autem in matrimonio sororem germanam suam, nomine Elpinicen, non magis amore, quam more ductus. Nam Atheniensibus licet eodem patre natas uxores ducere. 3. Huius coniugii cupidus Callias quidam, non tam generosus, quam pecuniosus, qui magnas pecunias ex metallis fecerat, egit cum Cimone, ut eam sibi uxorem daret: id si impetrasset, se pro illo pecuniam soluturum. 4. Is quum talem conditionem aspernaretur, Elpinice negavit, se passuram, Miltiadis progeniem in vinculis publicis interire, quoniam prohibere posset, seque Calliae nupturam, si ea, quae polliceretur, praestitisset.

II. Tali modo custodia liberatus Cimon celeriter ad principatum pervenit. Habebat enim satis eloquentiae, summam liberalitatem, magnam prudentiam quum iuris civilis, tum rei militaris, quod cum patre a puero in exercitibus fuerat versatus. Itaque hic et populum urbanum in sua tenuit potestate, et apud exercitum plurimum valuit auctoritate. 2. Primum imperator apud flumen Strymona magnas copias Thracum fugavit, oppidum Amphipolin constituit, eoque decem millia Atheniensium in coloniam misit. Idem iterum apud Mycalen Cypriorum et Phoenicum ducentarum navium classem devictam cepit: 3. eodemque die pari fortuna in terra usus est. Namque hostium navibus captis, statim ex classe copias suas eduxit, barbarorum uno concursu maximam vim prostravit. 4. Qua victoria magna praeda potitus quum domum reverteretur, quod iam nonnullae insulae propter acerbitatem imperii defecerant, bene animatas confirmavit, alienatas ad officium redire coëgit. 5. Scyrum, quam eo tempore Dolopes incolebant, quod contumacius se gesserant, vacuefecit, sessores veteres urbe insulaque eiecit, agros civibus divisit. Thasios opu-

lentia fretos suo adventu fregit. His ex manubiis Athenarum arx, qua ad meridiem vergit, est ornata.

III. Quibus rebus quum unus in civitate maxime floreret, incidit in eandem invidiam, quam pater suus ceterique Atheniensium principes. Nam testarum suffragiis, quod illi ὀστρακισμὸν vocant, decem annorum exsilio multatus est. 2. Cuius facti celerius Athenienses, quam ipsum, poenituit. Nam quum ille animo forti invidiae ingratorum civium cessisset, bellumque Lacedaemonii Atheniensibus indixissent; confestim notae eius virtutis desiderium consecutum est. 3. Itaque post annum quintum, quam expulsus erat, in patriam revocatus est. Ille, quod hospitio Lacedaemoniorum utebatur, satius existimans, contendere Lacedaemonem, sua sponte est profectus, pacemque inter duas potentissimas civitates conciliavit. 4. Post, neque ita multo, Cyprum cum ducentis navibus imperator missus, quum eius maiorem partem insulae devicisset, in morbum implicitus, in oppido Citio est mortuus.

IV. Hunc Athenienses non solum in bello, sed in pace diu desideraverunt. Fuit enim tanta liberalitate, quum compluribus locis praedia hortosque haberet, ut nunquam in eis custodem imposuerit fructus servandi gratia, ne quis impediretur, quo minus eius rebus, quibus quisque vellet, frueretur. 2. Semper eum pedisequi cum nummis sunt secuti, ut, si quis opis eius indigeret, haberet, quod statim daret, ne differendo videretur negare. Saepe, quum aliquem offensum fortuna videret minus bene vestitum, suum amiculum dedit. 3. Quotidie sic coena ei coquebatur, ut, quos invocatos vidisset in foro, omnes devocaret: quod facere nullum diem praetermittebat. Nulli fides eius, nulli opera, nulli res familiaris defuit; multos locupletavit; complures pauperes mortuos, qui, unde efferrentur non reliquissent, suo sumtu extulit. 4. Sic se gerendo mi-

nime est mirandum, si et vita eius fuit secura, et mors acerba.

# VI.
# LYSANDER.

## I.

*Lysander, Lacedaemonius*, magnam reliquit sui famam, magis felicitate, quam virtute partam. Athenienses enim in Peloponnesios sexto et vicesimo anno bellum gerentes confecisse apparet. 2. Id qua ratione consecutus sit, latet. Non enim virtute sui exercitus, sed immodestia factum est adversariorum, qui, quod dicto audientes imperatoribus suis non erant, dispalati in agris, relictis navibus, in hostium venerunt potestatem. Quo facto Athenienses se Lacedaemoniis dediderunt. 3. Hac victoria Lysander elatus, quum antea semper factiosus audaxque fuisset, sic sibi indulsit, ut eius opera in maximum odium Graeciae Lacedaemonii pervenerint. 4. Nam quum hanc causam Lacedaemonii dictitassent sibi esse belli, ut Atheniensium impotentem dominationem refringerent, postquam apud Aegos flumen Lysander classis hostium est potitus, nihil aliud molitus est, quam ut omnes civitates in sua teneret potestate, quum id se Lacedaemoniorum causa facere simularet. 5. Namque undique, qui Atheniensium rebus studuissent, eiectis, decem delegerat in unaquaque civitate, quibus summum imperium potestatemque omnium rerum committeret. Horum in numerum nemo admittebatur, nisi qui aut eius hospitio contineretur, aut se illius fore proprium fide confirmarat.

II. Ita decemvirali potestate in omnibus urbibus constituta, ipsius nutu omnia gerebantur. Cuius de

crudelitate ac perfidia satis est unam rem, exempli gratia, proferre, ne de eodem plura enumerando defatigemus lectores. 2. Victor ex Asia quum reverteretur, Thasumque devertisset, quod ea civitas praecipua fide fuerat erga Athenienses, proinde ac si iidem firmissimi solerent esse amici, qui constantes fuissent inimici, eam pervertere concupivit. 3. Vidit autem, nisi in eo occultasset voluntatem, futurum, ut Thasii dilaberentur, consulerentque rebus suis. Itaque †††

III. ††† decemviralem suam potestatem sui ab illo constitutam sustulerunt. Quo dolore incensus iniit consilia, reges Lacedaemoniorum tollere. Sed sentiebat, id se sine ope deorum facere non posse, quod Lacedaemonii omnia ad oracula referre consueverant. 2. Primum Delphos corrumpere est conatus. Quum id non potuisset, Dodonam adortus est. Hinc quoque repulsus dixit, se vota suscepisse, quae Iovi Hammoni solveret: existimans, se Afros facilius corrupturum. 3. Hac spe quum profectus esset in Africam, multum eum antistites Iovis fefellerunt. Nam non solum corrumpi non potuerunt, sed etiam legatos Lacedaemonem miserunt, qui Lysandrum accusarent, quod sacerdotes fani corrumpere conatus esset. 4. Accusatus hoc crimine, iudicumque absolutus sententiis, Orchomeniis missus subsidio, occisus est a Thebanis apud Haliartum. 5. Quam vere de eo foret iudicatum, oratio indicio fuit, quae post mortem in domo eius reperta est, in qua suadet Lacedaemoniis, ut, regia potestate dissoluta, ex omnibus dux deligatur ad bellum gerendum; sed ita scripta, ut deorum videretur congruere sententiae, quam ille se habiturum, pecunia fidens, non dubitabat. Hanc ei scripsisse Cleon Halicarnasseus dicitur.

IV. Atque hoc loco non est praetereundum factum Pharnabazi, satrapis regii. Nam quum Lysan-

der praefectus classis in bello multa crudeliter avareque fecisset, deque his rebus suspicaretur ad cives suos esse perlatum, petiit a Pharnabazo, ut ad ephoros sibi testimonium daret, quanta sanctitate bellum gessisset sociosque tractasset, deque ea re accurate scriberet: magnam enim eius auctoritatem in ea re futuram. 2. Huic ille liberaliter pollicetur; librum gravem multis verbis conscripsit, in quo summis eum fert laudibus. Quem quum legisset probassetque, dum signatur, alterum pari magnitudine, tanta similitudine, ut discerni non posset, signatum subiecit, in quo accuratissime eius avaritiam perfidiamque accusarat. 3. Hinc Lysander domum quum redisset, postquam de suis rebus gestis apud maximum magistratum, quae voluerat, dixerat, testimonii loco librum a Pharnabazo datum tradidit. Hunc, summoto Lysandro, quum ephori cognossent, ipsi legendum dederunt. Ita ille imprudens ipse suus fuit accusator.

# VII.

# ALCIBIADES.

## I.

*Alcibiades, Cliniae filius, Atheniensis.* In hoc natura, quid efficere possit, videtur experta. Constat enim inter omnes, qui de eo memoriae prodiderunt, nihil illo fuisse excellentius, vel in vitiis, vel in virtutibus. 2. Natus in amplissima civitate, summo genere, omnium aetatis suae multo formosissimus, ad omnes res aptus, consiliique plenus. Namque imperator fuit summus et mari et terra; disertus, ut inprimis dicendo valeret, quod tanta erat commendatio oris atque orationis, ut nemo ei dicendo posset resistere; 3. deinde, quum tempus

posceret, laboriosus, patiens, liberalis, splendidus non minus in vita, quam victu; affabilis, blandus, temporibus callidissime inserviens. 4. Idem, simul ac se remiserat, neque causa suberat, quare animi laborem perferret, luxuriosus, dissolutus, libidinosus, intemperans reperiebatur, ut omnes admirarentur, in uno homine tantam inesse dissimilitudinem, tamque diversam naturam.

II. Educatus est in domo Periclis (privignus enim eius fuisse dicitur), eruditus a Socrate. Socerum habuit Hipponicum, omnium Graeca lingua loquentium divitissimum, ut, si ipse fingere vellet, neque plura bona reminisci, neque maiora posset consequi, quam vel fortuna vel natura tribuerat. 2. Ineunte adolescentia amatus est a multis more Graecorum: in eis a Socrate, de quo mentionem facit Plato in Symposio. Namque eum induxit commemorantem, se pernoctasse cum Socrate, neque aliter ab eo surrexisse, ac filius a parente debuerit. 3. Posteaquam robustior est factus, non minus multos amavit, in quorum amore, quoad licitum est, odiosa multa delicate iocoseque fecit: quae referremus, nisi maiora potioraque haberemus.

III. Bello Peloponnesio huius consilio atque auctoritate Athenienses bellum Syracusanis indixerunt: ad quod gerendum ipse dux delectus est; duo praeterea collegae dati, Nicias et Lamachus. 2. Id quum appararetur, prius quam classis exiret, accidit, ut una nocte omnes Hermae, qui in oppido erant Athenis, deiicerentur, praeter unum, qui ante ianuam erat Andocidis. Itaque ille postea Mercurius Andocides vocitatus est. 3. Hoc quum appareret non sine magna multorum consensione esse factum, quod non ad privatam, sed ad publicam rem pertineret, magnus multitudini timor est iniectus, ne qua repentina vis in civitate exsisteret, quae libertatem opprimeret populi. 4. Hoc maxime convenire

in Alcibiadem videbatur, quod et potentior et maior, quam privatus, existimabatur. Multos enim liberalitate devinxerat, plures etiam opera forensi suos reddiderat. 5. Quare fiebat, ut omnium oculos, quotiescumque in publicum prodisset, ad se converteret, neque ei par quisquam in civitate poneretur. Itaque non solum spem in eo habebant maximam, sed etiam timorem, quod et obesse plurimum et prodesse poterat. 6. Adspergebatur etiam infamia, quod in domo sua facere mysteria dicebatur: quod nefas erat more Atheniensium; idque non ad religionem, sed ad coniurationem pertinere existimabatur.

IV. Hoc crimine in concione ab inimicis compellabatur. Sed instabat tempus ad bellum proficiscendi. Id ille intuens, neque ignorans civium suorum consuetudinem, postulabat, si quid de se agi vellent, potius de praesente quaestio haberetur, quam absens invidiae crimine accusaretur. 2. Inimici vero eius quiescendum in praesenti, quia noceri non posse intelligebant, et illud tempus exspectandum decreverunt, quo exisset, ut sic absentem aggrederentur: itaque fecerunt. 3. Nam postquam in Siciliam eum pervenisse crediderunt, absentem, quod sacra violasset, reum fecerunt. Qua de re quum ei nuntius a magistratu in Siciliam missus esset, ut domum ad causam dicendam rediret, essetque in magna spe provinciae bene administrandae; non parere noluit, et in triremem, quae ad eum deportandum erat missa, ascendit. 4. Hac Thurios in Italiam pervectus, multa secum reputans de immoderata civium suorum licentia crudelitateque erga nobiles, utilissimum ratus, impendentem evitare tempestatem, clam se a custodibus subduxit, et inde primum Elidem, deinde Thebas venit. 5. Postquam autem se capitis damnatum, bonis publicatis, audivit, et, id quod usu venerat,

Eumolpidas sacerdotes a populo coactos, ut se devoverent, eiusque devotionis, quo testatior esset memoria, exemplum, in pila lapidea incisum, esse positum in publico, Lacedaemonem demigravit. 6. Ibi, ut ipse praedicare consueverat, non adversus patriam, sed inimicos suos bellum gessit, quod iidem hostes essent civitati. Nam quum intelligerent, se plurimum prodesse posse reipublicae, ex ea eiecisse, plusque irae suae, quam utilitati communi paruisse. 7. Itaque huius consilio Lacedaemonii cum Persarum rege amicitiam fecerunt; deinde Deceleam in Attica munierunt, praesidioque ibi perpetuo posito in obsidione Athenas tenuerunt. Eiusdem opera Ioniam a societate averterunt Atheniensium. Quo facto multo superiores bello esse coeperunt.

V. Neque vero his rebus tam amici Alcibiadi sunt facti, quam timore ab eo alienati. Nam quum acerrimi viri praestantem prudentiam in omnibus rebus cognoscerent, pertimuerunt, ne caritate patriae ductus aliquando ab ipsis descisceret, et cum suis in gratiam rediret. Itaque tempus eius interficiendi quaerere instituerunt. 2. Id Alcibiadi diutius celari non potuit: erat enim ea sagacitate, ut decipi non posset, praesertim quum animum attendisset ad cavendum. Itaque ad Tissaphernem, praefectum regis Darii, se contulit. 3. Cuius quum in intimam amicitiam pervenisset, et Atheniensium, male gestis in Sicilia rebus, opes senescere, contra Lacedaemoniorum crescere videret; initio cum Pisandro praetore, qui apud Samum exercitum habebat, per internuntios colloquitur, et de reditu suo facit mentionem. Erat enim eodem, quo Alcibiades, sensu, populi potentiae non amicus, et optimatum fautor. 4. Ab hoc destitutus, primum per Thrasybulum, Lyci filium, ab exercitu recipitur, praetorque fit apud Samum; post, suffragante Theramene, populiscito

restituitur, parique absens imperio praeficitur simul cum Thrasybulo et Theramene. 5. Horum in imperio tanta commutatio rerum facta est, ut Lacedaemonii, qui paullo ante victores viguerant, perterriti pacem peterent. Victi enim erant quinque proeliis terrestribus, tribus navalibus, in quibus ducentas naves triremes amiserant, quae captae in hostium venerant potestatem. 6. Alcibiades simul cum collegis receperat Ioniam, Hellespontum, multas praeterea urbes Graecas, quae in ora sitae sunt Asiae, quarum expugnarant complures, in his Byzantium; neque minus multas consilio ad amicitiam adiunxerant, quod in captos clementia fuerant usi. 7. Ita praeda onusti, locupletato exercitu, maximis rebus gestis, Athenas venerunt.

VI. His quum obviam universa civitas in Piraeeum descendisset, tanta fuit omnium exspectatio visendi Alcibiadis, ut ad eius triremem vulgus conflueret, proinde ac si solus advenisset. 2. Sic enim populo erat persuasum, et adversas superiores, et praesentes secundas res accidisse eius opera. Itaque et Siciliae amissum, et Lacedaemoniorum victorias culpae suae tribuebant, quod talem virum e civitate expulissent. Neque id sine causa arbitrari videbantur. Nam postquam exercitui praeesse coeperat, neque terra neque mari hostes pares esse potuerant. 3. Hic ut e navi egressus est, quamquam Theramenes et Thrasybulus eisdem rebus praefuerant, simulque venerant in Piraeeum; tamen illum unum omnes prosequebantur, et, id quod numquam antea usu venerat, nisi Olympiae victoribus, coronis aureis aeneisque vulgo donabatur. Ille lacrimans talem benevolentiam civium suorum accipiebat, reminiscens pristini temporis acerbitatem. 4. Postquam astu venit, concione advocata sic verba fecit, ut nemo tam ferus fuerit, quin eius casum lacrimarit, inimicumque his se ostenderit, quorum

Pharnabazum in Asiam transiit: quem quidem adeo sua cepit humanitate, ut eum nemo in amicitia antecederet. Namque ei Grunium dederat in Phrygia castrum, ex quo quinquagena talenta vectigalis capiebat. 4. Qua fortuna Alcibiades non erat contentus, neque Athenas victas Lacedaemoniis servire poterat pati. Itaque ad patriam liberandam omni ferebatur cogitatione. 5. Sed videbat, id sine rege Persarum non posse fieri: ideoque eum amicum sibi cupiebat adiungi; neque dubitabat, facile se consecuturum, si modo eius conveniendi habuisset potestatem. Nam Cyrum fratrem ei bellum clam parare, Lacedaemoniis adiuvantibus, sciebat: id si aperuisset, magnam se initurum gratiam videbat.

X. Haec quum moliretur, peteretque a Pharnabazo, ut ad regem mitteretur, eodem tempore Critias ceterique tyranni Atheniensium certos homines ad Lysandrum in Asiam miserunt, qui eum certiorem facerent, nisi Alcibiadem sustulisset, nihil earum rerum fore ratum, quas ipse Athenis constituisset. Quare, si suas res gestas manere vellet, illum persequeretur. 2. His Laco rebus commotus statuit, accuratius sibi agendum cum Pharnabazo. Huic ergo renuntiat, quae regi cum Lacedaemoniis essent, irrita futura, nisi Alcibiadem vivum aut mortuum tradidisset. 3. Non tulit hoc satrapes, et violare clementiam, quam regis opes minui maluit. Itaque misit Sysamithren et Bagaeum ad Alcibiadem interficiendum, quum ille esset in Phrygia, iterque ad regem compararet. 4. Missi clam vicinitati, in qua tum Alcibiades erat, dant negotium, ut eum interficiant. Illi quum [eum] ferro aggredi non auderent, noctu ligna contulerunt circa casam eam, in qua quiescebat, eamque succenderunt: ut incendio conficerent, quem manu superari posse diffidebant. 5. Ille autem ut sonitu flammae est excitatus, etsi gladius ei erat subductus, familiaris sui subalare te-

lum eripuit. Namque erat cum eo quidam ex Arcadia hospes, qui numquam discedere voluerat. Hunc sequi se iubet, et id, quod in praesentia vestimentorum fuit, arripuit. His in ignem eiectis, flammae vim transiit. 6. Quem ut barbari incendium effugisse viderunt, telis eminus missis interfecerunt, caputque eius ad Pharnabazum retulerunt. At mulier, quae cum eo vivere consuerat, muliebri sua veste contectum aedificii incendio mortuum cremavit, quod ad vivum interimendum erat comparatum. Sic Alcibiades, annos circiter quadraginta natus, diem obiit supremum.

XI. Hunc infamatum a plerisque tres gravissimi historici summis laudibus extulerunt; Thucydides, qui eiusdem aetatis fuit; Theopompus, qui fuit post aliquanto natus, et Timaeus; qui quidem duo maledicentissimi, nescio quo modo, in illo uno laudando conscierunt. 2. Namque ea, quae supra diximus, de eo praedicarunt, atque hoc amplius; quum Athenis, splendidissima civitate, natus esset, omnes splendore ac dignitate superasse vitae; 3. postquam inde expulsus Thebas venerit, adeo studiis eorum inservisse, ut nemo eum labore corporisque viribus posset aequiparare (omnes enim Boeotii magis firmitati corporis, quam ingenii acumini inserviunt); 4. eumdem apud Lacedaemonios, quorum moribus summa virtus in patientia ponebatur, sic duritiae se dedisse, ut parsimonia victus atque cultus omnes Lacedaemonios vinceret; fuisse apud Thracas, homines vinolentos rebusque venereis deditos: hos quoque in his rebus antecessisse; 5. venisse ad Persas, apud quos summa laus esset fortiter venari, luxuriose vivere: horum sic imitatum consuetudinem, ut illi ipsi eum in his maxime admirarentur. 6. Quibus rebus effecisse, ut, apud quoscumque esset, princeps poneretur, habereturque carissimus. Sed satis de hoc; reliquos ordiamur.

# VIII.

# THRASYBVLVS.

I.

*Thrasybulus, Lyci filius, Atheniensis.* Si per se virtus sine fortuna ponderanda sit, dubito, an hunc primum omnium ponam. Illud sine dubio: neminem huic praefero fide, constantia, magnitudine animi, in patriam amore. 2. Nam quod multi voluerunt, pauci potuerunt, ab uno tyranno patriam liberare; huic contigit, ut a triginta oppressam tyrannis ex servitute in libertatem vindicaret. 3. Sed, nescio quo modo, quum eum nemo anteiret his virtutibus, multi nobilitate praecucurrerunt. Primum Peloponnesio bello multa hic sine Alcibiade gessit, ille nullam rem sine hoc: quae ille universa naturali quodam bono fecit lucri. 4. Sed illa tamen omnia communia imperatoribus cum militibus et fortuna, quod in proelii concursu abit res a consilio ad vires vimque pugnantium. Itaque iure suo nonnulla ab imperatore miles, plurima vero fortuna vindicat, seque hic plus valuisse, quam ducis prudentiam, vere potest praedicare. 5. Quare illud magnificentissimum factum proprium est Thrasybuli. Nam quum triginta tyranni, praepositi a Lacedaemoniis, servitute oppressas tenerent Athenas, plurimos cives, quibus in bello parserat fortuna, partim patria expulissent, partim interfecissent, plurimorum bona publicata inter se divisissent: non solum princeps, sed et solus initio bellum his indixit.

II. Hic enim quum Phylen confugisset, quod est castellum in Attica munitissimum, non plus habuit secum, quam triginta de suis. Hoc initium fuit salutis Actaeorum; hoc robur libertatis clarissimae civitatis. 2. Neque vero hic non contemtus est primo a tyrannis, atque eius solitudo. 3. Quae quidem res

et illis contemnentibus perniciei, et huic despecto saluti fuit. Haec enim illos ad persequendum segues, hos autem, tempore ad comparandum dato, fecit robustiores. 3. Quo magis praeceptum illud omnium in animis esse debet: Nihil in bello oportere contemni; nec sine causa dici: Matrem timidi flere non solere. 4. Neque tamen pro opinione Thrasybuli auctae sunt opes. Nam iam tum illis temporibus fortius boni pro libertate loquebantur, quam pugnabant. 5. Hinc in Piraeeum transiit, Munychiamque munivit. Hanc bis tyranni oppugnare sunt adorti; ab eaque turpiter repulsi protinus in urbem, armis impedimentisque amissis, refugerunt. 6. Usus est Thrasybulus non minus prudentia, quam fortitudine. Nam cedentes violari vetuit: cives enim civibus parcere aequum censebat. Neque quisquam est vulneratus, nisi qui prior impugnare voluit. Neminem iacentem veste spoliavit; nil attigit, nisi arma, quorum indigebat, et quae ad victum pertinebant. 7. In secundo proelio cecidit Critias, dux tyrannorum, quum quidem exadversus Thrasybulum fortissime pugnaret.

III. Hoc deiecto Pausanias venit Atticis auxilio, rex Lacedaemoniorum. Is inter Thrasybulum et eos, qui urbem tenebant, fecit pacem his conditionibus: ne qui praeter triginta tyrannos et decem, qui postea praetores creati superioris more crudelitatis erant usi, afficerentur exsilio; neve bona publicarentur; reipublicae procuratio populo redderetur. 2. Praeclarum hoc quoque Thrasybuli, quod, reconciliata pace, quum plurimum in civitate posset, legem tulit: ne quis ante actarum rerum accusaretur, neve multaretur; eamque illi [legem] oblivionis appellarunt. 3. Neque vero hanc tantum ferendam curavit, sed etiam, ut valeret, effecit. Nam quum quidam ex his, qui simul cum eo in exsilio fuerant, caedem facere eorum vellent, cum quibus in gratiam redi-

tum erat publice, prohibuit, et id, quod pollicitus erat, praestitit.

IV. Huic pro tantis meritis honoris corona a populo data est, facta duabus virgulis oleaginis, quam quod amor civium, non vis expresserat, nullam habuit invidiam, magnaque fuit gloria. 2. Bene ergo Pittacus ille, qui septem sapientum numero est habitus, quum ei Mytilenaei multa millia iugerum agri munera darent, *Nolite, oro vos,* inquit, *id mihi dare, quod multi invideant, plures etiam concupiscant. Quare ex istis nolo amplius, quam centum iugera, quae et meam animi aequitatem et vestram voluntatem indicent.* Nam parva munera diutina, locupletia non propria esse consueverunt. 3. Illa igitur corona contentus Thrasybulus neque amplius requisivit, neque quemquam honore se antecessisse existimavit. 4. Hic sequenti tempore, quum praetor classem ad Ciliciam appulisset, neque satis diligenter in castris eius agerentur vigiliae, a barbaris, ex oppido noctu eruptione facta, in tabernaculo interfectus est.

---

# IX.

# CONON.

## I.

***Conon, Atheniensis,*** Peloponnesio bello accessit ad rempublicam, in eoque eius opera magni fuit. Nam et praetor pedestribus exercitibus praefuit, et praefectus classis res magnas mari gessit. Quas ob causas praecipuus ei honos habitus est. Namque omnibus unus insulis praefuit: in qua potestate Pheras cepit, coloniam Lacedaemoniorum. 2. Fuit etiam extremo Peloponnesio bello praetor, quum apud Aegos flumen copiae Atheniensium a Lysandro sunt devictae. Sed tum abfuit, eo

que peius res administrata est. Nam et prudens rei militaris, et diligens erat imperii. 3. Itaque nemini erat his temporibus dubium, si affuisset, illam Athenienses calamitatem accepturos non fuisse.

II. Rebus autem afflictis, quum patriam obsideri audisset, non quaesivit, ubi ipse tuto viveret, sed unde praesidio posset esse civibus suis. Itaque contulit se ad Pharnabazum, satrapen Ioniae et Lydiae, eumdemque generum regis et propinquum: apud quem ut multum gratia valeret, multo labore multisque effecit periculis. 2. Nam quum Lacedaemonii, Atheniensibus devictis, in societate non manerent, quam cum Artaxerxe fecerant, Agesilaumque bellatum misissent in Asiam, maxime impulsi a Tissapherne, qui ex intimis regis ab amicitia eius defecerat, et cum Lacedaemoniis coierat societatem: hunc adversus Pharnabazus habitus est imperator; re quidem vera exercitui praefuit Conon, eiusque omnia arbitrio gesta sunt. 3. Hic multum ducem summum, Agesilaum, impedivit, saepeque eius consiliis obstitit; neque vero non fuit apertum, si ille non fuisset, Agesilaum Asiam Tauro tenus regi fuisse erepturum. 4. Qui posteaquam domum a suis civibus revocatus est, quod Boeotii et Athenienses Lacedaemoniis bellum indixerant, Conon nihilo secius apud praefectos regis versabatur, hisque omnibus maximo erat usui.

III. Defecerat a rege Tissaphernes, neque id tam Artaxerxi, quam ceteris, erat apertum. Multis enim magnisque meritis apud regem, etiam quum in officio non maneret, valebat. Neque id mirandum, si non facile ad credendum adducebatur, reminiscens, eius se opera Cyrum fratrem superasse. 2. Huius accusandi gratia Conon a Pharnabazo ad regem missus, posteaquam venit, primum ex more Persarum ad chiliarchum, qui secundum gradum imperii tenebat, Tithrausten accessit, seque ostendit cum rege col-

loqui velle. Nemo enim sine hoc admittitur. 3. Huic ille, *nulla*, inquit, *mora est; sed tu delibera, utrum colloqui malis, an per litteras agere, quae cogitas. Necesse est enim, si in conspectum veneris, venerari te regem* (quod προςκυνεῖν illi vocant). *Hoc si tibi grave est, per me nihilo secius editis mandatis conficies, quod studes.* 4. Tum Conon, *mihi vero*, inquit, *non est grave, quemvis honorem habere regi; sed vereor, ne civitati meae sit opprobrio, si, quum ex ea sim profectus, quae ceteris gentibus imperare consueverit, potius barbarorum, quam illius, more fungar.* Itaque, quae huic volebat, scripta tradidit.

IV. Quibus cognitis, rex tantum auctoritate eius motus est, ut et Tissaphernem hostem iudicaverit, et Lacedaemonios bello persequi iusserit, et ei permiserit, quem vellet, eligere ad dispensandam pecuniam. Id arbitrium Conon negavit sui esse consilii, sed ipsius, qui optime suos nosse deberet; sed se suadere, Pharnabazo id negotii daret. 2. Hinc magnis muneribus donatus ad mare est missus, ut Cypriis, et Phoenicibus, ceterisque maritimis civitatibus naves longas imperaret, classemque, qua proxima aestate mare tueri posset, compararet: dato adiutore Pharnabazo, sicut ipse voluerat. 3. Id ut Lacedaemoniis est nuntiatum, non sine cura rem administrarunt, quod maius bellum imminere arbitrabantur, quam si cum barbaro solum contenderent. Nam ducem fortem prudentemque regiis opibus praefuturum ac secum dimicaturum videbant, quem neque consilio, neque copiis superare possent. 4. Hac mente magnam contrahunt classem; proficiscuntur Pisandro duce. Hos Conon apud Cnidum adortus magno proelio fugat, multas naves capit, complures deprimit. Qua victoria non solum Athenae, sed etiam cuncta Graecia, quae sub Lacedaemoniorum fuerat imperio, liberata est. 5. Conon cum parte navium in patriam venit, muros dirutos a Lysandro, utrosque et Piraeei

et Athenarum, reficiendos curat, pecuniaeque quinquaginta talenta, quae a Pharnabazo acceperat, civibus suis donat.

V. Accidit huic, quod ceteris mortalibus, ut inconsideratior in secunda, quam in adversa esset fortuna. Nam classe Peloponnesiorum devicta quum ultum se iniurias patriae putaret, plura concupivit, quam efficere potuit. 2. Neque tamen ea non pia et probanda fuerunt, quod potius patriae opes augeri, quam regis maluit. Nam quum magnam auctoritatem sibi pugna illa navali, quam apud Cnidum fecerat, constituisset non solum inter barbaros, sed etiam omnes Graeciae civitates, clam dare operam coepit, ut Ioniam et Aeoliam restitueret Atheniensibus. 3. Id quum minus diligenter esset celatum, Tiribazus, qui Sardibus praeerat, Cononem evocavit, simulans, ad regem eum se mittere velle magna de re. Huius nuntio parens quum venisset, in vincula coniectus est, in quibus aliquamdiu fuit. 4. Inde nonnulli eum ad regem abductum ibique perisse scriptum reliquerunt. Contra ea Dinon historicus, cui nos plurimum de Persicis rebus credimus, effugisse, scripsit: illud addubitat, utrum Tiribazo sciente, an imprudente sit factum.

# X.

# DION.

## I.

Dion, *Hipparini filius, Syracusanus,* nobili genere natus, utraque implicatus tyrannide Dionysiorum. Namque ille superior Aristomachen, sororem Dionis, habuit in matrimonio: ex qua duos filios, Hipparinum et Nysaeum, procreavit; totidemque filias, nomine Sophrosynen et Areten: quarum

priorem Dionysio filio, eidem, cui regnum reliquit, nuptum dedit, alteram, Areten, Dioni. 2. Dion autem praeter nobilem propinquitatem generosamque maiorum famam multa alia ab natura habuit bona: in his ingenium docile, come, aptum ad artes optimas; magnam corporis dignitatem, quae non minimum commendatur; magnas praeterea divitias a patre relictas, quas ipse tyranni muneribus auxerat. 3. Erat intimus Dionysio priori, neque minus propter mores, quam affinitatem. Namque etsi Dionysii crudelitas ei displicebat, tamen salvum [esse] propter necessitudinem, magis etiam suorum causa, studebat. Aderat in magnis rebus; eiusque consilio multum movebatur tyrannus, nisi qua in re maior ipsius cupiditas intercesserat. 4. Legationes vero, quae essent illustriores, per Dionem administrabantur: quas quidem ille diligenter obeundo, fideliter administrando crudelissimum nomen tyranni sua humanitate tegebat. 5. Hunc a Dionysio missum Carthaginienses suspexerunt, ut neminem umquam Graeca lingua loquentem magis sint admirati.

II. Neque vero haec Dionysium fugiebant. Nam quanto esset sibi ornamento, sentiebat. Quo fiebat, ut uni huic maxime indulgeret, neque eum secus diligeret, ac filium. 2. Qui quidem, quum, Platonem Tarentum venisse, fama in Siciliam esset perlata, adolescenti negare non potuit, quin eum arcesseret, quum Dion eius audiendi cupiditate flagraret. Dedit ergo huic veniam, magnaque eum ambitione Syracusas perduxit. 3. Quem Dion adeo admiratus est atque adamavit, ut se totum ei traderet. Neque vero minus Plato delectatus est Dione. Itaque quum a Dionysio [tyranno] crudeliter violatus esset, quippe quem venumdari iussisset, tamen eodem rediit, eiusdem Dionis precibus adductus. 4. Interim in morbum incidit Dionysius. Quo quum gravi conflictaretur, quaesivit a medicis Dion, quemadmodum se

haberet? simulque ab his petiit, si forte maiori esset periculo, ut sibi faterentur: nam velle se cum eo colloqui de partiendo regno; quod sororis suae filios ex illo natos partem regni putabat debere habere. 5. Id medici non tacuerunt, et ad Dionysium filium sermonem retulerunt. Quo ille commotus, ne agendi esset Dioni potestas, patri soporem medicos dare coëgit. Hoc aeger sumto, ut somno sopitus, diem obiit supremum.

III. Tale initium fuit Dionis et Dionysii simultatis, eaque multis rebus aucta est. Sed tamen primis temporibus aliquamdiu simulata inter eos amicitia mansit. Quumque Dion non desisteret obsecrare Dionysium, ut Platonem Athenis arcesseret, et eius consiliis uteretur: ille, qui in aliqua re vellet patrem imitari, morem ei gessit. 2. Eodemque tempore Philistum, historicum, Syracusas reduxit, hominem amicum non magis tyranno, quam tyrannidi. Sed de hoc in eo meo libro plura sunt exposita, qui de historicis [Graecis] conscriptus est. 3. Plato autem tantum apud Dionysium auctoritate potuit valuitque eloquentia, ut ei persuaserit, tyrannidis facere finem, libertatemque reddere Syracusanis: a qua voluntate Philisti consilio deterritus aliquanto crudelior esse coepit.

IV. Qui quidem quum a Dione se superari videret ingenio, auctoritate, amore populi, verens, ne, si eum secum haberet, aliquam occasionem sui daret opprimendi, navem ei triremem dedit, qua Corinthum deveheretur: ostendens, se id utriusque facere causa, ne, quum inter se timerent, alteruter alterum praeoccuparet. 2. Id quum factum multi indignarentur, magnaeque esset invidiae tyranno; Dionysius omnia, quae moveri poterant Dionis, in naves imposuit, ad eumque misit. Sic enim existimari volebat, id se non odio hominis, sed suae salutis fecisse causa. 3. Postea vero quam audivit, eum in Peloponneso manum comparare, sibique bellum fa-

cere conari; Areten, Dionis uxorem, alii nuptum dedit, filiumque eius sic educari iussit, ut indulgendo turpissimis imbueretur cupiditatibus. 4. Nam puero, priusquam pubes esset, scorta adducebantur; vino epulisque obruebatur, neque ullum tempus sobrio relinquebatur. 5. Is usque eo vitae statum commutatum ferre non potuit, postquam in patriam rediit pater (namque appositi erant custodes, qui eum a pristino victu deducerent), ut se de superiore parte aedium deiecerit, atque ita interierit. Sed illuc revertor.

V. Postquam Corinthum pervenit Dion, et eodem perfugit Heraclides, ab eodem expulsus Dionysio, qui praefectus fuerat equitum: omni ratione bellum comparare coeperunt. 2. Sed non multum proficiebant, quod multorum annorum tyrannis magnarum opum putabatur. Quam ob causam pauci ad societatem periculi perducebantur. 3. Sed Dion, fretus non tam suis copiis, quam odio tyranni, maximo animo duabus onerariis navibus quinquaginta annorum imperium, munitum quingentis longis navibus, decem equitum, centum peditum millibus, profectus oppugnatum, (quod omnibus gentibus admirabile est visum) adeo facile perculit, ut post diem tertium, quam Siciliam attigerat, Syracusas introierit. Ex quo intelligi potest, nullum esse imperium tutum, nisi benevolentia munitum. 4. Eo tempore aberat Dionysius, et in Italia classem opperiebatur, adversariorum ratus neminem sine magnis copiis ad se venturum. 5. Quae res eum fefellit. Nam Dion iis ipsis, qui sub adversarii fuerant potestate, regios spiritus repressit, totiusque eius partis Siciliae potitus est, quae sub Dionysii potestate fuerat; parique modo urbis Syracusarum, praeter arcem et insulam adiunctam oppido; 6. eoque rem perduxit, ut talibus pactionibus pacem tyrannus facere vellet: Siciliam Dion obtineret, Italiam Dionysius, Syracu-

sas Apollocrates, cui maximam fidem uni habebat [Dion].

VI. Has tam prosperas tamque inopinatas res consecuta est subita commutatio, quod fortuna sua mobilitate, quem paullo ante extulerat, demergere est adorta. 2. Primum in filio, de quo commemoravi supra, suam vim exercuit. Nam quum uxorem reduxisset, quae alii fuerat tradita, filiumque vellet revocare ad virtutem a perdita luxuria, accepit gravissimum parens vulnus morte filii. 3. Deinde orta dissensio est inter eum et Heraclidem, qui, quod principatum non concedebat, factionem comparavit. Neque is minus valebat apud optimates, quorum consensu praeerat classi, quum Dion exercitum pedestrem teneret. 4. Non tulit hoc animo aequo Dion, et versum illum Homeri retulit ex secunda rhapsodia, in quo haec sententia est: Non posse bene geri rempublicam multorum imperiis. Quod dictum magna invidia consecuta est. Namque aperuisse videbatur, omnia in sua potestate esse velle. 5. Hanc ille non lenire obsequio, sed acerbitate opprimere studuit, Heraclidemque, quum Syracusas venisset, interficiendum curavit.

VII. Quod factum omnibus maximum timorem iniecit. Nemo enim, illo interfecto, se tutum putabat. Ille autem, adversario remoto, licentius eorum bona, quos sciebat adversus se sensisse, militibus dispertivit. 2. Quibus divisis, quum quotidiani maximi fierent sumtus, celeriter pecunia deesse coepit; neque, quo manus porrigeret, suppetebat, nisi in amicorum possessiones. Id huiusmodi erat, ut, quum milites reconciliasset, amitteret optimates. 3. Quarum rerum cura frangebatur, et insuetus male audiendi non aequo animo ferebat, de se ab iis male existimari, quorum paullo ante in coelum fuerat elatus laudibus. Vulgus autem, offensa in eum militum voluntate, liberius loquebatur, et tyrannum non ferendum dictitabat.

VIII. Haec ille intuens, quum, quemadmodum sedaret, nesciret, et, quorsum evaderent, timeret: Callicrates quidam, civis Atheniensis, qui simul cum eo ex Peloponneso in Siciliam venerat, homo et callidus et ad fraudem acutus, sine ulla religione ac fide, adit ad Dionem, et ait: 2. eum [in] magno periculo esse propter offensionem populi et odium militum, quod nullo modo evitare posset, nisi alicui suorum negotium daret, qui se simularet illi inimicum. Quem si invenisset idoneum, facile omnium animos cogniturum, adversariosque sublaturum, quod inimici eius dissidenti suos sensus aperturi forent. 3. Tali consilio probato excepit has partes ipse Callicrates, et se armat imprudentia Dionis. Ad eum interficiendum socios conquirit; adversarios eius convenit, coniurationem confirmat. 4. Res, multis consciis quae gereretur, elata defertur ad Aristomachen, sororem Dionis, uxoremque Areten. Illae timore perterritae conveniunt, cuius de periculo timebant. At ille negat, a Callicrate fieri sibi insidias, sed illa, quae agerentur, fieri praecepto suo. 5. Mulieres nihilo secius Callicratem in aedem Proserpinae deducunt, ac iurare cogunt, nihil ab illo periculi fore Dioni. Ille hac religione non modo non deterritus, sed ad maturandum concitatus est, verens, ne prius consilium aperiretur suum, quam conata perfecisset.

IX. Hac mente proximo die festo, quum a conventu se remotum Dion domi teneret, atque in conclavi edito recubuisset, consciis loca munitiora oppidi tradit; domum custodiis sepit; a foribus qui non discedant, certos praeficit; 2. navem triremem armatis ornat, Philostratoque, fratri suo, tradit, eamque in portu agitari iubet, ut si exercere remiges vellet: cogitans, si forte consiliis obstitisset fortuna, ut haberet, quo fugeret ad salutem. 3. Suorum autem e numero Zacynthios adolescentes quosdam eligit, quum audacissimos, tum viribus maximis; his

que dat negotium, [ut] ad Dionem eant inermes, sic ut conveniendi eius gratia viderentur venire. Hi propter notitiam sunt intromissi. 4. At illi, ut limen eius intrarunt, foribus obseratis, in lecto cubantem invadunt, colligant; fit strepitus, adeo ut exaudiri posset foris. 5. Hic, sicut ante saepe dictum est, quam invisa sit singularis potentia, et miseranda vita, qui se metui, quam amari malunt, cuivis facile intellectu fuit. 6. Namque illi ipsi custodes, si propitia fuissent voluntate, foribus effractis servare eum potuissent, quod illi inermes, telum foris flagitantes, vivum tenebant. Cui quum succurreret nemo, Lyco quidam Syracusanus per fenestras gladium dedit, quo Dion interfectus est.

X. Confecta caede, quum multitudo visendi gratia introisset, nonnulli ab insciis pro noxiis conciduntur. Nam celeri rumore dilato, Dioni vim allatam, multi concurrerant, quibus tale facinus displicebat. Hi, falsa suspicione ducti, immerentes ut sceleratos occidunt. 2. Huius de morte ut palam factum est, mirabiliter vulgi mutata est voluntas. Nam qui vivum eum tyrannum vocitarant, iidem liberatorem patriae tyrannique expulsorem praedicabant. Sic subito misericordia odio successerat, ut eum suo sanguine, si possent, ab Acheronte cuperent redimere. 3. Itaque in urbe, celeberrimo loco, elatus publice, sepulcri monumento donatus est. Diem obiit circiter annos quinquaginta quinque natus, quartum post annum, quam ex Peloponneso in Siciliam redierat.

# XI.
# IPHICRATES.

## I.

*Iphicrates, Atheniensis*, non tam magnitudine rerum gestarum, quam disciplina militari nobilitatus est. Fuit enim talis dux, ut non solum aetatis suae cum primis compararetur, sed ne de maioribus natu quidem quisquam anteponeretur. 2. Multum vero in bello est versatus; saepe exercitibus praefuit; nusquam culpa sua male rem gessit; semper consilio vicit, tantumque eo valuit, ut multa in re militari partim nova attulerit, partim meliora fecerit. 3. Namque ille pedestria arma mutavit, quum ante illum imperatorem maximis clypeis, brevibus hastis, minutis gladiis uterentur. 4. Ille e contrario peltam pro parma fecit (a quo postea πελτασταὶ pedites appellantur), ut ad motus concursusque essent leviores. Hastae modum duplicavit; gladios longiores fecit. Idem genus loricarum mutavit, et pro sertis atque aeneis linteas dedit. Quo facto expeditiores milites reddidit. Nam pondere detracto, quod aeque corpus tegeret et leve esset, curavit.

II. Bellum cum Thracibus gessit; Seuthen, socium Atheniensium, in regnum restituit. Apud Corinthum tanta severitate exercitui praefuit, ut nullae umquam in Graecia neque exercitatiores copiae, neque magis dicto audientes fuerint duci: 2. in eamque consuetudinem adduxit, ut, quum proelii signum ab imperatore esset datum, sine ducis opera sic ordinatae consisterent, ut singuli ab peritissimo imperatore dispositi viderentur. 3. Hoc exercitu moram Lacedaemoniorum intercepit: quod maxime tota celebratum est Graecia. Iterum eodem bello omnes copias eorum fugavit. Quo facto magnam adeptus est gloriam. 4. Quum Artaxerxes Aegyptio

regi bellum inferre voluit, Iphicratem ab Atheniensibus petivit ducem, quem praeficeret exercitui conductitio, cuius numerus duodecim millium fuit. Quem quidem sic omni disciplina militari erudivit, ut, quemadmodum quondam Fabiani milites Romani appellati sunt, sic Iphicratenses apud Graecos in summa laude fuerint. 5. Idem, subsidio Lacedaemoniis profectus, Epaminondae retardavit impetus. Nam nisi eius adventus appropinquasset, non prius Thebani Sparta abscessissent, quam captam incendio delessent.

III. Fuit autem et animo magno et corpore, imperatoriaque forma, ut ipso adspectu cuivis iniiceret admirationem sui; 2. sed in labore remissus nimis, parumque patiens, ut Theopompus memoriae prodidit; bonus vero civis, fideque magna. Quod quum in aliis rebus declaravit, tum maxime in Amyntae Macedonis liberis tuendis. Namque Eurydice, mater Perdiccae et Philippi, cum his duobus pueris, Amynta mortuo, ad Iphicratem confugit, eiusque opibus defensa est. 3. Vixit ad senectutem, placatis in se suorum civium animis. Causam capitis semel dixit, bello sociali, simul cum Timotheo, eoque iudicio est absolutus. 4. Menesthea filium reliquit, ex Thressa natum, Coti regis filia. Is quum interrogaretur, utrum pluris patrem matremne faceret; *matrem*, inquit. Id quum omnibus mirum videretur: *at*, ille, *merito*, inquit, *facio. Nam pater, quantum in se fuit, Thracem me creavit, contra ea mater Atheniensem.*

# XII.
# CHABRIAS.

## I.

*Chabrias, Atheniensis.* Hic quoque in summis habitus est ducibus, resque multas memoria dignas gessit. Sed ex his elucet maxime inventum eius in proelio, quod apud Thebas fecit, quum Boeotiis subsidio venisset. 2. Namque in eo victoria fidente summo duce Agesilao, fugatis iam ab eo conductitiis catervis, reliquam phalangem loco vetuit cedere, obnixoque genu scuto, proiecta [que] hasta impetum excipere hostium docuit. Id novum Agesilaus contuens progredi non est ausus, suosque iam incurrentes tuba revocavit. 3. Hoc usque eo tota Graecia fama celebratum est, ut illo statu Chabrias sibi statuam fieri voluerit, quae publice ei ab Atheniensibus in foro constituta est. Ex quo factum est, ut postea athletae ceterique artifices his statibus in statuis ponendis uterentur, quibus victoriam essent adepti.

II. Chabrias autem multa in Europa bella administravit, quum dux Atheniensium esset; in Aegypto sua sponte gessit. Nam Nectanabin adiutum profectus, regnum ei constituit. 2. Fecit idem Cypri, sed publice ab Atheniensibus Evagorae adiutor datus; neque prius inde discessit, quam totam insulam bello devinceret: qua ex re Athenienses magnam gloriam sunt adepti. 3. Interim bellum inter Aegyptios et Persas conflatum est. Athenienses cum Artaxerxe societatem habebant; Lacedaemonii cum Aegyptiis, a quibus magnas praedas Agesilaus, rex eorum, faciebat. Id intuens Chabrias, quum in re nulla Agesilao cederet, sua sponte eos adiutum profectus Aegyptiae classi praefuit, pedestribus copiis Agesilaus.

III. Tum praefecti regis Persiae legatos mise-

runt Athenas questum, quod Chabrias adversum regem bellum gereret cum Aegyptiis. Athenienses diem certam Chabriae praestituerunt, quam ante domum nisi redisset, capitis se illum damnaturos denuntiarunt. Hoc ille nuntio Athenas rediit, neque ibi diutius est moratus, quam fuit necesse. 2. Non enim libenter erat ante oculos civium suorum: quod et vivebat laute, et indulgebat sibi liberalius, quam ut invidiam vulgi posset effugere. 3. Est enim hoc commune vitium in magnis liberisque civitatibus, ut invidia gloriae comes sit, et libenter de his detrahant, quos eminere videant altius; neque animo aequo pauperes alienam opulentium intuuntur fortunam. Itaque Chabrias, quoad ei licebat, plurimum aberat. 4. Neque vero solus ille aberat Athenis libenter, sed omnes fere principes fecerunt idem: quod tantum se ab invidia putabant abfuturos, quantum a conspectu suorum recessissent. Itaque Conon plurimum Cypri vixit, Iphicrates in Thracia, Timotheus Lesbi, Chares in Sigeo. Dissimilis quidem Chares horum et factis et moribus, sed tamen Athenis et honoratus et potens.

IV. Chabrias autem periit bello sociali tali modo. Oppugnabant Athenienses Chium. Erat in classe Chabrias privatus, sed omnes, qui in magistratu erant, auctoritate anteibat; eumque magis milites, quam qui praeerant, aspiciebant. 2. Quae res ei maturavit mortem. Nam dum primus studet portum intrare, gubernatoremque iubet eo dirigere navem, ipse sibi perniciei fuit. Quum enim eo penetrasset, ceterae non sunt secutae. Quo facto circumfusus hostium concursu quum fortissime pugnaret, navis, rostro percussa, coepit sidere. 3. Hinc refugere quum posset, si se in mare deiecisset, quod suberat classis Atheniensium, quae exciperet natantes: perire maluit, quam armis abiectis navem relinquere, in qua fuerat vectus. Id ceteri facere nolue-

runt, qui nando in tutum pervenerunt. At ille, praestare honestam mortem existimans turpi vitae, comminus pugnans telis hostium interfectus est.

---

# XIII.
# TIMOTHEVS.

## I.

*Timotheus, Cononis filius, Atheniensis.* Hic a patre acceptam gloriam multis auxit virtutibus. Fuit enim disertus, impiger, laboriosus, rei militaris peritus, neque minus civitatis regendae. 2. Multa huius sunt praeclara facta, sed haec maxime illustria. Olynthios et Byzantios bello subegit. Samum cepit, in qua oppugnanda superiore bello Athenienses mille et ducenta talenta consumserant. Id ille sine ulla publica impensa populo restituit: adversus Cotum bella gessit, ab eoque mille et ducenta talenta praedae in publicum retulit. 3. Cyzicum obsidione liberavit. Ariobarzani simul cum Agesilao auxilio profectus est; a quo quum Laco pecuniam numeratam accepisset, ille cives suos agro atque urbibus augeri maluit, quam id sumere, cuius partem domum suam ferre posset. Itaque accepit Crithoten et Sestum.

II. Idem classi praefectus circumvehens Peloponnesum, Laconicen populatus, classem eorum fugavit; Corcyram sub imperium Atheniensium redegit; sociosque idem adiunxit Epirotas, Athamanas, Chaonas, omnesque eas gentes, quae mare illud adiacent. 2. Quo facto Lacedaemonii de diutina contentione destiterunt, et sua sponte Atheniensibus imperii maritimi principatum concesserunt; pacemque his legibus constituerunt, ut Athenienses mari duces essent. Quae victoria tantae fuit Atticis lae-

titiae, ut tum primum arae Paci publice sint factae, eique deae pulvinar sit institutum. 3. Cuius laudis ut memoria maneret, Timotheo publice statuam in foro posuerunt. Qui honos huic uni ante id tempus contigit: ut, quum patri populus statuam posuisset, filio quoque daret. Sic iuxta posita recens filii veterem patris renovavit memoriam.

III. Hic quum esset magno natu, et magistratus gerere desisset, bello Athenienses undique premi sunt coepti. Defecerat Samus; descierat Hellespontus; Philippus iam tum valens [Macedo] multa moliebatur: cui oppositus Chares quum esset, non satis in eo praesidii putabatur. 2. Fit Menestheus praetor, filius Iphicratis, gener Timothei, et, ut ad bellum proficiscatur, decernitur. Huic in consilium dantur duo usu sapientiaque praestantes, quorum consilio uteretur, pater et socer: quod in his tanta erat auctoritas, ut magna spes esset, per eos amissa posse recuperari. 3. Hi quum Samum profecti essent, et eodem Chares, adventu [illorum] cognito, cum suis copiis proficisceretur, ne quid absente se gestum videretur; accidit, quum ad insulam appropinquarent, ut magna tempestas oriretur: quam evitare duo veteres imperatores utile arbitrati suam classem suppresserunt. 4. At ille, temeraria usus ratione, non cessit maiorum natu auctoritati, et, ut si in sua navi esset fortuna, quo contenderat, pervenit: eodemque ut sequerentur, ad Timotheum et Iphicratem nuntium misit. Hinc, male re gesta, compluribus amissis navibus, eodem, unde erat profectus, se recepit, litterasque Athenas publice misit, sibi proclive fuisse, Samum capere, nisi a Timotheo et Iphicrate desertus esset. 5. [Ob eam rem in crimen vocabantur.] Populus acer, suspicax, mobilis, adversarius, invidus etiam potentiae, domum revocat: accusantur proditionis. Hoc iudicio damnatur Timotheus, lisque eius aestimatur centum talentis. Ille, odio

ingratae civitatis coactus, Chalcidem se contulit.

IV. Huius post mortem quum populum iudicii sui poeniteret, multae novem partes detraxit, et decem talenta Cononem, filium eius, ad muri quandam partem reficiendam iussit dare. In quo fortunae varietas est animadversa. Nam quos avus Conon muros ex hostium praeda patriae restituerat, eosdem nepos, cum summa ignominia familiae, ex sua re familiari reficere coactus est. 2. Timothei autem moderatae sapientisque vitae quum pleraque possimus proferre testimonia, uno erimus contenti, quod ex eo facile coniici poterit, quam carus suis fuerit. Quum Athenis adolescentulus causam diceret, non solum amici privatique hospites ad eum defendendum convenerunt, sed etiam in eis Iason tyrannus, qui illo tempore fuit omnium potentissimus. 3. Hic quum in patria sine satellitibus se tutum non arbitraretur, Athenas sine ullo praesidio venit, tantique hospitem fecit, ut mallet se capitis periculum adire, quam Timotheo de fama dimicanti deesse. Hunc adversus tamen Timotheus postea populi iussu bellum gessit, patriaeque sanctiora iura, quam hospitii, esse duxit. 4. Haec extrema fuit aetas imperatorum Atheniensium, Iphicratis, Chabriae, Timothei: neque post illorum obitum quisquam dux in illa urbe fuit dignus memoria.

# XIV.

# DATAMES.

## I.

Venio nunc ad fortissimum virum maximique consilii omnium barbarorum, exceptis duobus Carthaginiensibus, Hamilcare et Hannibale. 2. De quo hoc plu-

ra referemus, quod et obscuriora sunt eius gesta pleraque, et ea, quae prospere ei cesserunt, non magnitudine copiarum, sed consilii, quo tum omnes superabat, acciderunt: quorum nisi ratio explicata fuerit, res apparere non poterunt. 3. Datames, patre Camissare, natione Care, matre Scythissa natus, primum militum numero fuit apud Artaxerxem eorum, qui regiam tuebantur. Pater eius Camissares, quod et manu fortis, et bello strenuus, et regi multis locis fidelis erat repertus, habuit provinciam partem Ciliciae iuxta Cappadociam, quam incolunt Leucosyri. 4. Datames, militare munus fungens, primum, qualis esset, apparuit in bello, quod rex adversus Cadusios gessit. Namque hic, multis millibus regiorum interfectis, magni fuit eius opera. Quo factum est, ut, quum in eo bello cecidisset Camissares, paterna ei traderetur provincia.

II. Pari se virtute postea praebuit, quum Autophradates iussu regis bello persequeretur eos, qui defecerant. Namque huius opera hostes, quum castra iam intrassent, profligati sunt, exercitusque reliquus conservatus [regis] est: qua ex re maioribus rebus praeesse coepit. 2. Erat eo tempore Thyus dynastes Paphlagoniae, antiquo genere natus a Pylaemene illo, quem Homerus Troico bello a Patroclo interfectum ait. 3. Is regi dicto audiens non erat. Quam ob causam bello eum persequi constituit, eique rei praefecit Datamem, propinquum Paphlagonis: namque ex fratre et sorore erant nati. Quam ob causam Datames [omnia] primum experiri voluit, ut sine armis propinquum ad officium reduceret. Ad quem quum venisset sine praesidio, quod ab amico nullas vereretur insidias, paene interiit. Nam Thyus eum clam interficere voluit. 4. Erat mater cum Datame, amita Paphlagonis. Ea, quid ageretur, resciit, filiumque monuit. 5. Ille fuga periculum evitavit, bellumque indixit Thyo. In quo quum ab Ario-

barzane, praefecto Lydiae et Ioniae totiusque Phrygiae, desertus esset, nihilo segnius perseveravit, vivumque Thyum cepit cum uxore et liberis.

III. Cuius facti ne prius fama ad regem, quam ipse, perveniret, dedit operam. Itaque omnibus inseiis, eo, ubi erat rex, venit, posteroque die Thyum, hominem maximi corporis terribilique facie, quod et niger, et capillo longo barbaque erat promissa, optima veste texit, quam satrapae regii gerere consueverant; ornavitque etiam torque, et armillis aureis, ceteroque regio cultu; 2. ipse agresti duplici amiculo circumdatus hirtaque tunica, gerens in capite galeam venatoriam, dextra manu clavam, sinistra copulam, qua vinctum ante se Thyum agebat, ut si feram bestiam captam duceret. 3. Quem quum omnes prospicerent propter novitatem ornatus ignotamque formam, ob eamque rem magnus esset concursus; fuit non nemo, qui agnosceret Thyum, regique nuntiaret. Primo non accredidit. 4. Itaque Pharnabazum misit exploratum. A quo ut rem gestam comperit, statim admitti iussit, magnopere delectatus quum facto, tum ornatu: in primis, quod nobilis rex in potestatem inopinanti venerat. 5. Itaque magnifice Datamem donatum ad exercitum misit, qui tum contrahebatur duce Pharnabazo et Tithrauste ad bellum Aegyptium, parique eum, atque illos, imperio esse iussit. Postea vero quam Pharnabazum rex revocavit, illi summa imperii tradita est.

IV. Hic quum maximo studio compararet exercitum, Aegyptumque proficisci pararet, subito a rege litterae sunt ei missae, ut Aspim aggrederetur, qui Cataoniam tenebat: quae gens iacet supra Ciliciam, confinis Cappadociae. 2. Namque Aspis, saltuosam regionem castellisque munitam incolens, non solum imperio regis non parebat, sed etiam finitimas regiones vexabat, et, quae regi portarentur, abripiebat. 3. Datames, et-

si longe aberat ab his regionibus, et a maiore re abstrahebatur, tamen regis voluntati morem gerendum putavit. Itaque cum paucis, sed viris fortibus navem conscendit: existimans, id quod accidit, facilius se imprudentem parva manu oppressurum, quam paratum quamvis magno exercitu. 4. Hac delatus in Ciliciam, egressus inde, dies noctesque iter faciens, Taurum transiit, eoque, quo studuerat, venit; quaerit, quibus locis sit Aspis; cognoscit, haud longe abesse, profectumque eum venatum. Quem dum speculatur, adventus eius causa cognoscitur. Pisidas cum iis, quos secum habebat, ad resistendum Aspis comparat. 5. Id Datames ubi audivit, arma sumit, suosque sequi iubet: ipse equo concitato ad hostem vehitur. Quem procul Aspis conspiciens ad se ferentem pertimescit, atque a conatu resistendi deterritus sese dedit. Hunc Datames vinctum ad regem ducendum tradit Mithridati.

V. Haec dum geruntur, Artaxerxes, reminiscens, a quanto bello ad quam parvam rem principem ducum misisset, se ipse reprehendit, et nuntium ad exercitum Acen misit, quod nondum Datamem profectum putabat, qui diceret, ne ab exercitu discederet. Hic, priusquam perveniret, quo erat profectus, in itinere convenit, qui Aspim ducebant. 2. Qua celeritate quum magnam benevolentiam regis Datames consecutus esset, non minorem invidiam aulicorum excepit, qui illum unum pluris, quam se omnes, fieri videbant. Quo facto cuncti ad eum opprimendum consenserunt. 3. Haec Pandates, gazae custos regiae, amicus Datami, perscripta ei mittit, in quibus docet: eum magno fore periculo, si quid illo imperante in Aegypto adversi accidisset. 4. Namque eam esse consuetudinem regiam, ut casus adversos hominibus tribuant, secundos fortunae suae: quo fieri, ut facile impellantur ad eorum perniciem, quorum ductu res male gestae nuntientur. Illum hoc

maiore fore in discrimine, quod, quibus rex maxime obediat, eos habeat inimicissimos. 5. Talibus ille litteris cognitis, quum iam ad exercitum Acen venisset, quod non ignorabat, ea vere scripta, desciscere a rege constituit. Neque tamen quicquam fecit, quod fide sua esset indignum. 6. Nam Mandroclem Magnetem exercitui praefecit; ipse cum suis in Cappadociam discedit, coniunctamque huic Paphlagoniam occupat, celans, qua voluntate esset in regem; clam cum Ariobarzane facit amicitiam, manum comparat, urbes munitas suis tuendas tradit.

VI. Sed haec propter hiemale tempus minus prospere procedebant. Audit, Pisidas quasdam copias adversus se parare. Filium eo Arsideum cum exercitu mittit. Cadit in proelio adolescens. Proficiscitur eo pater non ita cum magna manu, celans, quantum vulnus accepisset; quod prius ad hostem pervenire cupiebat, quam de re male gesta fama ad suos perveniret: ne cognita filii morte animi debilitarentur militum. 2. Quo contenderat, pervenit, hisque locis castra ponit, ut neque circumiri multitudine adversariorum posset, neque impediri, quo minus ad dimicandum manum haberet expeditam. 3. Erat cum eo Mithrobarzanes, socer eius, praefectus equitum. Is, desperatis generi rebus, ad hostes transfugit. Id Datames ut audivit, sensit, si in turbam exisset, ab homine tam necessario se relictum, futurum ut ceteri consilium sequerentur. 4. In vulgus edit: suo iussu Mithrobarzanem profectum pro perfuga, quo facilius receptus interficeret hostes. Quare relinqui eum non par esse, sed omnes confestim sequi. Quod si animo strenuo fecissent, futurum ut adversarii non possent resistere, quum et intra vallum et foris caederentur. 5. Hac re probata, exercitum educit, Mithrobarzanem persequitur; qui tantum quod ad hostes pervenerat, Datames signa inferri iubet. 6. Pisidae, nova re

commoti, in opinionem adducuntur, perfugas mala fide compositoque fecisse, ut recepti essent maiori calamitati. Primum eos adoriuntur. Illi quum, quid ageretur, aut quare fieret, ignorarent, coacti sunt, cum eis pugnare, ad quos transierant, ab hisque stare, quos reliquerant. Quibus quum neutri parcerent, celeriter sunt concisi. 7. Reliquos Pisidas resistentes Datames invadit: primo impetu pellit, fugientes persequitur, multos interficit, castra hostium capit. 8. Tali consilio uno tempore et proditores perculit, et hostes profligavit; et, quod ad perniciem fuerat cogitatum, id ad salutem convertit. Quo neque acutius ullius imperatoris cogitatum, neque celerius factum usquam legimus.

VII. Ab hoc tamen viro Scismas, maximo natu filius, desciit, ad regemque transiit, et de defectione patris detulit. Quo nuntio Artaxerxes commotus, quod intelligebat sibi cum viro forti ac strenuo negotium esse, qui, quum cogitasset, facere auderet, et prius cogitare, quam conari, consuesset, Autophradatem in Cappadociam mittit. 2. Hic ne intrare posset, saltum, in quo Ciliciae portae sunt sitae, Datames praeoccupare studuit. 3. Sed tam subito copias contrahere non potuit. A qua re depulsus, cum ea manu, quam contraxerat, locum delegit talem, ut neque circumiretur ab hostibus, neque praeteriret adversarius, quin ancipitibus locis premeretur, et, si dimicare cum eo vellet, non multum obesse multitudo hostium suae paucitati posset.

VIII. Haec etsi Autophradates videbat, tamen statuit congredi, quam cum tantis copiis refugere, aut tam diu uno loco sedere. 2. Habebat barbarorum equitum viginti, peditum centum millia, quos illi Cardacas appellant, eiusdemque generis tria funditorum: praeterea Cappadocum octo, Armeniorum decem, Paphlagonum quinque, Phrygum decem, Lydorum quinque, Aspendiorum et Pisidarum circiter

tria, Cilicum duo, Captianorum totidem, ex Graecia conductorum tria millia: levis armaturae maximum numerum. 3. Has adversus copias spes omnis consistebat Datami in se locique natura: namque huius partem non habebat vicesimam militum. Quibus fretus conflixit, adversariorumque multa millia concidit, quum de ipsius exercitu non amplius hominum mille cecidisset. Quam ob causam postero die tropaeum posuit, quo loco pridie pugnatum erat. 4. Hinc quum castra movisset, semperque inferior copiis, superior omnibus proeliis discederet, quod numquam manum consereret, nisi quum adversarios locorum angustiis clausisset (quod perito regionum callideque cogitanti saepe accidebat): 5. Autophradates, quum bellum duci maiore regis calamitate, quam adversariorum, videret, ad pacem amicitiamque hortatus est, ut cum rege in gratiam rediret. 6. Quam ille etsi fidam non fore putabat, tamen conditionem accepit, seque ad Artaxerxem legatos missurum dixit. Sic bellum, quod rex adversus Datamem susceperat, sedatum. Autophradates in Phrygiam se recepit.

IX. At rex, quod implacabile odium in Datamem susceperat, postquam bello eum opprimi non posse animadvertit, insidiis interficere studuit: quas ille plerasque vitavit. 2. Sicut, quum nuntiatum esset, quosdam sibi insidiari, qui in amicorum erant numero (de quibus, quod inimici detulerant, neque credendum, neque negligendum putavit); experiri voluit, verum falsumne esset relatum. 3. Itaque eo profectus est, quo itinere futuras insidias dixerant. Sed elegit corpore et statura simillimum sui, eique vestitum suum dedit, atque eo loco ire, quo ipse consueverat, iussit. Ipse autem ornatu [vestituque] militari inter corporis custodes iter facere coepit. 4. At insidiatores, postquam in eum locum agmen pervenit, decepti ordine atque vestitu, in eum faci-

unt impetum, qui suppositus erat. Praedixerat autem his Datames, cum quibus iter faciebat, ut parati essent facere, quod ipsum vidissent. 5. Ipse, ut concurrentes insidiatores animadvertit, tela in eos coniecit. Hoc idem quum universi fecissent, priusquam pervenirent ad eum, quem aggredi volebant, confixi ceciderunt.

X. Hic tamen tam callidus vir extremo tempore captus est Mithridatis, Ariobarzanis filii, dolo. Namque is pollicitus est regi, se eum interfecturum, si ei rex permitteret, ut, quodcumque vellet, liceret impune facere, fidemque de ea re, more Persarum, dextra dedisset. 2. Hanc ut accepit a rege missam, copias parat, et absens amicitiam cum Datame facit, regis provincias vexat, castella expugnat, magnas praedas capit, quarum partem suis dispertit, partem ad Datamem mittit; pari modo complura castella ei tradit. 3. Haec diu faciendo persuasit homini, se infinitum adversus regem suscepisse bellum; quum nihilo magis, ne quam suspicionem illi praeberet insidiarum, neque colloquium eius petivit, neque in conspectum venire studuit. Sic absens amicitiam gerebat, ut non beneficiis mutuis, sed odio communi, quod erga regem susceperant, contineri viderentur.

XI. Id quum satis se confirmasse arbitratus est, certiorem facit Datamem, tempus esse, maiores exercitus parari, et bellum cum ipso rege suscipi; deque ea re, si ei videretur, quo loco vellet, in colloquium veniret. Probata re, colloquendi tempus sumitur, locusque, quo conveniretur. 2. Huc Mithridates cum uno, cui maximam habebat fidem, ante aliquot dies venit, compluribusque locis separatim gladios obruit, eaque loca diligenter notat. Ipse autem colloquendi die utrique, locum qui explorarent, atque ipsos scrutarentur, mittunt. 3. Deinde ipsi sunt congressi. Hic quum aliquamdiu in col-

loquio fuissent, et diversi discessissent, iamque procul Datames abesset: Mithridates, priusquam ad suos perveniret, ne quam suspicionem pareret, in eumdem locum revertitur, atque ibi, ubi telum erat impositum, resedit, ut si [a] lassitudine cuperet acquiescere: Datamemque revocavit, simulans, se quiddam in colloquio esse oblitum. 4. Interim telum, quod latebat, protulit, nudatumque vagina veste texit, ac Datami venienti ait, digredientem se animadvertisse, locum quemdam, qui erat in conspectu, ad castra ponenda esse idoneum. 5. Quem quum digito demonstraret, et ille conspiceret, aversum ferro transfixit, priusque, quam quisquam posset succurrere, interfecit. Ita ille vir, qui multos consilio, neminem perfidia ceperat, simulata captus est amicitia.

# XV.

# EPAMINONDAS.

## I.

*Epaminondas, Polymni filius, Thebanus.* De hoc priusquam scribamus, haec praecipienda videntur lectoribus, ne alienos mores ad suos referant; neve ea, quae ipsis leviora sunt, pari modo apud ceteros fuisse arbitrentur. 2. Scimus enim, musicen nostris moribus abesse a principis persona; saltare vero etiam in vitiis poni: quae omnia apud Graecos et grata, et laude digna ducuntur. 3. Quum autem exprimere imaginem consuetudinis atque vitae velimus Epaminondae, nihil videmur debere praetermittere, quod pertineat ad eam declarandam. 4. Quare dicemus primum de genere eius; deinde, quibus disciplinis et a quibus sit eruditus; tum de moribus ingeniique facultatibus, et si qua alia digna

memoria erunt; postremo de rebus gestis, quae a plurimis omnium anteponuntur virtutibus.

II. Natus igitur patre, quo diximus, honesto genere, pauper iam a maioribus relictus; eruditus autem sic, ut nemo Thebanus magis. Nam et citharizare, et cantare ad chordarum sonum doctus est a Dionysio, qui non minore fuit in musicis gloria, quam Damon aut Lamprus, quorum pervulgata sunt nomina; [carmina] cantare tibiis ab Olympiodoro, saltare a Calliphrone. 2. At philosophiae praeceptorem habuit Lysim, Tarentinum, Pythagoreum: cui quidem sic fuit deditus, ut adolescens tristem et severum senem omnibus aequalibus suis in familiaritate anteposuerit, neque prius eum a se dimiserit, quam in doctrinis tanto antecessit condiscipulos, ut facile intelligi posset, pari modo superaturum omnes in ceteris artibus. 3. Atque haec ad nostram consuetudinem sunt levia, et potius contemnenda; at in Graecia utique olim magnae laudi erant. 4. Postquam ephebus factus est, et palaestrae dare operam coepit, non tam magnitudini virium servivit, quam velocitati. Illam enim ad athletarum usum, hanc ad belli existimabat utilitatem pertinere. 5. Itaque exercebatur plurimum currendo et luctando ad eum finem, quoad stans complecti posset atque contendere. In armis plurimum studii consumebat.

III. Ad hanc corporis firmitatem plura etiam animi bona accesserant. Erat enim modestus, prudens, gravis, temporibus sapienter utens, peritus belli, fortis manu, animo maximo; adeo veritatis diligens, ut ne ioco quidem mentiretur. 2. Idem continens, clemens, patiensque admirandum in modum, non solum populi, sed etiam amicorum ferens iniurias; inprimisque commissa celans: quod interdum non minus prodest, quam diserte dicere; studiosus audiendi: ex hoc enim facillime disci arbitrabatur. 3. Itaque quum in circulum venisset, in quo aut de republica

disputaretur, aut de philosophia sermo haberetur, numquam inde prius discessit, quam ad finem sermo esset adductus. 4. Paupertatem adeo facile perpessus est, ut de republica nihil praeter gloriam ceperit. Amicorum in se tuendo caruit facultatibus, fide ad alios sublevandos saepe sic usus est, ut possit iudicari, omnia ei cum amicis fuisse communia. 5. Nam quum aut civium suorum aliquis ab hostibus esset captus, aut virgo amici nubilis propter paupertatem collocari non posset, amicorum concilium habebat, et, quantum quisque daret, pro facultatibus imperabat. 6. Eamque summam quum fecerat, priusquam acciperet pecuniam, adducebat eum, qui quaerebat, ad eos, qui conferebant, eique ut ipsi numerarent, faciebat; ut ille, ad quem ea res perveniebat, sciret, quantum cuique deberet.

IV. Tentata autem eius est abstinentia a Diomedonte, Cyziceno. Namque is rogatu Artaxerxis Epaminondam pecunia corrumpendum susceperat. Hic magno cum pondere auri Thebas venit, et Micythum adolescentulum quinque talentis ad suam perduxit voluntatem, quem tum Epaminondas plurimum diligebat. Micythus Epaminondam convenit, et causam adventus Diomedontis ostendit. 2. At ille Diomedonte coram, *Nihil*, inquit, *opus pecunia est. Nam si ea rex vult, quae Thebanis sint utilia, gratis facere sum paratus; sin autem contraria, non habet auri atque argenti satis. Namque orbis terrarum divitias accipere nolo pro patriae caritate.* 3. *Tu quod me incognitum tentasti, tuique similem existimasti, non miror, tibique ignosco; sed egredere propere, ne alios corrumpas, quum me non potueris. Tu, Micythe, argentum huic redde; nisi id confestim facis, ego te tradam magistratui.* 4. Hunc Diomedon quum rogaret, ut tuto exire, suaque, quae attulisset, liceret efferre: *Istud quidem*, inquit, *faciam; neque tua causa, sed mea, ne, si ti-*

*hi sit pecunia ademta, aliquis dicat, id ad me ereptum pervenisse, quod delatum accipere noluissem.* 5. A quo quum quaesisset, quo se deduci vellet, et ille, Athenas, dixisset; praesidium dedit, ut [eo] tuto perveniret. Neque vero id satis habuit, sed etiam, ut inviolatus in navem ascenderet, per Chabriam Atheniensem, de quo supra mentionem fecimus, effecit. 6. Abstinentiae erit hoc satis testimonium. Plurima quidem proferre possemus; sed modus adhibendus est, quoniam uno hoc volumine vitam excellentium virorum complurium concludere constituimus, quorum separatim multis millibus versuum complures scriptores ante nos explicarunt.

V. Fuit etiam disertus, ut nemo ei Thebanus par esset eloquentia: neque minus concinnus in brevitate respondendi, quam in perpetua oratione ornatus. 2. Habuit obtrectatorem Meneclidam quemdam, indidem Thebis, et adversarium in administranda republica, satis exercitatum in dicendo, ut Thebanum scilicet. Namque illi genti plus inest virium, quam ingenii. 3. Is, quod in re militari florere Epaminondam videbat, hortari solebat Thebanos, ut pacem bello anteferrent, ne illius imperatoris opera desideraretur. Huic ille, *Fallis*, inquit, *verbo cives tuos, quod hos a bello avocas: otii enim nomine servitutem concilias.* 4. *Nam paritur pax bello. Itaque qui ea diutina volunt frui, bello exercitati esse debent. Quare si principes Graeciae esse vultis, castris est vobis utendum, non palaestra.* 5. Idem ille Meneclidas quum huic obiiceret, quod liberos non haberet, neque uxorem duxisset; maximeque insolentiam, quod sibi Agamemnonis belli gloriam videretur consecutus: *at*, ille, *desine*, inquit, *Meneclida, de uxore mihi exprobrare: nam nullius in ista re minus uti consilio volo.* (Habebat enim Meneclidas suspicionem adulterii.) 6. *Quod autem me Agamemnonem aemulari putas, falleris.* Namque ille

*cum universa Graecia vix decem annis unam cepit urbem; ego contra ea una urbe nostra dieque uno totam Graeciam, Lacedaemoniis fugatis, liberavi.*

VI. Idem quum in conventum venisset Arcadum, petens, ut societatem cum Thebanis et Argivis facerent: contraque Callistratus, Atheniensium legatus, qui eloquentia omnes eo praestabat tempore, postularet, ut potius amicitiam sequerentur Atticorum, et in oratione sua multa invectus esset in Thebanos et Argivos, in eisque hoc posuisset, animadvertere debere Arcadas, quales utraque civitas cives procreasset, ex quibus de ceteris possent iudicare: Argivos enim fuisse Orestem et Alcmaeonem, matricidas; Thebis Oedipum natum, qui, quum patrem suum interfecisset, ex matre liberos procreasset: 3. hic in respondendo Epaminondas, quum de ceteris perorasset, postquam ad illa duo opprobria pervenit, admirari se dixit stultitiam rhetoris Attici, qui non animadverterit, innocentes illos natos; domi scelere admisso, quum patria essent expulsi, receptos esse ab Atheniensibus. 4. Sed maxime eius eloquentia eluxit Spartae, legati ante pugnam Leuctricam. Quo quum omnium sociorum convenissent legati, coram frequentissimo legationum conventu sic Lacedaemoniorum tyrannidem coarguit, ut non minus illa oratione opes eorum concusserit, quam Leuctrica pugna. Tum enim perfecit, quod post apparuit, ut auxilio sociorum Lacedaemonii privarentur.

VII. Fuisse patientem suorumque iniurias ferentem civium, quod se patriae irasci nefas esse duceret, haec sunt testimonia. Quum eum propter invidiam cives praeficere exercitui noluissent, duxque esset delectus belli imperitus, cuius errore eo esset deducta res [militum], ut omnes de salute pertimescerent, quod locorum angustiis clausi ab hostibus obsidebantur: desiderari coepta est Epaminondae diligentia. Erat enim ibi privatus numero

militis. 2. A quo quum peterent opem, nullam adhibuit memoriam contumeliae, et exercitum, obsidione liberatum, domum reduxit incolumem. 3. Neque vero hoc semel fecit, sed saepius. Maxime autem fuit illustre, quum in Peloponnesum exercitum duxisset adversus Lacedaemonios, haberetque collegas duos, quorum alter erat Pelopidas, vir fortis ac strenuus. Hi quum criminibus adversariorum omnes in invidiam venissent, ob eamque rem imperium his esset abrogatum, atque in eorum locum alii praetores successissent: 4. Epaminondas populiscito non paruit, idemque ut facerent, persuasit collegis, et bellum, quod susceperat, gessit. Namque animadvertebat, nisi id fecisset, totum exercitum propter praetorum imprudentiam inscientiamque belli periturum. 5. Lex erat Thebis, quae morte multabat, si quis imperium diutius retinuisset, quam lege praefinitum foret. Hanc Epaminondas quum reipublicae conservandae causa latam videret, ad perniciem civitatis conferre noluit; et quatuor mensibus diutius, quam populus iusserat, gessit imperium.

VIII. Postquam domum reditum est, collegae eius hoc crimine accusabantur. Quibus ille permisit, ut omnem causam in se transferrent, suaque opera factum contenderent, ut legi non obedirent. Qua defensione illis periculo liberatis, nemo Epaminondam responsurum putabat, quod, quid diceret, non haberet. 2. At ille in iudicium venit: nihil eorum negavit, quae adversarii crimini dabant, omniaque, quae collegae dixerant, confessus est, neque recusavit, quo minus legis poenam subiret; sed unum ab iis petivit, ut in periculo suo inscriberent: 3. *Epaminondas a Thebanis morte multatus est, quod eos coëgit apud Leuctra superare Lacedaemonios, quos ante se imperatorem nemo Boeotiorum ausus fuit adspicere in acie; 4. quodque uno proelio non solum Thebas ab interitu retraxit, sed etiam univer*

*sam Graeciam in libertatem vindicavit, eoque res utrorumque perduxit, ut Thebani Spartam oppugnarent, Lacedaemonii satis haberent, si salvi esse possent; 5. neque prius bellare destitit, quam Messena constituta urbem eorum obsidione clausit.* Haec quum dixisset, risus omnium cum hilaritate coortus est: neque quisquam iudex ausus est de eo ferre suffragium. Sic a iudicio capitis maxima discessit gloria.

IX. Hic extremo tempore imperator apud Mantineam quum acie instructa audacius instaret hostes, cognitus a Lacedaemoniis, quod in unius pernicie eius patriae sitam putabant salutem, universi in unum impetum fecerunt, neque prius abscesserunt, quam magna caede [facta multisque occisis] fortissime ipsum Epaminondam pugnantem, sparo eminus percussum, concidere viderunt. 2. Huius casu aliquantum retardati sunt Boeotii; neque tamen prius pugna excesserunt, quam repugnantes profligarunt. 3. At Epaminondas quum animadverteret, mortiferum se vulnus accepisse, simulque, si ferrum, quod ex hastili in corpore remanserat, extraxisset, animam statim emissurum: usque eo retinuit, quoad renuntiatum est, vicisse Boeotios. 4. Id postquam audivit; *satis*, inquit, *vixi: invictus enim morior.* Tum ferro extracto confestim exanimatus est.

X. Hic uxorem numquam duxit. In quo quum reprehenderetur, quod liberos non relinqueret, a Pelopida, qui filium habebat infamem, maleque eum in eo patriae consulere diceret: 2. *vide*, inquit, *ne tu peius consulas, qui talem ex te natum relicturus sis. Neque vero stirps mihi potest deesse. Namque ex me natam relinquo pugnam Leuctricam, quae non modo mihi superstes, sed etiam immortalis sit necesse est.* 3. Quo tempore, duce Pelopida, exsules Thebas occuparunt, et praesidium Lacedaemoniorum ex arce expulerunt, Epaminondas, quamdiu facta

est caedes civium, domo se tenuit: quod neque malos defendere volebat, neque impugnare, ne manus suorum sanguine cruentaret. Namque omnem civilem victoriam funestam putabat. Idem, postquam apud Cadmeam cum Lacedaemoniis pugnari coeptum est, in primis stetit. 4. Huius de virtutibus vitaque satis erit dictum, si hoc unum adiunxero, quod nemo eat infitias, Thebas et ante Epaminondam natum, et post eius interitum, perpetuo alieno paruisse imperio; contra ea, quamdiu ille praefuerit reipublicae, caput fuisse totius Graeciae. Ex quo intelligi potest, unum hominem pluris, quam civitatem, fuisse.

# XVI.
# PELOPIDAS.

## I.

*Pelopidas, Thebanus*, magis historicis, quam vulgo, notus. Cuius de virtutibus dubito quemadmodum exponam, quod vereor, ne, si res explicare incipiam, non vitam eius enarrare, sed historiam videar scribere; si tantummodo summas attigero, ne rudibus litterarum Graecarum minus lucide appareat, quantus fuerit ille vir. Itaque utrique rei occurram, quantum potero, et medebor quum satietati, tum ignorantiae lectorum. 2. Phoebidas, Lacedaemonius, quum exercitum Olynthum duceret, iterque per Thebas faceret, arcem oppidi, quae Cadmea nominatur, occupavit impulsu perpaucorum Thebanorum, qui, adversariae factioni quo facilius resisterent, Laconum rebus studebant: idque suo privato, non publico, fecit consilio. 3. Quo facto eum Lacedaemonii ab exercitu removerunt pecuniaque multarunt; neque eo magis arcem Thebanis reddi-

derunt, quod susceptis inimicitiis satius ducebant eos obsideri, quam liberari. Nam post Peloponnesium bellum Athenasque devictas cum Thebanis sibi rem esse existimabant, et eos esse solos, qui adversus resistere auderent. 4. Hac mente amicis suis summas potestates dederant, alteriusque factionis principes partim interfecerant, alios in exsilium eiecerant: in quibus Pelopidas hic, de quo scribere exorsi sumus, pulsus patria carebat.

II. Hi omnes fere Athenas se contulerant, non, quo sequerentur otium, sed ut, quemque ex proximo locum fors obtulisset, eo patriam recuperare niterentur. 2. Itaque quum tempus est visum rei gerendae, communiter cum his, qui Thebis idem sentiebant, diem delegerunt ad inimicos opprimendos civitatemque liberandam eum, quo maximi magistratus simul consueverant epulari. 3. Magnae saepe res non ita magnis copiis sunt gestae; sed profecto numquam ab tam tenui initio tantae opes sunt profligatae. Nam duodecim adolescentuli coierunt ex his, qui exsilio erant multati, quum omnino non essent amplius centum, qui tanto se offerrent periculo. Qua paucitate perculsa est Lacedaemoniorum potentia. 4. Hi enim non magis adversariorum factioni, quam Spartanis, eo tempore bellum intulerunt, qui principes erant totius Graeciae; quorum imperii maiestas, neque ita multo post, Leuctrica pugna, ab hoc initio perculsa, concidit. 5. Illi igitur duodecim, quorum erat dux Pelopidas, quum Athenis interdiu exissent, ut vesperascente coelo Thebas possent pervenire, cum canibus venaticis exierunt, retia ferentes, vestitu agresti, quo minore suspicione facerent iter. Qui quum tempore ipso, quo studuerant, pervenissent, domum Charonis devenerunt, a quo et tempus et dies erat datus.

III. Hoc loco libet interponere, etsi seiunctum ab re proposita est, nimia fiducia quantae calamita-

ti soleat esse. Nam magistratuum Thebanorum statim ad aures pervenit, exsules in urbem devenisse. Id illi, vino epulisque dediti, usque eo despexerunt, ut ne quaerere quidem de tanta re laborarint. 2. Accessit etiam, quod magis aperiret eorum dementiam. Allata est enim epistola Athenis ab Archia [,hierophante,] uni ex his, Archiae, qui tum maximum magistratum Thebis obtinebat, in qua omnia de profectione exsulum perscripta erant. Quae quum iam accubanti in convivio esset data, sicut erat signata, sub pulvinum subiiciens, *in crastinum*, inquit, *differo res severas*. 3. At illi omnes, quum iam nox processisset, vinolenti ab exsulibus, duce Pelopida, sunt interfecti. Quibus rebus confectis, vulgo ad arma libertatemque vocato, non solum qui in urbe erant, sed etiam undique ex agris concurrerunt, praesidium Lacedaemoniorum ex arce pepulerunt, patriam obsidione liberaverunt, auctores Cadmeae occupandae partim occiderunt, partim in exsilium eiecerunt.

IV. Hoc tam turbido tempore, sicut supra docuimus, Epaminondas, quoad cum civibus dimicatum est, domi quietus fuit. Itaque haec liberandarum Thebarum propria laus est Pelopidae: ceterae fere omnes communes cum Epaminonda. 2. Namque Leuctrica pugna, imperatore Epaminonda, hic fuit dux delectae manus, quae prima phalangem prostravit Laconum. 3. Omnibus praeterea periculis affuit. Sicut Spartam quum oppugnavit, alterum tenuit cornu: quoque Messena celerius restitueretur, legatus in Persas est profectus. Denique haec fuit altera persona Thebis, sed tamen secunda ita, ut proxima esset Epaminondae.

V. Conflictatus autem est cum adversa fortuna. Nam et initio, sicut ostendimus, exsul patria caruit, et, quum Thessaliam in potestatem Thebanorum cuperet redigere, legationisque iure satis tectum se

arbitraretur, quod apud omnes gentes sanctum esse consuesset, a tyranno Alexandro Pheraeo simul cum Ismenia comprehensus in vincula coniectus est. 2. Hunc Epaminondas recuperavit, bello persequens Alexandrum. Post id factum numquam is animo placari potuit in eum, a quo erat violatus. Itaque persuasit Thebanis, ut subsidio Thessaliae proficiscerentur, tyrannosque eius expellerent. 3. Cuius belli quum ei summa esset data, eoque cum exercitu profectus esset, non dubitavit, simul ac conspexit hostem, confligere. 4. In quo proelio Alexandrum ut animadvertit, incensus ira equum in eum concitavit, proculque degressus a suis coniectu telorum confossus concidit. Atque hoc secunda victoria accidit: nam iam inclinatae erant tyrannorum copiae. 5. Quo facto omnes Thessaliae civitates interfectum Pelopidam coronis aureis et statuis aeneis, liberosque eius multo agro donarunt.

◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆

# XVII.
# AGESILAVS.

## I.

*Agesilaus, Lacedaemonius*, quum a ceteris scriptoribus, tum eximie a Xenophonte Socratico collaudatus est: eo enim usus est familiarissime. 2. Hic primum de regno cum Leotychide, fratris filio, habuit contentionem. Mos est enim a maioribus Lacedaemoniis traditus, ut duos haberent semper reges, nomine magis, quam imperio, ex duabus familiis Procli et Eurysthenis, qui principes ex progenie Herculis Spartae reges fuerunt. 3. Horum ex altera in alterius familiae locum fieri non licebat. Itaque utraque suum retinebat ordinem. Primum ratio habebatur, qui maximus natu esset ex liberis eius,

qui regnans decessisset. Sin is virilem sexum non reliquisset, tum deligebatur, qui proximus esset propinquitate. 4. Mortuus erat Agis rex, frater Agesilai. Filium reliquerat Leotychidem, quem ille natum non agnorat, eumdem moriens suum esse dixerat. Is de honore regni cum Agesilao, suo patruo, contendit: neque id, quod petivit, consecutus est. 5. Nam Lysandro suffragante, homine, ut ostendimus supra, factioso et his temporibus potente, Agesilaus antelatus est.

II. Hic simulatque imperii potitus est, persuasit Lacedaemoniis, ut exercitum emitterent in Asiam, bellumque regi facerent: docens, satius esse in Asia, quam in Europa dimicari. Namque fama exierat, Artaxerxem comparare classes pedestresque exercitus, quos in Graeciam mitteret. 2. Data potestate, tanta celeritate usus est, ut prius in Asiam cum copiis pervenerit, quam regii satrapae eum scirent profectum. Quo factum est, ut omnes imparatos imprudentesque offenderet. 3. Id ut cognovit Tissaphernes, qui summum imperium tum inter praefectos habebat regios, inducias a Lacone petivit, simulans, se dare operam, ut Lacedaemoniis cum rege conveniret; re autem vera ad copias comparandas: easque impetravit trimestres. 4. Iuravit autem uterque, se sine dolo inducias conservaturum. In qua pactione summa fide mansit Agesilaus; contra ea Tissaphernes nihil aliud, quam bellum comparavit. 5. Id etsi sentiebat Laco, tamen iusiurandum servabat, multumque in eo se consequi dicebat, quod Tissaphernes periurio suo et homines suis rebus abalienaret, et deos sibi iratos redderet; se autem conservata religione confirmare exercitum, quum animadverteret deorum numen facere secum, hominesque sibi conciliari amiciores, quod his studere consuessent, quos conservare fidem viderent.

III. Postquam induciarum praeteriit dies, bar-

barus, non dubitans, quod ipsius erant plurima domicilia in Caria, et ea regio his temporibus multo putabatur locupletissima, eo potissimum hostes impetum facturos, omnes suas copias eo contraxerat. 2. At Agesilaus in Phrygiam se convertit, eamque prius depopulatus est, quam Tissaphernes usquam se moveret. Magna praeda militibus locupletatis, Ephesum hiematum exercitum reduxit, atque ibi officinis armorum institutis, magna industria bellum apparavit. Et quo studiosius armarentur insigniusque ornarentur, praemia proposuit, quibus donarentur, quorum egregia in ea re fuisset industria. 3. Fecit idem in exercitationum generibus, ut, qui ceteris praestitissent, eos magnis afficeret muneribus. His igitur rebus effecit, ut et ornatissimum et exercitatissimum haberet exercitum. 4. Huic quum tempus esset visum, copias extrahere ex hibernaculis, vidit, si, quo esset iter facturus, palam pronuntiasset, hostes non credituros, aliasque regiones praesidiis occupaturos, nec dubitaturos, aliud esse facturum, ac pronuntiasset. 5. Itaque quum ille Sardis iturum se dixisset, Tissaphernes eamdem Cariam defendendam putavit. In quo quum eum opinio fefellisset, victumque se vidisset consilio; sero suis praesidio profectus est. Nam quum illo venisset, iam Agesilaus, multis locis expugnatis, magna erat praeda potitus. 6. Laco autem, quum videret, hostes equitatu superare, numquam in campo sui fecit potestatem, et his locis manum conseruit, quibus plus pedestres copiae valerent. Pepulit ergo, quotiescumque congressus est, multo maiores adversariorum copias, et sic in Asia versatus est, ut omnium opinione victor duceretur.

IV. Hic quum iam animo meditaretur proficisci in Persas, et ipsum regem adoriri, nuntius ei domo venit ephorum missu, bellum Athenienses et Boeotios indixisse Lacedaemoniis: quare venire ne dubi-

tenet. 2. In hoc non minus eius pietas suspicienda est, quam virtus bellica: qui, quum victori praeesset exercitui maximamque haberet fiduciam regni Persarum potiundi, tanta modestia dicto audiens fuit iussis absentium magistratuum, ut si privatus in comitio esset Spartae. Cuius exemplum utinam imperatores nostri sequi voluissent! Sed illuc redeamus. 3. Agesilaus opulentissimo regno praeposuit bonam existimationem, multoque gloriosius duxit, si institutis patriae paruisset, quam si bello superasset Asiam. 4. Hac igitur mente Hellespontum copias traiecit, tantaque usus est celeritate, ut, quod iter Xerxes anno vertente confecerat, hic transierit triginta diebus. 5. Quum iam haud ita longe abesset a Peloponneso, obsistere ei conati sunt Athenienses et Boeotii, ceterique eorum socii, apud Coroneam: quos omnes gravi proelio vicit. 6. Huius victoriae vel maxima fuit laus, quod, quum plerique ex fuga se in templum Minervae coniecissent, quaereturque ab eo, quid his fieri vellet, etsi aliquot vulnera acceperat eo proelio, et iratus videbatur omnibus, qui adversus arma tulerant, tamen antetulit irae religionem, et eos vetuit violari. 7. Neque vero hoc solum in Graecia fecit, ut templa deorum sancta haberet; sed etiam apud barbaros summa religione omnia simulacra arasque conservavit. 8. Itaque praedicabat, mirari se, non sacrilegorum numero haberi, qui supplicibus eorum nocuissent; aut non gravioribus poenis affici qui religionem minuerent, quam qui fana spoliarent.

V. Post hoc proelium collatum est omne bellum circa Corinthum, ideoque Corinthium est appellatum. 2. Hic quum una pugna decem millia hostium, Agesilao duce, cecidissent, eoque facto opes adversariorum debilitatae viderentur: tantum abfuit ab insolentia gloriae, ut commiseratus sit fortunam Graeciae, quod tam multi a se victi vitio adversariorum

concidissent: namque illa multitudine, si sana mens esset Graeciae, supplicium Persas dare potuisse. 3. Idem quum adversarios intra moenia compulisset, et, ut Corinthum oppugnaret, multi hortarentur, negavit, id suae virtuti convenire: se enim eum esse dixit, qui ad officium peccantes redire cogeret, non, qui urbes nobilissimas expugnaret Graeciae. 4. *Nam si*, inquit, *eos exstinguere voluerimus, qui nobiscum adversus barbaros steterunt, nosmetipsi nos expugnaverimus, illis quiescentibus. Quo facto sine negotio, quum voluerint, nos oppriment.*

VI. Interim accidit illa calamitas apud Leuctra Lacedaemoniis: quo ne proficisceretur, quum a plerisque ad exeundum premeretur, ut si de exitu divinaret, exire noluit. Idem, quum Epaminondas Spartam oppugnaret, essetque sine muris oppidum, talem se imperatorem praebuit, ut eo tempore omnibus apparuerit, nisi ille fuisset, Spartam futuram non fuisse. 2. In quo quidem discrimine celeritas eius consilii saluti fuit universis. Nam quum quidam adolescentuli, hostium adventu perterriti, ad Thebanos transfugere vellent, et locum extra urbem editum cepissent: Agesilaus, qui perniciosissimum fore videret, si animadversum esset, quemquam ad hostes transfugere conari, cum suis eo venit, atque, ut si bono animo fecissent, laudavit consilium eorum, quod eum locum occupassent, et se id quoque fieri debere animadvertisse. 3. Sic adolescentulos simulata laudatione recuperavit, et adiunctis de suis comitibus locum tutum reliquit. Namque illi, aucto numero eorum, qui expertes erant consilii, commovere se non sunt ausi, eoque libentius, quod latere arbitrabantur, quae cogitarant.

VII. Sine dubio post Leuctricam pugnam Lacedaemonii se numquam refecerunt, neque pristinum imperium recuperarunt: quum interim Agesilaus non destitit, quibuscumque rebus posset, patriam

iuvare. 2. Nam quum praecipue Lacedaemonii indigerent pecunia, ille omnibus, qui a rege defecerant, praesidio fuit: a quibus magna donatus pecunia patriam sublevavit. 3. Atque in hoc illud inprimis fuit admirabile, quum maxima munera ei ab regibus, et dynastis, civitatibusque conferrentur, quod nihil umquam [in] domum suam contulit, nihil de victu, nihil de vestitu Laconum mutavit. 4. Domo eadem fuit contentus, qua Eurysthenes, progenitor maiorum suorum, fuerat usus: quam qui intrarat, nullum signum libidinis, nullum luxuriae videre poterat; contra ea plurima patientiae atque abstinentiae. Sic enim erat instructa, ut nulla in re differret cuiusvis inopis atque privati.

VIII. Atque hic tantus vir, ut naturam fautricem habuerat in tribuendis animi virtutibus, sic maleficam nactus est in corpore fingendo. Nam et statura fuit humili, et corpore exiguo, et claudus altero pede. Quae res etiam nonnullam afferebat deformitatem: atque ignoti, faciem eius quum intuerentur, contemnebant; qui autem virtutes noverant, non poterant admirari satis. 2. Quod ei usu venit, quum annorum octoginta subsidio Tacho in Aegyptum isset, et in acta cum suis accubuisset sine ullo tecto; stratumque haberet tale, ut terra tecta esset stramentis, neque huc amplius, quam pellis esset iniecta; eodemque comites omnes accubuissent vestitu humili atque obsoleto, ut eorum ornatus non modo in his regem neminem significaret, sed hominis non beatissimi suspicionem praeberet. 3. Huius de adventu fama quum ad regios esset perlata, celeriter munera eo cuiusque generis sunt allata. His quaerentibus Agesilaum vix fides facta est, unum esse ex his, qui tum accubabant. 4. Qui quum regis verbis, quae attulerant, dedissent, ille praeter vitulina et huiusmodi genera opsonii, quae praesens tempus desiderabat, nihil accepit; unguenta, coro-

nas, secundamque mensam servis dispertiit; cetera referri iussit. 5. Quo facto eum barbari magis etiam contemserunt, quod eum ignorantia bonarum rerum illa potissimum sumsisse arbitrabantur. 6. Hic quum ex Aegypto reverteretur, donatus a rege Nectanabide ducentis viginti talentis, quae ille muneri populo suo daret, venissetque in portum, qui Menelai vocatur, iacens inter Cyrenas et Aegyptum, in morbum implicitus decessit. 7. Ibi eum amici, quo Spartam facilius perferre possent, quod mel non habebant, cera circumfuderunt, atque ita domum retulerunt.

# XVIII.
# EVMENES.

## I.

*Eumenes, Cardianus.* Huius si virtuti par data esset fortuna, non ille quidem maior, sed multo illustrior atque etiam honoratior: quod magnos homines virtute metimur, non fortuna. 2. Nam quum aetas eius incidisset in ea tempora, quibus Macedones florerent, multum ei detraxit inter hos viventi, quod alienae erat civitatis; neque aliud huic defuit, quam generosa stirps. 3. Etsi ille domestico summo genere erat: tamen Macedones eum sibi aliquando anteponi indigne ferebant; neque tamen non patiebantur. Vincebat enim omnes cura, vigilantia, patientia, calliditate et celeritate ingenii. 4. Hic peradolescentulus ad amicitiam accessit Philippi, Amyntae filii, brevique tempore in intimam pervenit familiaritatem. Fulgebat enim iam in adolescentulo indoles virtutis. 5. Itaque eum habuit ad manum scribae loco: quod multo apud Graios honorificentius est, quam apud Romanos. Nam apud

nos, revera sicut sunt, mercenarii scribae existimantur; at apud illos e contrario nemo ad id officium admittitur, nisi honesto loco, et fide et industria cognita: quod necesse est omnium consiliorum eum esse participem. 6. Hunc locum tenuit amicitiae apud Philippum annos septem. Illo interfecto, eodem gradu fuit apud Alexandrum annos tredecim. Novissimo tempore praefuit etiam alterae equitum alae, quae Hetaerice appellabatur. Vtrique autem in consilio semper affuit, et omnium rerum habitus est particeps.

II. Alexandro Babylone mortuo, quum regna singulis familiaribus dispertirentur, et summa rerum tradita esset tuenda eidem, cui Alexander moriens annulum suum dederat, Perdiccae: 2. ex quo omnes coniecerant, eum regnum ei commendasse, quoad liberi eius in suam tutelam pervenissent: (aberant enim Craterus et Antipater, qui antecedere hunc videbantur: mortuus erat Hephaestio, quem unum Alexander, quod facile intelligi posset, plurimi fecerat); hoc tempore data est Eumeni Cappadocia, sive potius dicta. Nam tum in hostium erat potestate. 3. Hunc sibi Perdiccas adiunxerat magno studio, quod in homine fidem et industriam magnam videbat: non dubitans, si eum pellexisset, magno usui fore sibi in his rebus, quas apparabat. Cogitabat enim, quod fere omnes in magnis imperiis concupiscunt, omnium partes corripere atque complecti. 4. Neque vero hoc ille solus fecit, sed ceteri quoque omnes, qui Alexandri fuerant amici. Primus Leonnatus Macedoniam praeoccupare destinaverat. Hic multis magnisque pollicitationibus persuadere Eumeni studuit, ut Perdiccam desereret, ac secum faceret societatem. 5. Quum perducere eum non posset, interficere conatus est; et fecisset, nisi ille clam noctu ex praesidiis eius effugisset.

III. Interim conflata sunt illa bella, quae ad in-

ternecionem post Alexandri mortem gesta sunt, omnesque concurrerunt ad Perdiccam opprimendum. Quem etsi infirmum videbat, quod unus omnibus resistere cogebatur, tamen amicum non deseruit, neque salutis, quam fidei, fuit cupidior. 2. Praefecerat eum Perdiccas ei parti Asiae, quae inter Taurum montem iacet atque Hellespontum, et illum unum opposuerat Europaeis adversariis; ipse Aegyptum oppugnatum adversus Ptolemaeum erat profectus. 3. Eumenes quum neque magnas copias, neque firmas haberet, quod et inexercitatae, et non multo ante erant contractae; adventare autem dicerentur Hellespontumque transisse Antipater et Craterus magno cum exercitu Macedonum, viri quum claritate, tum usu belli praestantes; 4. (Macedones vero milites ea tunc erant fama, qua nunc Romani feruntur: etenim semper habiti sunt fortissimi, qui summam imperii potirentur); Eumenes intelligebat, si copiae suae cognossent, adversus quos ducerentur, non modo non ituras, sed simul cum nuntio dilapsuras. 5. Itaque hoc eius fuit prudentissimum consilium, ut deviis itineribus milites duceret, in quibus vera audire non possent, et his persuaderet, se contra quosdam barbaros proficisci. 6. Itaque tenuit hoc propositum, et prius in aciem exercitum eduxit proeliumque commisit, quam milites sui scirent, cum quibus arma conferrent. Effecit etiam illud locorum praeoccupatione, ut equitatu potius dimicaret, quo plus valebat, quam peditatu, quo erat deterior.

IV. Quorum acerrimo concursu quum magnam partem diei esset pugnatum, cadit Craterus dux, et Neoptolemus, qui secundum locum imperii tenebat. Cum hoc concurrit ipse Eumenes. 2. Qui quum inter se complexi in terram ex equis decidissent, ut facile intelligi posset, inimica mente contendisse, animoque magis etiam pugnasse, quam corpore, non

prius distracti sunt, quam alterum anima reliquerit. Ab hoc aliquot plagis Eumenes vulneratur, neque eo magis ex proelio excessit, sed acrius hostes institit. 3. Hic equitibus profligatis, interfecto duce Cratero, multis praeterea et maxime nobilibus captis, pedester exercitus, quod in ea loca erat deductus, ut invito Eumene elabi non posset, pacem ab eo petiit. Quam quum impetrasset, in fide non mansit, et se, simul ac potuit, ad Antipatrum recepit. 4. Eumenes Craterum, ex acie semivivum elatum, recreare studuit. Quum id non posset, pro hominis dignitate, proque pristina amicitia (namque illo usus erat, Alexandro vivo, familiariter) amplo funere extulit, ossaque in Macedoniam uxori eius ac liberis remisit.

V. Haec dum apud Hellespontum geruntur, Perdiccas apud flumen Nilum interficitur a Seleuco et Antigono; rerumque summa ad Antipatrum defertur. Hic, qui deseruerant, exercitu suffragium ferente, capitis absentes damnantur: in his Eumenes. Hac ille perculsus plaga non succubuit, neque eo secius bellum administravit. Sed exiles res animi magnitudinem, etsi non frangebant, tamen minuebant. 2. Hunc persequens Antigonus, quum omni genere copiarum abundaret, saepe in itineribus vexabatur: neque umquam ad manum accedere licebat, nisi his locis, quibus pauci multis possent resistere. 3. Sed extremo tempore, quum consilio capi non posset, multitudine circumventus est. Hinc tamen, multis suis amissis, se expedivit, et in castellum Phrygiae, quod Nora appellatur, confugit. 4. In quo quum circumsederetur, et vereretur, ne uno loco manens equos militares perderet, quod spatium non esset agitandi: callidum fuit eius inventum, quemadmodum stans iumentum concalefieri exercerique posset, quo libentius et cibo uteretur, et a corporis motu non removeretur. 5. Substringebat caput loro altius quam ut priori-

bus pedibus plane terram posset attingere; deinde post verberibus cogebat exsultare, et calces remittere. Qui motus non minus sudorem excutiebat, quam si in spatio decurreret. 6. Quo factum est, quod omnibus mirabile est visum, ut aeque iumenta nitida ex castello educeret, quum complures menses in obsidione fuisset, ac si in campestribus ea locis habuisset. 7. In hac conclusione, quotiescumque voluit, apparatum et munitiones Antigoni alias incendit, alias disiecit. Tenuit autem se uno loco, quamdiu fuit hiems. Quod castrum subsidia habere non poterat, et ver appropinquabat, simulata deditione, dum de conditionibus tractat, praefectis Antigoni imposuit, seque ac suos omnes extraxit incolumes.

VI. Ad hunc Olympias, mater quae fuerat Alexandri, quum litteras et nuntios misisset in Asiam, consultum, utrum repetitum Macedoniam veniret (nam tum in Epiro habitabat) et eas res occuparet: 2. huic ille primum suasit, ne se moveret, et exspectaret, quoad Alexandri filius regnum adipisceretur; sin aliqua cupiditate raperetur in Macedoniam, omnium iniuriarum oblivisceretur, et in neminem acerbiore uteretur imperio. 3. Horum illa nihil fecit. Nam et in Macedoniam profecta est, et ibi crudelissime se gessit. Petiit autem ab Eumene absente, ne pateretur, Philippi domus et familiae inimicissimos stirpem quoque interimere, ferretque opem liberis Alexandri. 4. Quam veniam si daret, quam primum exercitus pararet, quos sibi subsidio adduceret. Id quo facilius faceret, se omnibus praefectis, qui in officio manebant, misisse litteras, ut ei parerent, eiusque consiliis uterentur. 5. His rebus Eumenes permotus satius duxit, si ita tulisset fortuna, perire bene meritis referentem gratiam, quam ingratum vivere.

VII. Itaque copias contraxit, bellum adversus

Antigonum comparavit. Quod una erant Macedones complures nobiles, in his Peucestes, qui corporis custos fuerat Alexandri, tum autem obtinebat Persidem, et Antigenes, cuius sub imperio phalanx erat Macedonum: invidiam verens, quam tamen effugere non potuit, si potius ipse alienigena summi imperii potiretur, quam alii Macedonum, quorum ibi erat multitudo, 2. in principiis nomine Alexandri statuit tabernaculum, in eoque sellam auream cum sceptro ac diademate jussit poni, eoque omnes quotidie convenire, ut ibi de summis rebus consilia caperentur; credens, minore se invidia fore, si specie imperii nominisque simulatione Alexandri bellum videretur administrare. Quod et fecit. 3. Nam quum non ad Eumenis principia, sed ad regia conveniretur, atque ibi de rebus deliberaretur, quodammodo latebat, quum tamen per eum unum gererentur omnia.

VIII. Hic in Paraetacis cum Antigone conflixit, non acie instructa, sed in itinere: eumque male acceptum in Mediam hiematum coëgit redire. Ipse in finitima regione Persidis hiematum copias divisit, non ut voluit, sed ut militum cogebat voluntas. 2. Namque illa phalanx Alexandri Magni, quae Asiam peragrarat deviceratque Persas, inveterata quum gloria, tum etiam licentia, non parere se ducibus, sed imperare postulabat: ut nunc veterani faciunt nostri. Itaque periculum est, ne faciant, quod illi fecerunt sua intemperantia nimiaque licentia, ut omnia perdant, neque minus eos, cum quibus steterint, quam adversus quos fecerint. 3. Quod si quis illorum veteranorum legat facta, paria horum cognoscat, neque rem ullam, nisi tempus, interesse judicet. Sed ad illos revertar. Hiberna sumserant non ad usum belli, sed ad ipsorum luxuriam, longeque inter se discesserant. 4. Hoc Antigonus quum comperisset, intelligeretque, se parem non esse pa-

ratis adversariis, statuit aliquid sibi consilii novi esse capiendum. Duae erant viae, qua ex Medis, ubi ille hiemabat, ad adversariorum hibernacula posset perveniri. 5. Quarum brevior per loca deserta, quae nemo incolebat propter aquae inopiam, ceterum dierum erat fere decem; illa autem, qua omnes commeabant, altero tanto longiorem habebat anfractum, sed erat copiosa omniumque rerum abundans. 6. Hac si proficisceretur, intelligebat, prius adversarios rescituros de suo adventu, quam ipse tertiam partem confecisset itineris; sin per loca sola contenderet, sperabat, se imprudentem hostem oppressurum. 7. Ad hanc rem conficiendam imperavit quam plurimos utres atque etiam culleos comparari; post haec pabulum; praeterea cibaria cocta dierum decem, utque quam minime fieret ignis in castris. Iter, quod habebat, omnes celat. Sic paratus, qua constituerat, proficiscitur.

IX. Dimidium fere spatium confecerat, quum ex fumo castrorum eius suspicio allata est ad Eumenem, hostem appropinquare. Conveniunt duces; quaeritur, quid opus sit facto. Intelligebant omnes, tam celeriter copias ipsorum contrahi non posse, quam Antigonus affuturus videbatur. 2. Hic omnibus titubantibus, et de rebus summis desperantibus, Eumenes ait, si celeritatem velint adhibere, et imperata facere, quod ante non fecerint, se rem expediturum. Nam quod diebus quinque hostis transisse posset, se effecturum, ut non minus totidem dierum spatio retardaretur: quare circumirent, suasque quisque copias contraheret. 3. Ad Antigoni autem refrenandum impetum tale capit consilium. Certos mittit homines ad infimos montes, qui obvii erant itineri adversariorum, hisque praecepit, ut prima nocte, quam latissime possint, ignes faciant quam maximos, atque hos secunda vigilia minuant, tertia perexiguos reddant: 4. et assimulata castrorum

consuetudine suspicionem iniiciant hostibus, his locis esse castra, ac de eorum adventu esse praenuntiatum; idemque postera nocte faciant. 5. Quibus imperatum erat, diligenter praeceptum curant. Antigonus, tenebris obortis, ignes conspicatur: credit, de suo adventu esse auditum, et adversarios illuc suas contraxisse copias. 6. Mutat consilium, et, quoniam imprudentes adoriri non posset, flectit iter suum, et illum anfractum longiorem copiosae viae capit, ibique diem unum opperitur ad lassitudinem sedandam militum ac reficienda iumenta, quo integriore exercitu decerneret.

X. Hic Eumenes callidum imperatorem vicit consilio, celeritatemque impedivit eius; neque tamen multum profecit. 2. Nam invidia ducum, cum quibus erat, perfidiaque Macedonum veteranorum, quum superior proelio discessisset, Antigono est deditus, quum exercitus ei ter ante separatis temporibus iurasset, se eum defensurum, nec umquam deserturum. Sed tanta fuit nonnullorum virtutis obtrectatio, ut fidem amittere mallent, quam eum non prodere. 3. Atque hunc Antigonus, quum ei fuisset infestissimus, conservasset, si per suos esset licitum, quod ab nullo se plus adiuvari posse intelligebat in his rebus, quas impendere iam apparebat omnibus. Imminebant enim Seleucus, Lysimachus, Ptolemaeus, opibus iam valentes, cum quibus ei de summis rebus erat dimicandum. 4. Sed non passi sunt hi, qui circa erant: quod videbant, Eumene recepto, omnes prae illo parvi futuros. Ipse autem Antigonus adeo erat incensus, ut, nisi magna spe maximarum rerum, leniri non posset.

XI. Itaque quum eum in custodiam dedisset, et praefectus custodum quaesisset, quemadmodum servari vellet? *ut acerrimum*, inquit, *leonem, aut ferocissimum elephantum*. Nondum enim statuerat, conservaret eum, nec ne. 2. Veniebat autem ad

Eumenem utrumque genus hominum: et qui propter odium fructum oculis ex eius casu capere vellent, et qui propter veterem amicitiam colloqui consolarique cuperent; multi etiam, qui eius formam cognoscere studebant, qualis esset, quem tamdiu tamque valde timuissent, cuius in pernicie positam spem habuissent victoriae. 3. At Eumenes, quum diutius in vinculis esset, ait Onomarcho, penes quem summa imperii erat custodiae, se mirari, quare iam tertium diem sic teneretur: non enim hoc convenire Antigoni prudentiae, ut sic deuteretur victo; quin aut interfici, aut missum fieri iuberet. 4. Hic quum ferocius Onomarcho loqui videretur, *quid? tu*, inquit, *animo si isto eras, cur non in proelio cecidisti potius, quam in potestatem inimici venires?* 5. Huic Eumenes, *utinam quidem istud evenisset! sed eo non accidit, quod numquam cum fortiore sum congressus. Non enim cum quoquam arma contuli, quin is mihi succubuerit. Non enim virtute hostium, sed amicorum perfidia decidi.* [Neque id falsum. Nam et dignitate fuit honesta, et viribus ad laborem ferendum firmis, neque tam magno corpore, quam figura venusta.]

XII. De hoc Antigonus quum solus constituere non auderet, ad consilium retulit. Hic quum primo perturbati admirarentur, non iam de eo sumtum esse supplicium, a quo tot annos adeo essent male habiti, ut saepe ad desperationem forent adducti; quique maximos duces interfecisset; 2. denique in quo uno esset tantum, ut, quoad ille viveret, ipsi securi esse non possent, interfecto, nihil habituri negotii essent: postremo, si illi redderet salutem, quaerebant, quibus amicis esset usurus? sese enim cum Eumene apud eum non futuros. 3. Hic, cognita consilii voluntate, tamen usque ad septimum diem deliberandi sibi spatium reliquit. Tum autem, quum iam vereretur, ne qua seditio exercitus oriretur,

vetuit ad eum quemquam admitti, et quotidianum victum amoveri iussit. Nam negabat, se ei vim allaturum, qui aliquando fuisset amicus. 4. Hic tamen non amplius, quam triduum, fame fatigatus, quum castra moverentur, insciente Antigono, iugulatus est a custodibus.

XIII. Sic Eumenes annorum quinque et quadraginta, quum ab anno vicesimo, ut supra ostendimus, septem annos Philippo apparuisset, et tredecim apud Alexandrum eumdem locum obtinuisset, in his unum equitum alae praefuisset, post autem Alexandri Magni mortem imperator exercitus duxisset, summosque duces partim repulisset, partim interfecisset, captus non Antigoni virtute, sed Macedonum periurio, talem habuit exitum vitae. 2. In quo quanta fuerit omnium opinio eorum, qui post Alexandrum Magnum reges sunt appellati, ex hoc facillime potest iudicari, quod nemo, Eumene vivo, rex appellatus est, sed praefectus; 3. iidem post huius occasum statim regium ornatum nomenque sumserunt, neque, quod initio praedicarant, se Alexandri liberis regnum servare, praestare voluerunt, et, uno propugnatore sublato, quid sentirent, aperuerunt. Huius sceleris principes fuerunt Antigonus, Ptolemaeus, Seleucus, Lysimachus, Cassander. 4. Antigonus autem Eumenem mortuum propinquis eius sepeliendum tradidit. Hi militari honesto funere, comitante toto exercitu, humaverunt, ossaque eius in Cappadociam ad matrem atque uxorem liberosque eius deportanda curarunt.

# XIX.

# PHOCION.

I.

*Phocion, Atheniensis*, etsi saepe exercitibus praefuit summosque magistratus cepit, tamen multo eius notior integritas vitae, quam rei militaris labor. Itaque huius memoria est nulla, illius autem magna fama: ex quo cognomine Bonus est appellatus. 2. Fuit enim perpetuo pauper, quum divitissimus esse posset propter frequentes delatos honores potestatesque summas, quae ei a populo dabantur. 3. Hic quum a rege Philippo munera magnae pecuniae repudiaret, legatique hortarentur accipere, simulque admonerent, si ipse his facile careret, liberis tamen suis prospiceret, quibus difficile esset in summa paupertate tantam paternam tueri gloriam: 4. his ille, *si mei similes erunt, idem hic*, inquit, *agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem perduxit; sin dissimiles sunt futuri, nolo meis impensis illorum ali augerique luxuriam.*

II. Idem quum prope ad annum octogesimum prospera pervenisset fortuna, extremis temporibus magnum in odium pervenit suorum civium. 2. Primo, quod cum Demade de urbe tradenda Antipatro consenserat; eiusque consilio Demosthenes cum ceteris, qui bene de republica meriti existimabantur, populiscito in exsilium erant expulsi. Neque in eo solum offenderat, quod patriae male consuluerat, sed etiam, quod amicitiae fidem non praestiterat. 3. Namque auctus adiutusque a Demosthene eum, quem tenebat, adscenderat gradum, quum adversus Charetem eum subornaret: ab eodem in iudiciis, quum capitis causam diceret, defensus aliquoties, liberatus discesserat. Hunc non solum in periculis

non defendit, sed etiam prodidit. 4. Concidit autem maxime uno crimine, quod, quum apud eum summum esset imperium populi, et, Nicanorem, Cassandri praefectum, insidiari Piraeeo Atheniensium, a Dercyllo moneretur, idemque postularet, ut provideret, ne commeatibus civitas privaretur, huic, audiente populo, Phocion negavit esse periculum, seque eius rei obsidem fore pollicitus est. 5. Neque ita multo post Nicanor Piraeeo est potitus. Ad quem recuperandum quum populus armatus concurrisset, ille non modo neminem ad arma vocavit, sed ne armatis quidem praeesse voluit. [Sine quo Athenae omnino esse non possunt.]

III. Erant eo tempore Athenis duae factiones, quarum una populi causam agebat, altera optimatum. In hac erat Phocion et Demetrius Phalereus. Harum utraque Macedonum patrociniis nitebatur. Nam populares Polysperchonti favebant; optimates cum Cassandro sentiebant. 2. Interim a Polysperchonte Cassander Macedonia pulsus est. Quo facto populus superior factus statim duces adversariae factionis capitis damnatos patria pepulit; in his Phocionem et Demetrium Phalereum: deque ea re legatos ad Polysperchontem misit, qui ab eo peterent, ut sua decreta confirmaret. 3. Huc eodem profectus est Phocion. Quo ut venit, causam apud Philippum regem verbo, re ipsa quidem apud Polysperchontem iussus est dicere; namque is tum regis rebus praeerat. 4. Hic ab Agnonide accusatus, quod Piraeeum Nicanori prodidisset, ex consilii sententia in custodiam coniectus, Athenas deductus est, ut ibi de eo legibus fieret iudicium.

IV. Huc ubi perventum est, quum propter aetatem pedibus iam non valeret, vehiculoque portaretur, magni concursus sunt facti, quum alii, reminiscentes veteris famae, aetatis misererentur; plurimi vero ira exacuerentur propter proditionis suspicio-

nem Piraeei, maximeque, quod adversus populi commoda in senectute steterat. 2. Qua de re ne perorandi quidem ei data est facultas, et dicendi causam. Inde iudicio, legitimis quibusdam confectis, damnatus, traditus est undecim viris, quibus ad supplicium more Atheniensium publice damnati tradi solent. 3. Hic quum ad mortem duceretur, obvius ei fuit Emphyletus, quo familiariter fuerat usus. Is quum lacrimans dixisset: *o quam indigna perpeteris, Phocion!* huic ille, *at non inopinata*, inquit; *hunc enim exitum plerique clari viri habuerunt Athenienses.* 4. In hoc tantum fuit odium multitudinis, ut nemo ausus sit eum liber sepelire. Itaque a servis sepultus est.

# XX.
# TIMOLEON.

## I.

*Timoleon, Corinthius.* Sine dubio magnus omnium iudicio hic vir exstitit. Namque huic uni contigit, quod nescio an ulli, ut et patriam, in qua erat natus, oppressam a tyranno liberaret, et a Syracusis, quibus auxilio erat missus, inveteratam servitutem depelleret, totamque Siciliam, multos annos bello vexatam a barbarisque oppressam, suo adventu in pristinum restitueret. 2. Sed in his rebus non simplici fortuna conflictatus est, et, id quod difficilius putatur, multo sapientius tulit secundam, quam adversam fortunam. 3. Nam quum frater eius Timophanes, dux a Corinthiis delectus, tyrannidem per milites mercenarios occupasset, particepsque regni posset esse: tantum abfuit a societate sceleris, ut antetulerit suorum civium libertatem fratris saluti, et parere legibus, quam imperare patriae,

satius duxerit. 4. Hac mente per haruspicem, communemque affinem, cui soror, ex eisdem parentibus nata, nupta erat, fratrem tyrannum interficiendum curavit. Ipse non modo manus non attulit, sed ne adspicere quidem fraternum sanguinem voluit. Nam, dum res conficeretur, procul in praesidio fuit, ne quis satelles posset succurrere. 5. Hoc praeclarissimum eius facinus non pari modo probatum est ab omnibus. Nonnulli enim laesam ab eo pietatem putabant, et invidia laudem virtutis obterebant. Mater vero post id factum neque domum ad se filium admisit, neque adspexit, quin eum fratricidam impiumque detestans compellaret. 6. Quibus rebus adeo ille est commotus, ut nonnumquam vitae finem facere voluerit, atque ex ingratorum hominum conspectu morte decedere.

II. Interim Dione Syracusis interfecto, Dionysius rursus Syracusarum potitus est: cuius adversarii opem a Corinthiis petierunt, ducemque, quo in bello uterentur, postularunt. Huc Timoleon missus incredibili felicitate Dionysium tota Sicilia depulit. 2. Quum interficere posset, noluit, tutoque ut Corinthum perveniret, effecit: quod utrorumque Dionysiorum opibus Corinthii saepe adiuti fuerant, cuius benignitatis memoriam volebat exstare; eamque praeclaram victoriam ducebat, in qua plus esset clementiae, quam crudelitatis; postremo, ut non solum auribus acciperetur, sed etiam oculis cerneretur, quem et ex quanto regno ad quam fortunam detrusisset. 3. Post Dionysii decessum cum Hiceta bellavit, qui adversatus fuerat Dionysio: quem non odio tyrannidis dissensisse, sed cupiditate, indicio fuit, quod ipse, expulso Dionysio, imperium dimittere noluit. 4. Hoc superato, Timoleon maximas copias Carthaginiensium apud Crimissum flumen fugavit, ac satis habere coëgit, si liceret Africam obtinere, qui iam complures annos possessionem Si-

ciliae tenebant. Cepit etiam Mamercum, Italicum ducem, hominem bellicosum et potentem, qui tyrannos adiutum in Siciliam venerat.

III. Quibus rebus confectis quum propter diuturnitatem belli non solum regiones, sed etiam urbes desertas videret, conquisivit, quos potuit, primum Siculos; deinde Corintho arcessivit colonos, quod ab his initio Syracusae erant conditae. 2. Civibus veteribus sua restituit; novis bello vacuefactas possessiones divisit; urbium moenia disiecta fanaque deserta refecit; civitatibus leges libertatemque reddidit; ex maximo bello tantum otium totae insulae conciliavit, ut hic conditor urbium earum, non illi, qui initio deduxerant, videretur. 3. Arcem Syracusis, quam munierat Dionysius ad urbem obsidendam, a fundamentis disiecit; cetera tyrannidis propugnacula demolitus est, deditque operam, ut quam minime multa vestigia servitutis manerent. 4. Quum tantis esset opibus, ut etiam invitis imperare posset; tantum autem haberet amorem omnium Siculorum, ut nullo recusante regnum obtineret: maluit se diligi, quam metui. Itaque, quum primum potuit, imperium deposuit, et privatus Syracusis, quod reliquum vitae fuit, vixit. 5. Neque vero id imperite fecit. Nam quod ceteri reges imperio potuerunt, hic benevolentia tenuit. Nullus honos huic defuit; neque postea res ulla Syracusis gesta est publice, de qua prius sit decretum, quam Timoleontis sententia cognita. 6. Nullius umquam consilium non modo antelatum, sed ne comparatum quidem est. Neque id magis benevolentia factum est, quam prudentia.

IV. Hic quum aetate iam provectus esset, sine ullo morbo lumina oculorum amisit. Quam calamitatem ita moderate tulit, ut neque eum querentem quisquam audierit, neque eo minus privatis publicisque rebus interfuerit. 2. Ve-

niebat autem in theatrum, quum ibi concilium populi haberetur, propter valetudinem vectus iumentis iunctis, atque ita de vehiculo, quae videbantur, dicebat: neque hoc illi quisquam tribuebat superbiae. Nihil enim umquam neque insolens, neque gloriosum ex ore eius exiit. 3. Qui quidem, quum suas laudes audiret praedicari, numquam aliud dixit, quam se in ea re maxime diis gratias agere atque habere, quod, quum Siciliam recreare constituissent, tum se potissimum ducem esse voluissent. 4. Nihil enim rerum humanarum sine deorum numine geri putabat. Itaque suae domi sacellum *Αὐτοματίας* constituerat, idque sanctissime colebat.

V. Ad hanc hominis excellentem bonitatem mirabiles accesserunt casus. Nam proelia maxima natali die suo fecit omnia: quo factum est, ut eius diem natalem festum haberet universa Sicilia. 2. Huic quidam Lamestius, homo petulans et ingratus, vadimonium quum vellet imponere, quod cum illo se lege agere diceret, et complures concurrissent, qui procacitatem hominis manibus coërcere conarentur: Timoleon oravit omnes, ne id facerent. Namque id ut Lamestio ceterisque liceret, se maximos labores summaque adiisse pericula. Hanc enim speciem libertatis esse, si omnibus, quod quisque vellet, legibus experiri liceret. 3. Idem, quum quidam Lamestii similis, nomine Demaenetus, in concione populi de rebus gestis eius detrahere coepisset, ac nonnulla inveheretur in Timoleonta, dixit, nunc demum se voti esse damnatum. Namque hoc a diis immortalibus semper precatum, ut talem libertatem restitueret Syracusanis, in qua cuivis liceret, de quo vellet, impune dicere. 4. Hic quum diem supremum obiisset, publice a Syracusanis in gymnasio, quod Timoleonteum appellatur, tota celebrante Sicilia, sepultus est.

# XXI.
# DE REGIBVS.

## I.

Hi fere fuerunt Graeciae gentis duces, qui memoria digni videbantur, praeter reges. Namque eos attingere noluimus, quod omnium res gestae separatim sunt relatae. Neque tamen hi admodum sunt multi. 2. Lacedaemonius autem Agesilaus nomine, non potestate, fuit rex, sicut ceteri Spartani. Ex his vero, qui dominatum imperio tenuerunt, excellentissimi fuerunt, ut nos iudicamus, Persarum Cyrus et Darius, Hystaspis filius: quorum uterque privatus virtute regnum est adeptus. Prior horum apud Massagetas in proelio cecidit; Darius senectute diem obiit supremum. 3. Tres sunt praeterea eiusdem generis, Xerxes, et duo Artaxerxes, Macrochir et Mnemon. Xerxi maxime est illustre, quod maximis post hominum memoriam exercitibus terra marique bellum intulit Graeciae. 4. At Macrochir praecipuam habet laudem amplissimae pulcherrimaeque corporis formae; quam incredibili ornavit virtute belli. Namque illo Perses nemo fuit manu fortior. Mnemon autem iustitiae fama floruit. Nam quum matris suae scelere amisisset uxorem, tantum indulsit dolori, ut eum pietas vinceret. 5. Ex his duo eodem nomine morbo naturae debitum reddiderunt: tertius ab Artabano praefecto ferro interemtus est.

II. Ex Macedonum autem genere duo multo ceteros antecesserunt rerum gestarum gloria: Philippus, Amyntae filius, et Alexander Magnus. Horum alter Babylone morbo consumtus est; Philippus Aegis a Pausania, quum spectatum ludos iret, iuxta theatrum occisus est. 2. Vnus Epirotes, Pyrrhus,

qui cum populo Romano bellavit. Is quum Argos oppidum oppugnaret in Peloponneso, lapide ictus interiit. Vnus item Siculus, Dionysius prior. Nam et manu fortis, et belli peritus fuit, et, id quod in tyranno non facile reperitur, minime libidinosus, non luxuriosus, non avarus, nullius denique rei cupidus, nisi singularis perpetuique imperii, ob eamque rem crudelis. Nam dum id studuit munire, nullius pepercit vitae, quem eius insidiatorem putaret. 3. Hic quum virtute tyrannidem sibi peperisset, magna retinuit felicitate, maiorque annos sexaginta natus decessit florente regno. Neque in tam multis annis cuiusquam ex sua stirpe funus vidit, quum ex tribus uxoribus liberos procreasset, multique ei nati essent nepotes.

III. Fuerunt praeterea multi reges ex amicis Alexandri Magni, qui post obitum eius imperia ceperunt: in his Antigonus, et huius filius Demetrius, Lysimachus, Seleucus, Ptolemaeus. 2. Ex his Antigonus in proelio, quum adversus Seleucum Lysimachumque dimicaret, occisus est. Pari leto affectus est Lysimachus a Seleuco. Nam, societate dissoluta, bellum inter se gesserunt. 3. At Demetrius, quum filiam suam Seleuco in matrimonium dedisset, neque eo magis fida inter eos amicitia manere potuisset, captus bello, in custodia socer generi periit a morbo. 4. Neque ita multo post Seleucus a Ptolemaeo Cerauno dolo interfectus est; quem ille a patre expulsum Alexandrea, alienarum opum indigentem, receperat. Ipse autem Ptolemaeus, quum vivus filio regnum tradidisset, ab illo eodem vita privatus dicitur. 5. De quibus quoniam satis dictum putamus, non incommodum videtur, non praeterire Hamilcarem et Hannibalem, quos et animi magnitudine, et calliditate omnes in Africa natos praestitisse constat.

---

# XXII.
# HAMILCAR.

## I.

*Hamilcar, Hannibalis filius,* cognomine Barcas, Carthaginiensis, primo Poenico bello, sed temporibus extremis, admodum adolescentulus in Sicilia praeesse coepit exercitui. 2. Quum ante eius adventum et mari et terra male res gererentur Carthaginiensium, ipse, ubi affuit, numquam hosti cessit neque locum nocendi dedit; saepeque e contrario occasione data lacessivit, semperque superior discessit. Quo facto, quum paene omnia in Sicilia Poeni amisissent, ille Erycem sic defendit, ut bellum eo loco gestum non videretur. 3. Interim Carthaginienses, classe apud insulas Aegates a C. Lutatio, consule Romanorum, superati, statuerunt belli finem facere, eamque rem arbitrio permiserunt Hamilcaris. Ille, etsi flagrabat bellandi cupiditate, tamen paci serviendum putavit, quod patriam exhaustam sumtibus diutius calamitates belli ferre non posse intelligebat: 4. sed ita, ut statim mente agitaret, si paullum modo res essent refectae, bellum renovare Romanosque armis persequi, donicum aut certe vicissent, aut victi manus dedissent. 5. Hoc consilio pacem conciliavit, in qua tanta fuit ferocia, quum Catulus negaret bellum compositurum, nisi ille cum suis, qui Erycem tenuerunt, armis relictis, Sicilia decederent, 6. ut, succumbente patria, ipse periturum se potius dixerit, quam cum tanto flagitio domum rediret. Non enim suae esse virtutis, arma a patria accepta adversus hostes adversariis tradere. Huius pertinaciae cessit Catulus.

II. At ille, ut Carthaginem venit, multo aliter,

ac sperabat, rempublicam se habentem cognovit. Namque diuturnitate externi mali tantum exarsit intestinum bellum, ut numquam pari periculo fuerit Carthago, nisi quum deleta est. 2. Primo mercenarii milites, qui adversus Romanos fuerant, desciverunt: quorum numerus erat viginti millium. Hi totam abalienarunt Africam, ipsam Carthaginem oppugnarunt. 3. Quibus malis adeo sunt Poeni perterriti, ut etiam auxilia a Romanis petiverint, eaque impetrarint. Sed extremo, quum prope iam ad desperationem pervenissent, Hamilcarem imperatorem fecerunt. 4. Is non solum hostes a muris Carthaginis removit, quum amplius centum millia facta essent armatorum; sed etiam eo compulit, ut, locorum angustiis clausi, plures fame, quam ferro interirent. Omnia oppida abalienata, in his Vticam atque Hipponem, valentissima totius Africae, restituit patriae. 5. Neque eo fuit contentus, sed etiam fines imperii propagavit, tota Africa tantum otium reddidit, ut nullum in ea bellum videretur multis annis fuisse.

III. Rebus his ex sententia peractis, fidenti animo atque infesto Romanis, quo facilius causam bellandi reperiret, effecit, ut imperator cum exercitu in Hispaniam mitteretur, eoque secum duxit filium Hannibalem, annorum novem. 2. Erat praeterea cum eo adolescens illustris, formosus, Hasdrubal, quem nonnulli diligi turpius, quam par erat, ab Hamilcare loquebantur. Non enim maledici tanto viro deesse poterant. Quo factum est, ut a praefecto morum Hasdrubal cum eo vetaretur esse. Huic ille filiam suam in matrimonium dedit, quod moribus eorum non poterat interdici socero gener. 3. De hoc ideo mentionem fecimus, quod, Hamilcare occisso, ille exercitui praefuit, resque magnas gessit; et princeps largitione vetustos pervertit mores Carthaginiensium; eiusdemque post mortem Hannibal ab exercitu accepit imperium.

IV. At Hamilcar, posteaquam mare transiit in Hispaniamque venit, magnas res secunda gessit fortuna: maximas bellicosissimasque gentes subegit: equis, armis, viris, pecunia totam locupletavit Africam. 2. Hic quum in Italiam bellum inferre meditaretur, nono anno post, quam in Hispaniam venerat, in proelio pugnans adversus Vettones occisus est. 3. Huius perpetuum odium erga Romanos maxime concitasse videtur secundum bellum Poenicum. Namque Hannibal, filius eius, assiduis patris obtestationibus eo est perductus, ut interire, quam Romanos non experiri mallet.



# XXIII.

# HANNIBAL.

## I.

*Hannibal, Hamilcaris filius, Carthaginiensis.* Si verum est, quod nemo dubitat, ut populus Romanus omnes gentes virtute superarit, non est infitiandum, Hannibalem tanto praestitisse ceteros imperatores prudentia, quanto populus Romanus antecedat fortitudine cunctas nationes. 2. Nam quotiescumque cum eo congressus est in Italia, semper discessit superior. Quod nisi domi civium suorum invidia debilitatus esset, Romanos videretur superare potuisse. Sed multorum obtrectatio devicit unius virtutem. 3. Hic autem velut hereditate relictum odium paternum erga Romanos sic conservavit, ut prius animam, quam id, deposuerit: qui quidem, quum patria pulsus esset, et alienarum opum indigeret, numquam destiterit animo bellare cum Romanis.

II. Nam ut omittam Philippum, quem absens hostem reddidit Romanis: omnium his temporibus

potentissimus rex Antiochus fuit. Hunc tanta cupiditate incendit bellandi, ut usque a rubro mari arma conatus sit inferre Italiae. 2. Ad quem quum legati venissent Romani, qui de eius voluntate explorarent, darentque operam consiliis clandestinis, ut Hannibalem in suspicionem regi adducerent, tamquam ab ipsis corruptum alia, atque antea, sentire; neque id frustra fecissent, idque Hannibal comperisset, seque ab interioribus consiliis segregari vidisset: 3. tempore dato adiit ad regem, eique quum multa de fide sua et odio in Romanos commemorasset, hoc adiunxit: *Pater*, inquit, *meus*, *Hamilcar, puerulo me, utpote non amplius novem annos nato, in Hispaniam imperator proficiscens Carthagine, Iovi optimo maximo hostias immolavit.* 4. *Quae divina res dum conficiebatur, quaesivit a me, vellemne secum in castra proficisci? Id quum libenter accepissem, atque ab eo petere coepissem, ne dubitaret ducere; tum ille, faciam, inquit, si fidem mihi, quam postulo, dederis. Simul me ad aram adduxit, apud quam sacrificare instituerat, eamque, ceteris remotis, tenentem iurare iussit, numquam me in amicitia cum Romanis fore.* 5. *Id ego iusiurandum patri datum usque ad hanc aetatem ita conservavi, ut nemini dubium esse debeat, quin reliquo tempore eadem mente sim futurus.* 6. *Quare, si quid amice de Romanis cogitabis, non imprudenter feceris, si me celaris; quum quidem bellum parabis, te ipsum frustraberis, si me non in eo principem posueris.*

III. Hac igitur, qua diximus, aetate cum patre in Hispaniam profectus est: cuius post obitum, Hasdrubale imperatore suffecto, equitatui omni praefuit. Hoc quoque interfecto, exercitus summam imperii ad eum detulit. Id Carthaginem delatum publice comprobatum est. 2. Sic Hannibal minor quinque et viginti annis natus imperator factus proximo triennio omnes gentes Hispaniae bello

subegit; Saguntum, foederatam civitatem, vi expugnavit; tres exercitus maximos comparavit. 3. Ex his unum in Africam misit, alterum cum Hasdrubale fratre in Hispania reliquit, tertium in Italiam secum duxit. Saltum Pyrenaeum transiit. Quacumque iter fecit, cum omnibus incolis conflixit; neminem, nisi victum, dimisit. 4. Ad Alpes posteaquam venit, quae Italiam ab Gallia seiungunt, quas nemo umquam cum exercitu ante eum, praeter Herculem Graium, transierat (quo facto is hodie saltus Graius appellatur): Alpicos, conantes prohibere transitu, concidit, loca patefecit, itinera muniit, effecit [que], ut ea elephantus ornatus ire posset, qua antea unus homo inermis vix poterat repere. Hac copias traduxit, in Italiamque pervenit.

IV. Conflixerat apud Rhodanum cum P. Cornelio Scipione Cos. eumque pepulerat. Cum hoc eodem [de] Clastidio apud Padum decernit: saucium inde ac fugatum dimittit. 2. Tertio idem Scipio cum collega, Tiberio Longo, apud Trebiam adversus eum venit. Cum his manum conseruit: utrosque profligavit. Inde per Ligures Apenninum transiit, petens Etruriam. 3. Hoc itinere adeo gravi morbo afficitur oculorum, ut postea numquam dextero aeque bene usus sit. Qua valetudine quum etiam nunc premeretur, lecticaque ferretur, C. Flaminium Cos. apud Trasimenum cum exercitu insidiis circumventum occidit: neque multo post C. Centenium praetorem, cum delecta manu saltus occupantem. Hinc in Apuliam pervenit. 4. Ibi obviam ei venerunt duo Consules, C. Terentius et L. Aemilius. Vtriusque exercitus uno proelio fugavit; Paullum consulem occidit, et aliquot praeterea consulares, in his Cn. Servilium Geminum, qui anno superiore fuerat consul.

V. Hac pugna pugnata Romam profectus est,

nullo resistente. In propinquis urbis montibus moratus est. Quum aliquot ibi dies castra habuisset, et reverteretur Capuam; Q. Fabius Maximus, dictator Romanus, in agro Falerno se ei obiecit. 2. Hic clausus locorum angustiis noctu sine ullo detrimento exercitus se expedivit; Fabio, callidissimo imperatori, verba dedit. Namque obducta nocte sarmenta in cornibus iuvencorum deligata incendit, eiusque generis multitudinem magnam dispalatam immisit. Quo repentino obiectu viso tantum terrorem iniecit exercitui Romanorum, ut egredi extra vallum nemo sit ausus. 3. Hanc post rem gestam non ita multis diebus M. Minucium Rufum, magistrum equitum, pari ac dictatorem imperio, dolo productum in proelium, fugavit. Ti. Sempronium Gracchum, iterum consulem, in Lucanis absens in insidias inductum sustulit. M. Claudium Marcellum, quinquies consulem, apud Venusiam pari modo interfecit. 4. Longum est, enumerare proelia. Quare hoc unum satis erit dictum, ex quo intelligi possit, quantus ille fuerit: quamdiu in Italia fuit, nemo ei in acie restitit, nemo adversus eum post Cannensem pugnam in campo castra posuit.

VI. Hic invictus patriam defensum revocatus bellum gessit adversus P. Scipionem, filium eius, quem ipse primum apud Rhodanum, iterum apud Padum, tertio apud Trebiam fugaverat. Cum hoc, exhaustis iam patriae facultatibus, cupivit in praesentiarum bellum componere, quo valentior postea congrederetur. In colloquium convenit, conditiones non convenerunt. 3. Post id factum paucis diebus apud Zamam cum eodem conflixit: pulsus (incredibile dictu) biduo et duabus noctibus Hadrumetum pervenit, quod abest a Zama circiter millia passuum trecenta. 4. In hac fuga Numidae, qui simul cum eo ex acie excesserant, insidiati sunt ei; quos non solum effugit, sed etiam ipsos oppres-

sit. Hadrumeti reliquos ex fuga collegit: novis delectibus paucis diebus multos contraxit.

VII. Quum in apparando acerrime esset occupatus, Carthaginienses bellum cum Romanis composuerunt. Ille nihilo secius exercitui postea praefuit, resque in Africa gessit, [itemque Mago frater eius,] usque ad P. Sulpicium et C. Aurelium consules. 2. His enim magistratibus legati Carthaginienses Romam venerunt, qui senatui populoque Romano gratias agerent, quod cum his pacem fecissent, ob eamque rem corona aurea eos donarent, simulque peterent, ut obsides eorum Fregellis essent, captivique redderentur. 3. His ex senatus consulto responsum est: munus eorum gratum acceptumque esse; obsides, quo loco rogarent, futuros; captivos non remissuros, quod Hannibalem, cuius opera susceptum bellum foret, inimicissimum nomini Romano, etiam nunc cum imperio apud exercitum haberent, itemque fratrem eius Magonem. 4. Hoc responso Carthaginienses cognito Hannibalem domum Magonemque revocarunt. Huc ut rediit, praetor factus est, postquam rex fuerat, anno secundo et vicesimo. Vt enim Romae consules, sic Carthagine quotannis annui bini reges creabantur. 5. In eo magistratu pari diligentia se Hannibal praebuit, ac fuerat in bello. Namque effecit, ex novis vectigalibus non solum ut esset pecunia, quae Romanis ex foedere penderetur, sed etiam superesset, quae in aerario reponeretur. 6. Deinde, anno post praeturam, Marco Claudio, Lucio Furio Coss. Roma legati Carthaginem venerunt. Hos Hannibal sui exposcendi gratia missos ratus, priusquam his senatus daretur, navem conscendit clam, atque in Syriam ad Antiochum profugit. 7. Hac re palam facta, Poeni naves duas, quae eum comprehenderent, si possent consequi, mise-

runt; bona eius publicarunt; domum a fundamentis disiecerunt; ipsum exsulem iudicarunt.

VIII. At Hannibal anno post, quam domo profugerat, L. Cornelio, Quinto Minucio Coss. cum quinque navibus Africam accessit in finibus Cyrenaeorum, si forte Carthaginienses ad bellum Antiochi spe fiduciaque inducere posset: cui iam persuaserat, ut cum exercitibus in Italiam proficisceretur. Huc Magonem fratrem excivit. 2. Id ubi Poeni resciverunt, Magonem eadem, qua fratrem, absentem poena affecerunt. Illi desperatis rebus quum solvissent naves, ac vela ventis dedissent, Hannibal ad Antiochum pervenit. De Magonis interitu duplex memoria prodita est. Namque alii naufragio, alii a servis ipsius interfectum eum, scriptum reliquerunt. 3. Antiochus autem, si tam in agendo bello parere voluisset consiliis eius, quam in suscipiendo instituerat, propius Tiberi, quam Thermopylis de summa imperii dimicasset. Quem etsi multa stulte conari videbat, tamen nulla deseruit in re. 4. Praefuit paucis navibus, quas ex Syria iussus erat in Asiam ducere, hisque adversus Rhodiorum classem in Pamphylio mari conflixit. Quo quum multitudine adversariorum sui superarentur, ipse, quo cornu rem gessit, fuit superior.

IX. Antiocho fugato, verens, ne dederetur, quod sine dubio accidisset, si sui fecisset potestatem, Cretam ad Gortynios venit, ut ibi, quo se conferret, consideraret. 2. Vidit autem vir omnium callidissimus, magno se fore periculo, nisi quid providisset, propter avaritiam Cretensium. Magnam enim secum pecuniam portabat, de qua sciebat exisse famam. 3. Itaque capit tale consilium. Amphoras complures complet plumbo; summas operit auro et argento. Has, praesentibus principibus, deponit in templo Dianae, simulans, se suas fortunas illorum fidei credere. His in errorem in-

ductis, statuas aeneas, quas secum portabat, omnes sua pecunia complet, easque in propatulo domi abiicit. 4. Gortynii templum magna cura custodiunt, non tam a ceteris, quam ab Hannibale, ne ille, inscientibus his, tolleret secumque duceret.

X. Sic, conservatis suis rebus, Poenus, illusis Cretensibus omnibus, ad Prusiam in Pontum pervenit. Apud quem eodem animo fuit erga Italiam, neque aliud quidquam egit, quam regem armavit et exercuit adversus Romanos. 2. Quem quum videret domesticis rebus minus esse robustum, conciliabat ceteros reges, adiungebatque bellicosas nationes. Dissidebat ab eo Pergamenus rex, Eumenes, Romanis amicissimus, bellumque inter eos gerebatur et mari et terra: quo magis cupiebat eum Hannibal opprimi. 3. Sed utrobique Eumenes plus valebat propter Romanorum societatem: quem si removisset, faciliora sibi cetera fore arbitrabatur. Ad hunc interficiendum talem iniit rationem. 4. Classe paucis diebus erant decreturi. Superabatur navium multitudine: dolo erat pugnandum, quum par non esset armis. Imperavit quam plurimas venenatas serpentes vivas colligi, easque in vasa fictilia coniici. 5. Harum quum confecisset magnam multitudinem, die ipso, quo facturus erat navale proelium, classiarios convocat, hisque praecipit, omnes ut in unam Eumenis regis concurrant navem, a ceteris tantum satis habeant se defendere. Id facile illos serpentium multitudine consecuturos. 6. Rex autem in qua nave veheretur, ut scirent, se facturum; quem si aut cepissent, aut interfecissent, magno his pollicetur praemio fore.

XI. Tali cohortatione militum facta, classis ab utrisque in proelium deducitur. Quarum acie constituta, priusquam signum pugnae daretur, Hannibal, ut palam faceret suis, quo loco Eumenes esset,

tabellarium in scapha cum caduceo mittit. 2. Qui ubi ad naves adversariorum pervenit, epistolamque ostendens se regem professus est quaerere, statim ad Eumenem deductus est, quod nemo dubitabat, aliquid de pace esse scriptum. Tabellarius, ducis nave declarata suis, eodem, unde ierat, se recepit. 3. At Eumenes, soluta epistola, nihil in ea repperit, nisi quod ad irridendum eum pertineret. Cuius etsi causam mirabatur, neque reperiebatur, tamen proelium statim committere non dubitavit. 4. Horum in concursu Bithyni Hannibalis praecepto universi navem Eumenis adoriuntur. Quorum vim rex quum sustinere non posset, fuga salutem petiit: quam consecutus non esset, nisi intra sua praesidia se recepisset, quae in proximo litore erant collocata. 5. Reliquae Pergamenae naves quum adversarios premerent acrius, repente in eas vasa fictilia, de quibus supra mentionem fecimus, conici coepta sunt. Quae iacta initio risum pugnantibus concitarunt, neque, quare id fieret, poterat intelligi. 6. Postquam autem naves completas conspexerunt serpentibus, nova re perterriti, quum, quid potissimum vitarent, non viderent, puppes averterunt, seque ad sua castra nautica rettulerunt. 7. Sic Hannibal consilio arma Pergamenorum superavit: neque tum solum, sed saepe alias pedestribus copiis pari prudentia pepulit adversarios.

XII. Quae dum in Asia geruntur, accidit casu, ut legati Prusiae Romae apud L. Quintium Flamininum, consularem, coenarent, atque ibi, de Hannibale mentione facta, ex his unus diceret, eum in Prusiae regno esse. 2. Id postero die Flamininus senatui detulit. Patres conscripti, qui, Hannibale vivo, numquam se sine insidiis futuros existimarent, legatos in Bithyniam miserunt, in his Flamininum, qui ab rege peterent, ne inimicissimum suum se-

cum haberet, sibique dederet. 3. His Prusias negare ausus non est; illud recusavit, ne id a se fieri postularent, quod adversus ius hospitii esset; ipsi, si possent, comprehenderent: locum, ubi esset, facile inventuros. Hannibal enim uno loco se tenebat in castello, quod ei ab rege datum erat muneri: idque sic aedificarat, ut in omnibus partibus aedificii exitum sibi haberet, semper verens, ne usu veniret, quod accidit. 4. Huc quum legati Romanorum venissent, ac multitudine domum eius circumdedissent, puer ab ianua prospiciens Hannibali dixit, plures praeter consuetudinem armatos apparere. Qui imperavit ei, ut omnes fores aedificii circumiret, ac propere sibi renuntiaret, num eodem modo undique obsideretur. 5. Puer quum celeriter, quid esset, renuntiasset, omnesque exitus occupatos ostendisset; sensit, id non fortuito factum, sed se peti, neque sibi diutius vitam esse retinendam. Quam ne alieno arbitrio dimitteret, memor pristinarum virtutum, venenum, quod semper secum habere consueverat, sumsit.

XIII. Sic vir fortissimus, multis variisque perfunctus laboribus, anno acquievit septuagesimo. Quibus consulibus interierit, non convenit. Namque Atticus, Marco Claudio Marcello, Q. Fabio Labeone Coss. mortuum, in annali suo scriptum reliquit; at Polybius, L. Aemilio Paullo et Cn. Baebio Tamphilo; Sulpicius autem, P. Cornelio Cethego, M. Baebio Tamphilo. 2. Atque hic tantus vir tantisque bellis districtus nonnihil temporis tribuit litteris. Namque aliquot eius libri sunt, Graeco sermone confecti; in his ad Rhodios de Cn. Manlii Vulsonis in Asia rebus gestis. 3. Huius bella gesta multi memoriae prodiderunt: sed ex his duo, qui cum eo in castris fuerunt simulque vixerunt, quamdiu fortuna passa est, Silenus, et Sosilus Lacedaemonius. Atque hoc Sosilo Hannibal litterarum

Graecarum usus est doctore. 4. Sed nos tempus est huius libri facere finem, et Romanorum explicare imperatores: quo facilius collatis utrorumque factis, qui viri praeferendi sint, possit iudicari.

◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆

# XXIV.

# M. PORCIVS CATO.

## I.

*Cato, ortus municipio Tusculo,* adolescentulus, priusquam honoribus operam daret, versatus est in Sabinis, quod ibi heredium a patre relictum habebat. Hortatu L. Valerii Flacci, quem in consulatu censuraque habuit collegam, ut M. Perperna Censorius narrare solitus est, Romam demigravit, in foroque esse coepit. 2. Primum stipendium meruit annorum decem septemque, Q. Fabio, M. Claudio Consulibus. Tribunus militum in Sicilia fuit. Inde ut rediit, castra secutus est C. Claudii Neronis, magnique opera eius existimata est in proelio apud Senam, quo cecidit Hasdrubal, frater Hannibalis. 3. Quaestor obtigit P. Africano, consuli, cum quo non pro sortis necessitudine vixit; namque ab eo perpetua dissensit vita. Aedilis plebis factus est cum C. Helvio. 4. Praetor provinciam obtinuit Sardiniam, ex qua quaestor superiore tempore ex Africa decedens Q. Ennium poëtam deduxerat: quod non minoris existimamus, quam quemlibet amplissimum Sardiniensem triumphum.

II. Consulatum gessit cum L. Valerio Flacco, sorte provinciam nactus Hispaniam citeriorem, exque ea triumphum deportavit. 2. Ibi quum diutius moraretur, P. Scipio Africanus, Consul iterum, cuius in priori consulatu quaestor fuerat, voluit eum

de provincia depellere, et ipse ei succedere. Neque hoc per senatum efficere potuit, quum quidem Scipio in civitate principatum obtineret: quod tum non potentia, sed iure respublica administrabatur. Qua ex re iratus senatui, consulatu peracto, privatus in urbe mansit. 3. At Cato, censor cum eodem Flacco factus, severe praefuit ei potestati. Nam et in complures nobiles animadvertit, et multas res novas in edictum addidit, qua re luxuria reprimeretur, quae iam tum incipiebat pullulare. 4. [Circiter annos octoginta,] Usque ad extremam aetatem ab adolescentia, reip. causa suscipere inimicitias non destitit. A multis tentatus non modo nullum detrimentum existimationis fecit, sed, quoad vixit, virtutum laude crevit.

III. In omnibus rebus singulari fuit prudentia et industria. Nam et agricola sollers, et reipubl. peritus, et iuris consultus, et magnus imperator, et probabilis orator, et cupidissimus litterarum fuit. 2. Quarum studium etsi senior arripuerat, tamen tantum progressum fecit, ut non facile reperire possis, neque de Graecis, neque de Italicis rebus, quod ei fuerit incognitum. Ab adolescentia confecit orationes. 3. Senex historias scribere instituit, quarum sunt libri septem. Primus continet res gestas regum populi Romani; secundus et tertius, unde quaeque civitas orta sit Italica: ob quam rem omnes Origines videtur appellasse. In quarto autem bellum Poenicum primum; in quinto secundum. 4. Atque haec omnia capitulatim sunt dicta. Reliquaque bella pari modo persecutus est, usque ad praeturam Ser. Galbae, qui diripuit Lusitanos. Atque horum bellorum duces non nominavit, sed sine nominibus res notavit. In iisdem exposuit, quae in Italia Hispaniisque viderentur admiranda. In quibus multa industria et diligentia comparet, multa doctrina. 5. Huius de vita et moribus plura in eo

libro persecuti sumus, quem separatim de eo fecimus rogatu Titi Pomponii Attici. Quare studiosos Catonis ad illud volumen delegamus.



# XXV.

# T. POMPONIVS ATTICVS.

## I.

*T. Pomponius Atticus*, ab origine ultima stirpis Romanae generatus, perpetuo a maioribus acceptam equestrem obtinuit dignitatem. 2. Patre usus est diligente, indulgente, et, ut tum erant tempora, diti, inprimisque studioso litterarum. Hic, prout ipse amabat litteras, omnibus doctrinis, quibus puerilis aetas impertiri debet, filium erudivit. 3. Erat autem in puero, praeter docilitatem ingenii, summa suavitas oris ac vocis, ut non solum celeriter acciperet, quae tradebantur, sed etiam excellenter pronunciaret. Qua ex re in pueritia nobilis inter aequales ferebatur, clariusque exsplendescebat, quam generosi condiscipuli animo aequo ferre possent. 4. Itaque incitabat omnes studio suo; quo in numero fuerunt L. Torquatus, C. Marius filius, M. Cicero: quos consuetudine sua sic sibi devinxit, ut nemo iis perpetuo fuerit carior.

II. Pater mature decessit. Ipse adolescentulus propter affinitatem P. Sulpicii, qui tribunus plebis interfectus est, non expers fuit illius periculi. Namque Anicia, Pomponii consobrina, nupserat M. Servio, fratri Sulpicii. 2. Itaque interfecto Sulpicio posteaquam vidit, Cinnano tumultu civitatem esse perturbatam, neque sibi dari facultatem pro dignitate vivendi, quin alterutram partem offenderet, dissociatis animis civium, cum alii Sullanis

alii Cinnanis faverent partibus; idoneum tempus ratus studiis obsequendi suis, Athenas se contulit. Neque eo secius adolescentem Marium, hostem iudicatum, iuvit opibus suis; cuius fugam pecunia sublevavit. 3. Ac, ne illa peregrinatio detrimentum aliquod afferret rei familiari, eodem magnam partem fortunarum traiecit suarum. Hic ita vixit, ut universis Atheniensibus merito esset carissimus. 4. Nam praeter gratiam, quae iam in adolescentulo magna erat, saepe suis opibus inopiam eorum publicam levavit. Quum enim versuram facere publice necesse esset, neque eius conditionem aequam haberent; semper se interposuit, atque ita, ut neque usuram umquam ab iis acceperit, neque longius, quam dictum esset, [eos] debere passus sit. 5. Quod utrumque erat iis salutare. Nam neque indulgendo inveterascere eorum aes alienum patiebatur, neque multiplicandis usuris crescere. 6. Auxit hoc officium alia quoque liberalitate. Nam universos frumento donavit, ita ut singulis septem modii tritici darentur: qui modus mensurae medimnus Athenis appellatur.

III. Hic autem sic se gerebat, ut communis infimis, par principibus videretur. Quo factum est, ut huic omnes honores, quos possent, publice haberent, civemque facere studerent: quo beneficio ille uti noluit. [Quod' nonnulli ita interpretantur, amitti civitatem Romanam alia adscita.] 2. Quamdiu affuit, ne qua sibi statua poneretur, restitit; absens prohibere non potuit. Itaque aliquot ipsi et Phidiae locis sanctissimis posuerunt: hunc enim in omni procuratione reipubl. actorem auctoremque habebant. 2. Igitur primum illud munus fortunae, quod in ea potissimum urbe natus est, in qua domicilium orbis terrarum esset imperii, ut eamdem et patriam haberet et domum; hoc specimen prudentiae, quod, quum in eam se civitatem contulisset, quae

antiquitate, humanitate, doctrina praestaret omnes, unus ei ante alios fuerit carissimus.

IV. Huc ex Asia Sulla decedens quum venisset, quamdiu ibi fuit, secum habuit Pomponium, captus adolescentis et humanitate et doctrina. Sic enim Graece loquebatur, ut Athenis natus videretur. Tanta autem suavitas erat sermonis Latini, ut appareret, in eo nativum quemdam leporem esse, non adscitum. Idem poëmata pronuntiabat et graece et latine sic, ut supra nihil posset addi. 2. Quibus rebus factum est, ut Sulla nusquam [eum] ab se dimitteret, cuperetque secum deducere. Qui quum persuadere tentaret, *noli, oro te,* inquit Pomponius, *adversum eos me velle ducere, cum quibus ne contra te arma ferrem, Italiam reliqui.* At Sulla, adolescentis officio collaudato, omnia munera ei, quae Athenis acceperat, proficiscens iussit deferri. 3. Hic complures annos moratus, quum et rei familiari tantum operae daret, quantum non indiligens deberet paterfamilias, et omnia reliqua tempora aut litteris, aut Atheniensium reipubl. tribueret, nihilominus amicis urbana officia praestitit. 4. Nam et ad comitia eorum ventitavit, et, si qua res maior acta est, non defuit; sicut Ciceroni in omnibus [eius] periculis singularem fidem praebuit: cui ex patria fugienti HS. ducenta et quinquaginta millia donavit. 5. Tranquillatis autem rebus Romanis, remigravit Romam, ut opinor, L. Cotta et L. Torquato Coss. quem diem sic universa civitas Atheniensium prosecuta est, ut lacrimis desiderii futuri dolorem indicaret.

V. Habebat avunculum Q. Caecilium, equitem Romanum, familiarem L. Luculli, divitem, difficillima natura: cuius sic asperitatem veritus est, ut, quem nemo ferre posset, huius sine offensione ad summam senectutem retinuerit benevolentiam. Quo facto tulit pietatis fructum. 2. Caecilius enim

moriens testamento adoptavit eum, heredemque fecit ex dodrante: ex qua hereditate accepit circiter centies LLS. 3. Erat nupta soror Attici Q. Tullio Ciceroni: easque nuptias M. Cicero conciliarat, cum quo a condiscipulatu vivebat coniunctissime, multo etiam familiarius, quam cum Quinto, ut iudicari possit, plus in amicitia valere similitudinem morum, quam affinitatem. 4. Vtebatur autem intime Q. Hortensio, qui his temporibus principatum eloquentiae tenebat, ut intelligi non posset, uter eum plus diligeret, Cicero, an Hortensius: et id, quod erat difficillimum, efficiebat, ut, inter quos tantae laudis esset aemulatio, nulla intercederet obtrectatio, essetque talium virorum copula.

VI. In republ. ita versatus est, ut semper optimarum partium et esset et existimaretur, neque tamen se civilibus fluctibus committeret, quod non magis eos in sua potestate existimabat esse, qui se his dedissent, quam qui maritimis iactarentur. 2. Honores non petiit, quum ei paterent propter vel gratiam vel dignitatem: quod neque peti more maiorum, neque capi possent conservatis legibus, in tam effusis ambitus largitionibus, neque geri e republ. sine periculo, corruptis civitatis moribus. 3. Ad hastam publicam numquam accessit. Nullius rei neque praes, neque manceps factus est. Neminem neque suo nomine, neque subscribens, accusavit. In ius de sua re numquam iit; iudicium nullum habuit. 4. Multorum consulum praetorumque praefecturas delatas sic accepit, ut neminem in provinciam sit secutus, honore fuerit contentus, rei familiaris despexerit fructum: qui ne cum Q. quidem Cicerone voluerit ire in Asiam, quum apud eum legati locum obtinere posset. Non enim decere se arbitrabatur, quum praeturam gerere noluisset, asseclam esse praetoris. 5. Qua in re non solum dignitati serviebat, sed etiam tranquillitati, quum

suspiciones quoque vitaret criminum. Quo fiebat, ut eius observantia omnibus esset carior, quum eam officio, non timori neque spei tribui viderent.

VII. Incidit Caesarianum civile bellum, quum haberet annos circiter sexaginta. Vsus est aetatis vacatione, neque [se] quoquam movit ex urbe. Quae amicis suis opus fuerant ad Pompeium proficiscentibus, omnia ex sua re familiari dedit. 2. Ipsum Pompeium coniunctum non offendit: nullum [enim] ab eo habebat ornamentum, ut ceteri, qui per eum aut honores, aut divitias ceperant; quorum partim invitissimi castra sunt secuti, partim summa cum eius offensione domi remanserunt. 3. Attici autem quies tantopere Caesari fuit grata, ut, victor quum privatis pecunias per epistolas imperaret, huic non solum molestus non fuerit, sed etiam sororis filium et Q. Ciceronem ex Pompeii castris concesserit. Sic vetere instituto vitae effugit nova pericula.

VIII. Secutum est illud. Occiso Caesare, quum respubl. penes Brutos videretur esse et Cassium, ac tota civitas se ad eos convertisse [videretur]: 2. sic M. Bruto usus est, ut nullo ille adolescens aequali familiarius, quam hoc sene, neque solum eum principem consilii haberet, sed etiam in convictu. 3. Excogitatum est a quibusdam, ut privatum aerarium Caesaris interfectoribus ab equitibus Rom. constitueretur. Id facile effici posse arbitrati sunt, si et principes illius ordinis pecunias contulissent. Itaque appellatus est a C. Flavio, Bruti familiari, Atticus, ut eius rei princeps esse vellet. 4. At ille, qui officia amicis praestanda sine factione existimaret, semperque a talibus se consiliis removisset, respondit: si quid Brutus de suis facultatibus uti voluisset, usurum, quantum hae paterentur; se neque cum quoquam de ea re collocuturum, neque coiturum. Sic ille consensionis globus huius unius dis-

sensione disiectus est. 5. Neque multo post superior esse coepit Antonius, ita ut Brutus et Cassius, provinciarum, quae iis necis causa datae erant a consulibus, desperatis rebus, in exsilium proficiscerentur. 6. Atticus, qui pecuniam simul cum ceteris conferre noluerat florenti illi parti, abiecto Bruto Italiaque cedenti LLS. centum millia muneri misit. Eidem in Epiro absens trecenta iussit dari; neque eo magis potenti adulatus est Antonio, neque desperatos reliquit.

IX. Secutum est bellum gestum apud Mutinam. In quo si tantum eum prudentem dicam, minus, quam debeam, praedicem, quum ille potius divinus fuerit: si divinatio appellanda est perpetua naturalis bonitas, quae nullis casibus neque agitur, neque minuitur. 2. Hostis Antonius iudicatus Italia cesserat; spes restituendi nulla erat. Non solum [eius] inimici, qui tum erant potentissimi et plurimi, sed etiam, qui adversariis eius se dabant, et in eo laedendo aliquam consecuturos [se] sperabant commendationem, Antonii familiares insequebantur; uxorem Fulviam omnibus rebus spoliare cupiebant; liberos etiam exstinguere parabant. 3. Atticus, quum Ciceronis intima familiaritate uteretur, amicissimus esset Bruto, non modo nihil iis indulsit ad Antonium violandum, sed e contrario familiares eius ex urbe profugientes, quantum potuit, texit, quibus rebus indiguerunt, adiuvit. 4. P. vero Volumnio ea tribuit, ut plura a parente proficisci non potuerint. Ipsi autem Fulviae, quum litibus distineretur magnisque terroribus vexaretur, tanta diligentia officium suum praestitit, ut nullum illa stiterit vadimonium sine Attico, hic sponsor omnium rerum fuerit. 5. Quin etiam, quum illa fundum secunda fortuna emisset in diem, neque post calamitatem versuram facere potuisset, ille se interposuit pecuniamque sine fenore sineque ulla stipula-

tione [ei] credidit, maximum existimans quaestum, memorem gratumque cognosci, simulque aperire, se non fortunae, sed hominibus solere esse amicum. 6. Quae quum faciebat, nemo eum temporis causa facere poterat existimare. Nemini enim in opinionem veniebat, Antonium rerum potiturum. 7. Sed sensim is a nonnullis optimatibus reprehendebatur, quod parum odisse malos cives videretur. Ille autem sui iudicii potius, quid se facere par esset, intuebatur, quam quid alii laudaturi forent.

X. Conversa subito fortuna est. Vt Antonius rediit in Italiam, nemo non magno in periculo Atticum putarât propter intimam familiaritatem Ciceronis et Bruti. 2. Itaque ad adventum imperatorum de foro decesserat, timens proscriptionem, latebatque apud P. Volumnium, cui, ut ostendimus, paullo ante opem tulerat: (tanta varietas iis temporibus fuit fortunae, ut modo hi, modo illi in summo essent aut fastigio, aut periculo) habebatque secum Q. Gellium Canum, aequalem simillimumque sui. 3. Hoc quoque sit Attici bonitatis exemplum, quod cum eo, quem puerum in ludo cognoverat, adeo coniuncte vixit, ut ad extremam aetatem amicitia eorum creverit. 4. Antonius autem, etsi tanto odio ferebatur in Ciceronem, ut non solum ei, sed omnibus etiam eius amicis esset inimicus, eosque vellet proscribere, multis hortantibus tamen Attici memor fuit officii, et ei, quum requisisset, ubinam esset, sua manu scripsit, ne timeret, statimque ad se veniret: se eum, et illius causa [Gellium] Canum de proscriptorum numero exemisse. Ac, ne quod [in] periculum incideret, quod noctu fiebat, praesidium ei misit. 5. Sic Atticus in summo timore non solum sibi, sed etiam ei, quem carissimum habebat, praesidio fuit. Neque enim suae solum a quoquam auxilium petiit salutis, sed coniunctim: ut appareret, nullam seiunctam sibi ab eo velle for-

tunam. 6. Quod si gubernator praecipua laude fertur, qui navem ex hieme marique scopuloso servat: cur non singularis eius existimetur prudentia, qui ex tot tamque gravibus procellis civilibus ad incolumitatem pervenit?

XI. Quibus ex malis ut se emerserat, nihil aliud egit, quam ut plurimis, quibus rebus posset, esset auxilio. Quum proscriptos praemiis imperatorum vulgus conquireret, nemo in Epirum venit, cui res ulla defuerit; nemini non ibi perpetuo manendi potestas facta est. 2. Qui etiam post proelium Philippense interitumque C. Cassii et M. Bruti L. Iulium Mocillam, praetorium, et eius filium, Aulumque Torquatum, ceterosque pari fortuna perculsos, instituerit tueri, atque ex Epiro his omnia Samothraciam supportari iusserit. 3. Difficile est, omnia persequi, et non necessarium. Illud unum intelligi volumus, illius liberalitatem neque temporariam, neque callidam fuisse. 4. Id ex ipsis rebus ac temporibus iudicari potest, quod non florentibus se venditavit, sed afflictis semper succurrit: qui quidem Serviliam, Bruti matrem, non minus post mortem eius, quam florente, coluerit. 5. Sic liberalitate utens nullas inimicitias gessit: quod neque laedebat quemquam, neque, si quam iniuriam acceperat, malebat ulcisci, quam oblivisci. Idem immortali memoria percepta retinebat beneficia; quae autem ipse tribuerat, tamdiu meminerat, quoad ille gratus erat, qui acceperat. 6. Itaque hic fecit, ut vere dictum videatur: *Sui cuique mores fingunt fortunam*. Neque tamen prius ille fortunam, quam se ipse, finxit: qui cavit, ne qua in re iure plecteretur.

XII. His igitur rebus effecit, ut M. Vipsanius Agrippa, intima familiaritate coniunctus adolescenti Caesari, quum propter suam gratiam et Caesaris potentiam nullius conditionis non haberet potesta-

tem, potissimum eius deligeret affinitatem, praeoptaretque equitis Romani filiam generosarum nuptiis. 2. Atque harum nuptiarum conciliator fuit (non est enim celandum) M. Antonius, triumvir reipubl. constituendae: cuius gratia quum augere possessiones posset suas, tantum abfuit a cupiditate pecuniae, ut nulla in re usus sit ea, nisi in deprecandis amicorum aut periculis, aut incommodis. 3. Quod quidem sub ipsa proscriptione perillustre fuit. Nam quum L. Saufeii, equitis Romani, aequalis sui, qui complures annos, studio ductus philosophiae, Athenis habitabat, habebatque in Italia pretiosas possessiones, triumviri bona vendidissent consuetudine ea, qua tum res gerebantur: Attici labore atque industria factum est, ut eodem nuntio Saufeius fieret certior, se patrimonium amisisse et recuperasse. 4. Idem L. Iulium Calidum, quem post Lucretii Catullique mortem multo elegantissimum poëtam nostram tulisse aetatem vere videor posse contendere, neque minus virum bonum optimisque artibus eruditum, post proscriptionem equitum propter magnas eius Africanas possessiones in proscriptorum numerum a P. Volumnio, praefecto fabrum Antonii, absentem relatum, expedivit. 5. Quod in praesenti utrum ei laboriosius an gloriosius fuerit, difficile fuit iudicare: quod in eorum periculis, non secus absentes, quam praesentes amicos Attico esse curae, cognitum est.

XIII. Neque vero minus ille vir bonus paterfamilias habitus est, quam civis. Nam quum esset pecuniosus, nemo illo minus fuit emax, minus aedificator. Neque tamen non in primis bene habitavit, omnibusque optimis rebus usus est. 2. Nam domum habuit in colle Quirinali Tamphilanam, ab avunculo hereditate relictam: cuius amoenitas non aedificio, sed silva constabat. Ipsum enim tectum, antiquitus constitutum, plus salis, quam sumtus

habebat: in quo nihil commutavit, nisi si quid vetustate coactus est. 3. Vsus est familia, si utilitate iudicandum est, optima; si forma, vix mediocri. Namque in ea erant pueri litteratissimi, anagnostae optimi, et plurimi librarii, ut ne pedisequus quidem quisquam esset, qui non utrumque horum pulchre facere posset; pari modo artifices ceteri, quos cultus domesticus desiderat, apprime boni. 4. Neque tamen horum quemquam, nisi domi natum domique factum, habuit: quod est signum non solum continentiae, sed etiam diligentiae. Nam et non intemperanter concupiscere, quod a plurimis videas, continentis debet duci: et potius diligentia, quam pretio, parare, non mediocris est industriae. 5. Elegans, non magnificus; splendidus, non sumtuosus; omni diligentia mundiciam, non affluentiam, affectabat. Supellex modica, non multa, ut in neutram partem conspici posset. 6. Nec praeteribo, quamquam nonnullis leve visum iri putem: quum inprimis lautus esset eques Romanus, et non parum liberaliter domum suam omnium ordinum homines invitaret, [scimus,] non amplius, quam terna millia aeris, peraeque in singulos menses, ex ephemeride eum expensum sumtui ferre solitum. 7. Atque hoc non auditum, sed cognitum praedicamus. Saepe enim propter familiaritatem domesticis rebus interfuimus.

XIV. Nemo in convivio eius aliud acroama audivit, quam anagnosten: quod nos quidem iucundissimum arbitramur. Neque umquam sine aliqua lectione apud eum coenatum est, ut non minus animo, quam ventre convivae delectarentur. 2. Namque eos vocabat, quorum mores a suis non abhorrerent. Quum tanta pecuniae facta esset accessio, nihil de quotidiano cultu mutavit, nihil de vitae consuetudine: tantaque usus est moderatione, ut neque in sestertio vicies, quod a patre acceperat, parum se

splendide gesserit, neque in sestertio centies affluentius vixerit, quam instituerat, parique fastigio steterit in utraque fortuna. 3. Nullos habuit hortos, nullam suburbanam aut maritimam sumtuosam villam, neque in Italia, praeter Ardeatinum et Nomentanum, rusticum praedium: omnisque eius pecuniae reditus constabat in Epiroticis et urbanis possessionibus. Ex quo cognosci potest, usum eum pecuniae non magnitudine, sed ratione metiri solitum.

XV. Mendacium neque dicebat, neque pati poterat. Itaque eius comitas non sine severitate erat, neque gravitas sine facilitate, ut difficile esset intellectu, utrum eum amici magis vererentur, an amarent. Quidquid rogabatur, religiose promittebat: quod non liberalis, sed levis arbitrabatur, polliceri, quod praestare non posset. 2. Idem in nitendo, quod semel annuisset, tanta erat cura, ut non mandatam, sed suam rem videretur agere. Numquam suscepti negotii eum pertaesum est. Suam enim existimationem in ea re agi putabat: qua nihil habebat carius. 3. Quo fiebat, ut omnia Ciceronum, Catonis, [Marii, Q.] Hortensii, Auli Torquati, multorum praeterea equitum Romanorum negotia procuraret. Ex quo iudicari poterat, non inertia, sed iudicio fugisse reipublicae procurationem.

XVI. Humanitatis vero nullum afferre maius testimonium possum, quam quod adolescens idem seni Sullae fuerit iucundissimus, senex adolescenti M. Bruto; cum aequalibus autem suis, Q. Hortensio et M. Cicerone, sic vixerit, ut iudicare difficile sit, cui aetati fuerit aptissimus. 2. Quamquam eum praecipue dilexit Cicero, ut ne frater quidem ei Quintus carior fuerit aut familiarior. 3 Ei rei sunt indicio, praeter eos libros, in quibus de eo facit mentionem, qui in vulgus [iam] sunt editi, sexdecim volumina epistolarum, ab consulatu eius usque ad extremum tem-

pus ad Atticum missarum: quae qui legat, non multum desideret historiam contextam illorum temporum. 4. Sic enim omnia de studiis principum, vitiis ducum, mutationibus reipubl. perscripta sunt, ut nihil in iis non appareat, et facile existimari possit, prudentiam quodammodo esse divinationem. Non enim Cicero ea solum, quae vivo se acciderunt, futura praedixit, sed etiam, quae nunc usu veniunt, cecinit, ut vates.

XVII. De pietate autem Attici quid plura commemorem? quum hoc ipsum vere gloriantem audierim in funere matris suae, quam extulit annorum nonaginta, quum esset septem et sexaginta, se numquam cum matre in gratiam redisse, numquam cum sorore fuisse in simultate, quam prope aequalem habebat. 2. Quod est signum, aut nullam umquam inter eos querimoniam intercessisse, aut hunc ea fuisse in suos indulgentia, ut, quos amare deberet, irasci eis nefas duceret. 3. Neque id fecit natura solum, quamquam omnes ei paremus, sed etiam doctrina. Nam et principum philosophorum ita percepta habuit praecepta, ut iis ad vitam agendam, non ad ostentationem, uteretur.

XVIII. Moris etiam maiorum summus imitator fuit antiquitatisque amator: quam adeo diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo volumine exposuerit, quo magistratus ornavit. 2. Nulla enim lex, neque pax, neque bellum, neque res illustris est populi Romani, quae non in eo suo tempore sit notata: et, quod difficillimum fuit, sic familiarum originem subtexuit, ut ex eo clarorum virorum propagines possimus cognoscere. 3. Fecit hoc idem separatim in aliis libris: ut M. Bruti rogatu Iuniam familiam a stirpe ad hanc aetatem ordine enumeravit, notans, qui, a quo ortus, quos honores, quibusque temporibus cepisset. 4. Pari modo Marcelli Claudii, Marcellorum; Scipionis Cornelii et Fabii

Maximi, Fabiorum et Aemiliorum quoque: quibus libris nihil potest esse dulcius iis, qui aliquam cupiditatem habent notitiae clarorum virorum. 5. Attigit quoque poëticen: credimus, ne eius expers esset suavitatis. Namque versibus, qui honore rerumque gestarum amplitudine ceteros Romani populi praestiterunt, exposuit ita, 6. ut sub singulorum imaginibus facta magistratusque eorum non amplius quaternis quinisve versibus descripserit: quod vix credendum sit, tantas res tam breviter potuisse declarari. Est etiam unus liber, Graece confectus, de consulatu Ciceronis.

XIX. Hactenus Attico vivo edita [haec] a nobis sunt. Nunc, quoniam fortuna nos superstites ei esse voluit, reliqua persequemur, et, quantum potuerimus, rerum exemplis lectores docebimus, sicut supra significavimus, suos cuique mores plerumque conciliare fortunam. 2. Namque hic contentus ordine equestri, quo erat ortus, in affinitatem pervenit imperatoris Divi filii: quum iam ante familiaritatem eius esset consecutus nulla alia re, quam elegantia vitae, qua ceteros ceperat principes civitatis, dignitate pari, fortuna humiliore. 3. Tanta enim prosperitas Caesarem est consecuta, ut nihil ei non tribuerit fortuna, quod cuiquam ante detulerit, et conciliarit, quod nemo adhuc civis Romanus quivit consequi. 4. Natu est autem Attico neptis ex Agrippa, cui virginem filiam collocarat. Hanc Caesar, vix anniculam, Tiberio Claudio Neroni, Drusilla nato, privigno suo, despondit: quae coniunctio necessitudinem eorum sanxit, familiaritatem reddidit frequentiorem.

XX. Quamvis ante haec sponsalia non solum, quum ab urbe abesset, numquam ad suorum quemquam litteras misit, quin Attico mitteret, quid ageret, inprimis, quid legeret, quibusque in locis, et quam diu esset moraturus: 2. sed etiam, quum esset in

urbe, et propter suas infinitas occupationes minus saepe, quam vellet, Attico frueretur, nullus dies temere intercessit, quo non ad eum scriberet, quum modo aliquid de antiquitate ab eo requireret, modo aliquam [ei] quaestionem poëticam proponeret, interdum iocans eius verbosiores eliceret epistolas. 3. Ex quo accidit, quum aedis Iovis Feretrii, in Capitolio ab Romulo constituta, vetustate atque incuria detecta prolaberetur, ut Attici admonitu Caesar eam reficiendam curaret. 4. Neque vero ab M. Antonio minus absens litteris colebatur: adeo, ut accurate ille ex ultimis terris, quid ageret, quid curae sibi haberet, certiorem faceret Atticum. 5. Hoc quale sit, facilius existimabit is, qui iudicare poterit, quantae sit sapientiae, eorum retinere usum benevolentiamque, inter quos maximarum rerum non solum aemulatio, sed obtrectatio tanta intercedebat, quantam fuit incidere necesse inter Caesarem atque Antonium, quum se uterque principem non solum urbis Romanae, sed orbis terrarum esse cuperet.

XXI. Tali modo quum septem et septuaginta annos complesset, atque ad extremam senectutem non minus dignitate, quam gratia fortunaque crevisset, (multas enim hereditates nulla alia re, quam bonitate, est consecutus) tantaque prosperitate usus esset valetudinis, ut annis triginta medicina non indiguisset: 2. nactus est morbum, quem initio et ipse et medici contemserunt. Nam putarunt esse tenesmon, cui remedia celeria faciliaque proponebantur. 3. In hoc quum tres menses sine ullis doloribus, praeterquam quos ex curatione capiebat, consumsisset: subito tanta vis morbi in unum intestinum prorupit, ut extremo tempore per lumbos fistula putris eruperit. 4. Atque hoc priusquam ei accideret, postquam in dies dolores accrescere febresque accessisse sensit, Agrippam generum ad se

arcessi iussit, et cum eo L. Cornelium Balbum Sextumque Peducaeum. 5. Hos ut venisse vidit, in cubitum innixus: *quantam*, inquit, *curam diligentiamque in valetudine mea tuenda hoc tempore adhibuerim, quum vos testes habeam, nihil necesse est pluribus verbis commemorare. Quibus quoniam, ut spero, satisfeci, me nihil reliqui fecisse, quod ad sanandum me pertineret, reliquum est, ut egomet mihi consulam.* 6. *Id vos ignorare nolui. Nam mihi stat, alere morbum desinere. Namque his diebus quidquid cibi [potionisque] sumsi, ita produxi vitam, ut auxerim dolores sine spe salutis. Quare a vobis peto primum, ut consilium probetis meum: deinde, ne frustra dehortando conemini.*

XXII. Hac oratione habita tanta constantia vocis atque vultus, ut non ex vita, sed ex domo in domum videretur migrare, quum quidem Agrippa eum flens atque osculans oraret atque obsecraret, 2. ne ad id, quod natura cogeret, ipse quoque sibi accelerraret, et, quoniam tum quoque posset temporibus superesse, se sibi suisque reservaret, preces eius taciturna sua obstinatione depressit. 3. Sic quum biduum cibo se abstinuisset, subito febris decessit, leviorque morbus esse coepit. Tamen propositum nihilo secius peregit. Itaque die quinto post, quam id consilium inierat, pridie Calendas Apriles, Cn. Domitio, C. Sosio Coss. decessit. 4. Elatus est in lecticula, ut ipse praescripserat, sine ulla pompa funeris, comitantibus omnibus bonis, maxima vulgi frequentia. Sepultus est iuxta viam Appiam, ad quintum lapidem, in monumento Q. Caecilii, avunculi sui.

# CORNELII NEPOTIS
# FRAGMENTA.

## *Chronicorum Lib. I.*

De Homero et Hesiodo, inter omnes fere scriptores constitit, vtrumque ante Romam conditam vixisse, vt Cornelius Nepos in primo Chronicorum de Homero dixit, annis circiter centum et sexaginta. *A. Gell. N. A.* 17, 21, 3.

Nepoti et Lutatio Romam placet conditam Olympiadis septimae anno secundo. *Solin. Polyh.* c. 1. *ed. Salm.*

Archilochum Nepos Cornelius tradit Tullo Hostilio Romae regnante iam tunc poematis clarum et nobilem. *A. Gell. N. A.* 17, 21, 8.

M. Manlius Romae, qui Gallos in obsidione Capitolii obrepentes per ardua depulerat, conuictus est consilium de regno occupando iniisse: damnatusque capitis, e saxo Tarpeio, vt M. Varro ait, praeceps datus est: vt Cornelius autem Nepos scriptum reliquit, verberando necatus est. *Gell. ibid.*

Alexander Magnus Pellae oritur, vt Nepos edidit, M. Fabio Ambusto, Tito Quinctio Capitolino Coss. post Romam conditam anno trecentesimo octogesimo quincto. *Solin. Polyk. c.* 43.

P. Terentius maxime familiariter vixit cum Scipione Africano, et C. Laelio etc. quamuis Cornelius Nepos omnes aequales fuisse tradat. *Donatus s. Suet. in Vita Terentii.*

*Minucius Felix* c. 22. scit hoc Nepos et Cassius in historia.

[*Nepotis liber de historicis. v. Dion.* 3, 2.]

[*Conf. Tertull. Apolog.* 10. *p.* 111. *Hauerc. s. p.* 31. *vol.* 5. *Semler.*]

[*Catulli versicc. ap. V. D. ad A. Gellium*, 7, 18.]
[*Hieronym. Euseb. Chron. Can. p.* 106. *Scal.* et, vt ait, Cornelius Nepos etc.]
[*Lactant*, 1, 13, 8. Latini Nepos.]

## *Cornelii Nepotis Exemplorum*

Lib. II. A virgine Vestale. *Fl. Charisius lib.* I. *Grammat.* [*p.* 119. *ed. Putsch.*]

Lib. V. Cornelius autem Nepos, et in libro exemplorum quinto id quoque litteris mandauit, multis in Senatu placuisse, vt ii, qui redire nollent, datis custodibus ad Hannibalem deducerentur, sed eam sententiam numero plurium, quibus id non videretur, superatam; eos tamen, qui ad Hannibalem non redissent, vsque adeo intestabiles inuisosque fuisse, vt taedium vitae ceperint, necemque sibi consciverint. *A. Gellius N. A.* 7, 18, 11.

## *Corn. Nep. Illustrium Virorum Lib. II.*

Subinde. *Sosipater Char. l.* 2. *p.* 195. *ed. Putschii.*

## *Incerta quo libro Viror. Illustr. posita.*

Karthago antea speciem habuit duplicis oppidi, quasi aliud alterum amplecteretur. cuius interior pars Byrsa dicebatur, exterior Magalia. Huius rei testis est C. Nepos in eo libro, qui Vita Illustrium inscribitur. *Seru. ad Aen.* 1, 372.

Propius Grammatico accessi. *Diomedes l.* 1. *Gram. p.* 405.

A. Albinus, qui cum L. Lucullo consul fuit, res Romanas oratione Graeca scriptitauit. In eius Historiae principio scriptum est ad hanc sententiam: *neminem succensere sibi conuenire, si quidin his libris parum composite aut minus eleganter scriptum foret. Nam sum*, inquit, *homo Romanus, natus in Latio: Graeca oratio a nobis alienissima est.* Ideoque veniam gratiamque malae existimationis, si quid esset erratum, postulauit. Ea quum legisset M. Cato: *Nae tu,*

inquit, *Aule, nimium nugator es, quum maluisti culpam deprecari, quam culpa vacare. Nam petere veniam solemus, aut quum imprudentes erravimus, aut quum perpulsi peccavimus. Tibi*, inquit, *oro te, quis perpulit, ut id committeres, quod priusquam faceres, peteres, ut ignosceretur.* Scriptum hoc est in libro Cornelii Nepotis de illustribus viris. *A. Gell. N. A.* 11, 8. *et Macrob. praef. Saturn.* [*Fischer, margini h. l. adscripsit: Hieronym. epp. f.* 116. *tom. I. Erasmi; de scriptorr. eccles. f.* 76. 4. *tom. III.*]

## *Cornelii Nepotis*

### *Lib. I. De vita Ciceronis.*

**Cornelius Nepos, et rerum memoriae non indiligens, et M. Ciceronis, ut qui maxime, amicus familiaris fuit: atque is tamen in primo librorum, quos de vita illius composuit, errasse videtur, quum eum scripsit tres et viginti annos natum primam caussam iudicii publici egisse: Sextumque Roscium parricidii reum defendisse.** *A. Gell. N. A.* **15, 28.**

**Frustra Tullium suspicimus. Refert enim Cornelius Nepos, se praesente, iisdem paene verbis, quibus edita est, eam pro Cornelio seditioso Tribuno defensionem peroratam.** *Hieron. ep.* 71. [61. *Wetz. quem vid.*] *ad Pammachium, cap.* 4.

## *Cornelii Nepotis*

### *Lib. I. Epistolarum ad Ciceronem.*

[*Cornelius Nepos epistolam Alexandri ad Aristotelem latinam fecit. v. Durantius varr.* 2, 15. *p.* 249. *b. tom.* 3. *Thesaur. Gruter, Fischer.*]

Tantum abest, ut ego magistram esse putem vitae Philosophiam, beataeque vitae perfectricem; ut nullis magis existimem opus esse magistros vivendi, quam plerisque, qui in ea disputanda versantur. Video enim magnam partem eorum, qui in schola de pudore et continentia praecipiant argutissime, eosdem in omnium libidinum cupiditatibus vivere. *Lactant. lib.* 3. *cap.* 15, 10. *Institutt. div.*

## M. Tullii Ciceronis ad Corn. Nepotem
### Epistolarum Lib. II.

Itaque nostri, quum omnia, quae dixissemus, dicta essent: quae facete et breuiter, et acute loquuti essemus, ea proprio nomine adpellari *dicta* voluerunt. *Macrob.* 2, 1. *Sat.*

## Ad eumdem ex libro incerto.

Hoc restiterat etiam, ut a te fictis adgrederer donis. *Priscian. l.* 8. *Gram. p.* 792.

Qui habet, ultro adpetitur: qui est pauper, aspernatur. *Ibid.*

Quid? oratorum quem huic *(scil. Caesari)* antepones eorum qui nihil aliud egerunt? quis sententiis aut acutior aut crebrior? quis verbis aut ornatior aut elegantior? *Suet. Caes. c.* 55.

Vt Tullius docet, crudelitatis increpans Caesarem in quadam ad Nepotem epistola. Neque enim quidquam aliud est felicitas, inquit, nisi honestarum rerum prosperitas: Vel, ut alio modo definiam, Felicitas est fortuna adiutrix consiliorum bonorum, quibus qui non utitur, felix nullo pacto esse potest. Ergo in perditis impiisque consiliis, quibus Caesar usus erat, nulla potuit esse felicitas, feliciorque meo iudicio Camillus exsulans, quam temporibus iisdem Manlius, etiamsi, id quod cupierat, regnare potuisset. *Am. Marc. lib.* 21. *extr.*

Haec quidam veterum formidantes, cognitiones actuum variorum, stylis uberibus explicatas, non edidere superstites, ut in quadam ad Cornelium Nepotem epistola Tullius quoque testis reuerendus adfirmat. *Idem lib.* 26 *initio.*

Sententiae illius Tullianae ignarus, docentis, infelices esse eos, qui omnia sibi licere existimarunt. *Idem lib.* 26. *extr.*

## Idem ad Atticum de Nepote.

Nepotis epistolam expecto. Cupidus ille meorum

qui ea, quibus maxime γαυρῶ, legenda non putat? et ais μετ' ἀμύμονα: tu vero ἀμύμων, ille quidem ἄμβροτος. *Lib.* 16. *ep.* 5.

Male narras de Nepotis filio. Valde mehercule moveor, et moleste fero. Nesciera omnino, esse istum puerum. *Ep.* 14.

*Hic Schottus inseruit Catonis et Attici vitae.*

## *Cornelii Nepotis fragmenta*

*incerta partim quo libro posita, partim quibus verbis concepta.*

Nepos auctore certo comperisse se ait, C. Laelium quondam in Puteolano Kalend. Martiis admonitum ab uxore, temporius ut discumberet, petiisse ab ea ne interpellaretur: serius tandem ingressum triclinium dixisse, non saepe in scribendo magis successisse sibi: deinde rogatum, scripta illa proferret, pronuntiasse versus qui sunt in ἑαυτὸν τιμωρουμένῳ: [IV, 4, 1.] *Satis pol proterue me Syri promissa huc induxerunt.* Donat. vel Sueton. in Vita Terent. c. 3.

L. Otacilius Pilitus Rhetoricam professus, Cn. Pompeium Magnum docuit; patris eius res gestas, nec minus ipsius, compluribus libris exposuit: primus omnium libertinorum, ut Cornelius Nepos opinatur, scribere historiam orsus, non nisi ab honestissimo quoque scribi solitam. *Sueton. de claris rhet. c.* 3.

Cornelius Nepos in libello, quo distinguit litteratum ab erudito, litteratos vulgo quidem adpellari ait eos, qui aliquid diligenter et acute scienterque possint aut dicere aut scribere: ceterum proprie sic adpellandos poetarum interpretes, qui a Graecis γραμματικοὶ nominentur. *Suet. de illustr. Gram. c.* 4.

Praeter Physicos, Homerumque, qui universum orbem mari circumfusum esse dixerunt, Cornelius Nepos, ut recentior, ita auctoritate certior [tradit]: testem autem rei Q. Metellum Celerem adiicit, eumque ita retulisse commemorat. Quum Galliis proconsul praeesset, Indos quosdam a rege Baetorum

dono sibi datos: unde in eas terras devenissent, requirendo, cognovisse, vi tempestatum ex Indicis aequoribus abreptos, emensosque, quae intererant, tandem in Germaniae littora exiisse. *Mela lib.* 3. *c.* 5. *fin. et Plin. N. H.* 2, 67.

Largitudo. *Charis. l.* 1. *c.* 78.

Eudoxus quidam, avorum nostrorum temporibus, quum Lathurum, regem Alexandriae, profugeret, Arabico sinu egressus, per hoc pelagus, ut Nepos adfirmat, Gades usque pervectus est. *Mela* 3, 9. *et Plin.* 3, 67. *et Capella l.* 6.

Paphlagonia insignis loco Heneto, a quo, ut Cornelius Nepos perhibet, Paphlagones in Italiam transvecti, mox Veneti sunt nominati. *Solin. c.* 44. *et Plin.* 6, 2. [*conf. Heyn. ad Virg. Aen. I. excurs. VII.*]

Fauces Oceani T. Livius, ac Nepos Cornelius latitudinis tradiderunt, ubi minimum, VII M. pass. ubi vero plurimum X M. *Plin. lib.* 3. *prooem.*

Melpum opulentia praecipuum, quod ab Insubribus, et Boiis, et Senonibus deletum esse eo die, quo Camillus Veios ceperit, Corn. Nepos tradidit. *Plin.* 3, 17.

Vltra Aquileiam VI M. pass. Formio amnis, ab Ravenna CLXXXIX pass. antiquus Italiae auctus terminus, nunc vero Istriae: quam cognominatam a flumine Istro in Hadriam effluente a Danubio amne, eidemque Istro ex adverso Padi fauces, contrario eorum percussu mari interiecto dulcescente, plerique dixere falso, et Nepos [Cornelius] etiam Padi accola. *Plin.* 3, 18. *s.* 22.

Alpes in longitudinem X M. pass. patere a supero mari ad inferum, Caelius tradit: Timagenes XX M. pass. deductis in latitudinem, Cornelius Nepos C M.: T. Livius tria M. stadiorum: uterque diversis in locis. *Plin.* 3, 19. *s.* 23.

Inter duos Bosporos, Thracium et Cimmerium, directo cursu, ut auctor est Polybius, IƆ M. passuum intersunt. Circuitu vero totius Ponti vicies

semel centena quinquaginta M, ut auctor est Varro, et fere veteres. Nepos Cornelius trecenta millia quinquaginta adiicit. *Plin.* 4, 12. *s.* 24.

In ora Oceani, colonia Augusti, Iulia Constantia etc. et ab ea XXXII M. pass. colonia a Claudio Caesare facta, Lixos. Ibi regia Antaei, certamenque cum Hercule, et Hesperidum Horti etc. Exstat in ea et ara Herculis, nec praeter oleastros aliud ex narrato illo aurifero nemore. Minus profecto mirentur portentosa Graeciae mendacia, de iis et amne Lixo prodita, qui cogitent, nostros nuper paullo minus monstrifica quaedam de iisdem tradidisse: praevalidam hanc urbem, maioremque Carthagine magna; praeterea ex adverso eius sitam, et prope immenso tractu ab Tingi: quaeque alia Cornelius Nepos avidissime credidit. *Plin.* 5, 1.

Aliqui inter Pontum et Caspium mare CCCLXXV M. pass. non amplius interesse tradiderunt: Cornelius Nepos CCL M. *Plin.* 6, 11. *s.* 12.

Polybius in extrema Mauritania contra montem Atlantem a terra stadia octo abesse prodidit Cernen. Nepos Cornelius ex adverso maxime Carthaginis a continente passus mille: non ampliorem circuitu duobus millibus. *Plin.* 6, 31. *s.* 36.

Nepos Cornelius, qui Divi Augusti principatu obiit: Me, inquit, iuvene violacea purpura vigebat, cuius libra denariis centum venibat; nec multo post rubra Tarentina. Huic successit dibapha Tyria, quae in libras denariis mille non poterat emi. Hac P. Lentulus Spinther, Aedilis Curulis, primus in praetexta usus improbatur: qua purpura quis non iam, inquit, tricliniaria facit? *Plin.* 6, 39. *s.* 63.

Onychem etiam tum in Arabiae montibus, nec usquam aliubi nasci putauere nostri veteres; Sudines, in Germania, potoriis vasis inde factis primum, dein pedibus lectorum sellisque; Cornelius Nepos tradit magno fuisse miraculo, quum P. Lentulus

Spinther amphoras ex eo et urceos magnitudine cadorum ostendisset: post quinquennium deinde, triginta duorum pedum longitudine columnas vidisse se. *Plin.* 36, 7. *s.* 12.

*Νέπως δὲ Κορνήλιος οὐχ ὑπὸ γήρως, φησὶν, οὐδὲ νόσου παραλλάξαι τὸν Λούκουλλον, ἀλλὰ φαρμάκοις ὑπό τινος τῶν ἀπελευθέρων Καλλισθένους διαφθαρέντα. Τὰ δὲ φάρμακα δοθῆναι μὲν, ὡς ἀγαπῷτο μᾶλλον ὁ Καλλισθένης ὑπ᾽ αὐτοῦ, τοιαύτην ἔχειν δοκοῦντα τὴν δύναμιν· ἐκστῆσαι δὲ καὶ κατακλύσαι τὸν λογισμὸν, ὥστ᾽ ἔτι ζῶντος αὐτοῦ, τὴν οὐσίαν διοικεῖν τὸν ἀδελφόν.* Plutarch. in Lucullo extr. [*p.* 520. E. *s. opp. tom.* I. *p.* 841. *tom.* 3. *Tübing. Fischer.*]

*Καίτοι Νέπως ὁ Κορνήλιός φησιν, οὐ Κράσσου, Βρούτου δὲ θριαμβεύσαντος ἀπὸ Λυσιτανῶν θυγατέρα γῆμαι Γάϊον.* Plut. in Tib. Graccho. [*p.* 834. C. *Opp. tom.* I. *c.* 21. *p.* 227. *s. tom.* 5. *Tub. Fisch.*]

*Ἀννίβα δὲ τῶν μὲν ἄλλων ἐλάχιστος ἦν λόγος, Μάρκελλον δὲ πεπτωκέναι πυθόμενος, αὐτὸς ἐξέδραμεν ἐπὶ τὸν τόπον, καὶ τῷ νεκρῷ παραστὰς, καὶ πολὺν χρόνον τήν τε ῥώμην τοῦ σώματος καταμαθὼν καὶ τὸ εἶδος, οὔτε φωνὴν ἀφῆκεν ὑπερήφανον, οὔτε ἀπ᾽ ὄψεως τὸ χαῖρον, ὡς ἄν τις ἐργώδη πολέμιον καὶ βαρὺν ἀπεκτονὼς, ἐξέφηνεν. ἀλλ᾽ ἐπιθαυμάσας τὸ παράλογον τὸ τελευτῆς, τὸν μὲν δακτύλιον ἀφείλετο, τὸ δὲ σῶμα κοσμήσας πρέποντι κόσμῳ καὶ περιστείλας ἐντίμως ἔκαυσε, καὶ τὰ λείψανα συνθεὶς εἰς κάλπιν ἀργυρᾶν, καὶ χρυσοῦν ἐμβαλὼν στέφανον, ἀπέστειλε πρὸς τὸν υἱόν. Τῶν δὲ Νομάδων τινὲς περιτυχόντες τοῖς κομίζουσιν, ὥρμησαν ἀφαιρεῖσθαι τὸ τεῦχος. Ἀντιλαμβανομένων δὲ ἐκείνων, ἐκβιαζόμενοι, καὶ μαχόμενοι διέῤῥιψαν τὰ ὀστᾶ. Πυθόμενος δὲ Ἀννίβας καὶ πρὸς τοὺς παρόντας εἰπὼν, οὐδὲν ἄρα δυνατὸν γενέσθαι ἄκοντος θεοῦ, τοῖς μὲν Νομάσιν ἐπέθηκε δίκην, οὐκ ἔτι δὲ κομιδῆς ἢ συλλογῆς τῶν λειψάνων ἐφρόντισεν· ὡς δὴ κατὰ θεόν τινα καὶ τῆς τελευτῆς καὶ τῆς ἀταφίας παραλόγως οὕτω τῷ Μαρκέλλῳ γενομένης. Ταῦτα μὲν οὖν οἱ περὶ Κορνήλιον Νέπωτα καὶ Οὐαλέριον Μάξιμον ἱστορήκασι. Λίβιος δὲ καὶ*

Καῖσαρ ὁ σεβαστὸς κομισθῆναι τὴν ὑδρίαν πρὸς τὸν υἱὸν εἰρήκασι, καὶ ταφῆναι λαμπρῶς.' *Plut. in Marcello*, [c. 30. *p*. 331. *tom*. 2. *Tubing. Fischer.*]

Ἀννίβαν δὲ Μάρκελλος, ὥς μὲν οἱ περὶ Πολύβιον λέγουσιν, οὐδὲ ἅπαξ ἐνίκησεν, ἀλλ' ἀήττητος ὁ ἀνὴρ δοκεῖ διαγενέσθαι μέχρι Σκιπίωνος· ἡμεῖς δὲ Διβίῳ, Καίσαρι καὶ Νέπωτι, καὶ τῶν Ἑλληνικῶν τῷ βασιλεῖ Ἰόβᾳ πιστεύομεν, ἥττας τινὰς καὶ τροπὰς ὑπὸ Μαρκέλλου τῶν σὺν Ἀννίβᾳ γενέσθαι. *Plut. in compar. cum Marcello*, [c. 1. *p*. 334. *tom*. 2. *Tubing. Fisch.*]

Cornelius Nepos, qui Divi Augusti principatu obiit, quum scriberet, turdos paullo ante coeptos saginari, addidit, ciconias magis placere, quam grues: quum haec nunc ales inter primas expetatur, illam vero nemo velit adtigisse. *Plin.* 10, 23. *s.* 30.

Apud antiquos piscium nobilissimus habitus acipenser etc. Postea praecipuam auctoritatem fuisse lupo et asellis, Cornelius Nepos, et Laberius, poëta mimorum, tradidere. *Plin.* 9, 17. *s.* 28.

Magnitudo loto arbori, quae piro: quamquam Nepos Cornelius brevem tradat etc. Vinum quoque exprimitur illi, simile mulso, quod ultra denos dies negat durare idem Nepos; baccasque contusas cum alica ad cibos dolio condi. *Plin.* 13, 17. s. 32.

Scandula contectam fuisse Romam usque ad bellum Pyrrhi annis quadringentis LXX, Cornelius Nepos auctor est. *Idem* 16, 10. *s.* 15.

Cornelius Nepos tradit, ante Sullae victoriam duo tantum triclinia Romae fuisse argentea. *Idem* 33, 11. *s.* 52.

Primus invenit lineas colorare, testa, ut ferunt, trita, Cleophantus Corinthius. Hunc, aut eodem nomine alium fuisse, quem tradit Cornelius Nepos sequutum in Italiam Demaratum, Tarquinii Prisci, Romani regis, patrem, fugientem a Corintho iniurias Cypseli tyranni, mox docebimus. *Idem* 35, 3. *s.* 5.

Primum Romae parietes crusta marmoris ope-

ruisse totius domus suae in Coelio monte Cornelius Nepos tradidit Mamurram, Formiis natum, equitem Romanum, praefectum fabrum C. Caesaris in Gallia etc. Adiecit idem Nepos, eum primum totis aedibus nullam, nisi e marmore, columnam habuisse, omnes solidas e Carystio, aut Lunensi. *Idem* 36, 6. *s.* 7.

Aedis Martis est in circo Flaminio architecta ab Hermodoro Salaminio. *Priscian. l.* 8. *p.* 792. *ed. Putsch.*

Non amplius ter bibere Augustum solitum super coenam, in castris apud Mutinam, Cornelius Nepos tradit. *Sueton. Aug. c.* 77.

In extrema Britanniae parte Memma, quam Cornelius etiam, Annalium scriptor, narrat metallis plurimis copiosam, herbis frequentem, et his feraciorem omnibus, quia pecora magis, quam homines, alat. Labi vero per eam multa quam maxima relabique flumina, gemmas margaritasque volventia. *Iornandes de rebus Gothicis, c.* 2.

## *Epistola Corneliae matris Gracchorum.*

Dices, pulcrum esse inimicos ulcisci. Id neque maius, neque pulcrius cuiquam, atque esse mihi videtur; sed si liceat republ. salva ea persequi. Sed quatenus id fieri non potest, multo tempore, multisque partibus inimici nostri non peribunt; atque, uti nunc sunt, erunt potius, quam respubl. profligetur atque pereat.

## *Eadem alio loco:*

Verbis conceptis deierare ausim, praeterquam qui Tiberium Gracchum necarunt, neminem inimicum tantum molestiae, tantumque laboris, quantum te ob has res, mihi tradidisse: quem oportebat omnium eorum, quos ante habuerim liberos, partis eorum tolerare, atque curare, ut quam minimum sollicitudinis in senecta haberem; utique, quaecumque ageres, ea velles maxime mihi placere: atque

uti nefas haberes, rerum maiorum adversum meam sententiam quidquam facere. Praesertim mihi, cui parva pars vitae superest. Ne id quidem tam breve spatium potest opitulari, quin et mihi adverseris, et rempubl. profliges. Denique quae pausa erit? et quando desinet familia nostra insanire? et quando desinemus, et habentes, et praebentes, molestiis desistere? et quando perpudescet miscenda atque perturbanda republ. Sed si omnino id fieri non potest: ubi ego mortua ero, petito Tribunatum; post me facito, quod libebit, quum ego non sentiam. Vbi mortua ero, parentabis mihi, et invocabis deum parentem. In eo tempore, non pudet te eorum deûm preces expetere, quos, vivos atque praesentes, relictos atque desertos habueris? Ne ille sinat Iupiter, te ea perseverare, nec tibi tantam dementiam venire in animum; et, si perseveras, vereor in omnem vitam tantum laboris culpa tua recipias, uti in nullo tempore tute tibi placere possis.

[*Cornelius Nepos in libro de Historicis Latinis de laude Ciceronis.*

Non ignorare debes, unum hoc genus Latinarum litterarum adhuc non modo non respondere Graeciae, sed omnino rude atque inchoatum morte Ciceronis relictum. Ille enim fuit unus, qui potuerit et etiam debuerit historiam digna voce pronuntiare: quippe qui oratoriam eloquentiam rudem a maioribus acceptam perpoliverit, philosophiam ante eum incomtam Latinam sua conformaverit oratione. Ex quo dubito, interitu eius utrum res publica, an historia magis doleat.

Locuples ac divina natura, quo maiorem sui pareret admirationem, ponderatioraque sua essent beneficia, neque uni omnia dare, nec rursus cuiquam omnia voluit negare.] (Ex cod. antiquo Saec. XI. Guelpherb. Cic. Oratt. Philipp., ab I. F. Heusingero vindicata.)

# C. SALLUSTII CRISPI

# OPERA.

AD

OPTIMORUM LIBRORUM FIDEM

ACCURATE EDITA.

EDITIO STEREOTYPA.

LIPSIAE

SUMTIBUS ET TYPIS CAROLI TAUCHNITII.

1829.

Ladenpreis 3 Groschen.

C. CRISPI SALLVSTII

# BELLVM
# CATILINARIVM

SIVE DE

## CONIVRATIONE CATILINAE
## EIVSQVE SOCIORVM.

---

### I.

Omnis homines, qui sese student praestare ceteris animalibus, summa ope niti decet, ne vitam silentio transeant, veluti pecora, quae natura prona atque ventri oboedientia finxit. Sed nostra omnis vis in animo et corpore sita est; animi imperio, corporis servitio magis utimur; alterum nobis cum dis, alterum cum beluis commune est. Quo mihi rectius esse videtur, ingenii quam virium opibus gloriam quaerere, et, quoniam vita ipsa, qua fruimur, brevis est, memoriam nostri quam maxume longam efficere. Nam divitiarum et formae gloria fluxa atque fragilis est, virtus clara aeternaque habetur.

Sed diu magnum [illegible]

# C. CRISPI SALLVSTII
# BELLVM
# CATILINARIVM
## SIVE DE
# CONIVRATIONE CATILINAE
## EIVSQVE SOCIORVM.

---

## I.

Omnis homines, qui sese student praestare ceteris animalibus, summa ope niti decet, vitam silentio ne transeant, veluti pecora, quae natura prona atque ventri obedientia finxit. Sed nostra omnis vis in animo et corpore sita est: animi imperio, corporis servitio magis utimur: alterum nobis cum diis, alterum cum belluis commune est. Quo mihi rectius esse videtur, ingenii, quam virium opibus gloriam quaerere, et, quoniam vita ipsa, qua fruimur, brevis est, memoriam nostri quam maxume longam efficere. Nam divitiarum et formae gloria fluxa atque fragilis est: virtus clara aeternaque habetur.

Sed diu magnum inter mortalis certamen fuit, vine corporis, an virtute animi res militaris magis procederet. Nam et prius, quam incipias consulto: et, ubi consulueris, mature facto opus est. Ita utrumque per se indigens, alterum alterius auxilio eget.

II. Igitur initio Reges (nam in terris nomen imperii id primum fuit) diversi, pars ingenium, alii corpus exercebant: etiam tum vita hominum sine cupiditate agitabatur, sua cuique satis placebant. Postea vero quam in Asia Cyrus, in Graecia Lacedaemonii et Athenienses coepere urbes atque nationes subigere, lubidinem dominandi causam belli habere, maxumam gloriam in maxumo imperio putare: tum demum periculo atque negotiis compertum est, in bello plurimum ingenium posse.

Quod si regum atque imperatorum animi virtus in pace ita, uti in bello, valeret: aequabilius atque constantius sese res humanae haberent; neque aliud alio ferri, neque mutari ac misceri omnia cerneres. Nam imperium facile his artibus retinetur, quibus initio partum est. Verum ubi pro labore desidia, pro continentia et aequitate lubido atque superbia invasere; fortuna simul cum moribus immutatur. Ita imperium semper ad optumum quemque a minus bono transfertur.

Quae homines arant, navigant, aedificant, virtuti omnia parent. Sed multi mortales dediti ventri atque somno, indocti incultique vitam, sicuti peregrinantes, transegere: quibus, profecto contra naturam, corpus voluptati, anima oneri fuit. eorum ego vitam mortemque iuxta aestumo, quoniam de utraque siletur. Verum enim vero is demum mihi vivere atque frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus, praeclari facinoris, aut artis bonae famam quaerit.

Sed in magna copia rerum aliud alii natura iter ostendit.

III. Pulchrum est bene facere reipublicae: etiam bene dicere haud absurdum est: vel pace, vel bello clarum fieri licet: et qui fecere, et qui facta aliorum scripsere, multi laudantur. Ac mihi quidem, tametsi haudquaquam par gloria sequatur scriptorem et auctorem rerum; tamen in primis arduum videtur res

gestas scribere, primum quod facta dictis sunt exaequanda: dehinc, quia plerique, quae delicta repreenderis, malivolentia et invidia dicta putant: ubi de magna virtute et gloria bonorum memores, quae sibi quisque facilia factu putat, aequo animo accipit; supra ea, veluti ficta, pro falsis ducit. Sed ego adolescentulus initio, sicuti plerique, studio ad rempublicam latus sum, ibique mihi advorsa multa fuere. Nam pro pudore, pro abstinentia, pro virtute; audacia, largitio, avaritia vigebant. Quae tametsi animus adspernabatur, insolens malarum artium; tamen inter tanta vitia imbecilla aetas ambitione corrupta tenebatur: ac me, cum ab reliquorum malis moribus dissentirem, nihilo minus honoris cupido, eadem quae ceteros, fama atque invidia vexabat.

IV. Igitur ubi animus ex multis miseriis atque periculis requievit, et mihi reliquam aetatem a republica procul habendam decrevi; non fuit consilium secordia atque desidia bonum otium conterere: neque vero agrum colendo, aut venando, servilibus officiis intentum, aetatem agere; sed a quo incepto studio me ambitio mala detinuerat, eodem regressus, statui res gestas populi Romani carptim, ut quaeque memoria digna videbantur, perscribere: eo magis, quod mihi a spe, metu, partibus reipublicae animus liber erat. Igitur de Catilinae coniuratione, quam verissume potero, paucis absolvam. nam id facinus in primis ego memorabile existumo, sceleris atque periculi novitate. De cuius hominis moribus pauca prius explananda sunt, quam initium narrandi faciam.

V. Lvcivs Catilina nobili genere natus fuit, magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque. Huic ab adolescentia bella intestina, caedes, rapinae, discordia civilis grata fuere: ibique iuventutem suam exercuit. Corpus patiens inediae, vigiliae, algoris, supra quam cuiquam credibile est. Animus audax, subdolus, varius, cuiuslibet rei simulator ac dis-

simulator, alieni appetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus: satis loquentiae, sapientiae parum. Vastus animus immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat. Hunc post dominationem Lucii Sullae lubido maxuma invaserat reipublicae capiundae: neque id quibus modis adsequeretur, dum sibi regnum pararet, quidquam pensi habebat. Agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris, et conscientia scelerum: quae utraque his artibus auxerat, quas supra memoravi. Incitabant praeterea corrupti civitatis mores, quos pessuma ac diversa inter se mala, luxuria atque avaritia vexabant. Res ipsa hortari videtur, quoniam de moribus civitatis tempus admonuit, supra repetere, ac paucis instituta maiorum domi militiaeque, quomodo Rempublicam habuerint, quantamque reliquerint: ut paullatim immutata, ex pulcherruma pessuma ac flagitiosissuma facta sit, disserere.

VI. Vrbem Romam, sicuti ego accepi, condidere atque habuere initio Troiani, qui, Aenea duce, profugi, sedibus incertis vagabantur; cumque his Aborigines genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum. Hi postquam in una moenia convenere, dispari genere, dissimili lingua, alius alio more viventes: incredibile memoratu est, quam facile coaluerint. Sed postquam res eorum civibus, moribus, agris aucta, satis prospera satisque pollens videbatur; sicuti pleraque mortalium habentur, invidia ex opulentia orta est. Igitur reges populique finitumi bello tentare: pauci ex amicis auxilio esse. nam ceteri metu percussi a periculis aberant. At Romani domi militiaeque intenti festinare, parare, alius alium hortari, hostibus obviam ire, libertatem, patriam parentesque armis tegere. post, ubi pericula virtute propulerant, sociis atque amicis auxilia portabant: magisque dandis, quam accipiundis beneficiis amicitias parabant. Imperium legitimum, nomen imperii regium

habebant: delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum, Reipublicae consultabant. hi vel aetate, vel curae similitudine PATRES appellabantur. Post, ubi regium imperium, quod initio conservandae libertatis atque augendae reipublicae fuerat, in superbiam dominationemque convertit; immutato more, annua imperia, binosque imperatores sibi fecere. eo modo minume posse putabant per licentiam insolescere animum humanum.

VII. Sed ea tempestate coepere se quisque magis extollere, magisque ingenium in promtu habere. Nam regibus boni quam mali suspectiores sunt, semperque his aliena virtus formidolosa est. Sed civitas, incredibile memoratu est, adepta libertate, quantum brevi creverit. tanta cupido gloriae incesserat. Iam primum iuventus, simul laboris ac belli patiens erat, in castris per laborem usu militiam discebat; magisque in decoris armis et militaribus equis, quam in scortis atque conviviis lubidinem habebant. Igitur talibus viris non labos insolitus, non locus ullus asper, aut arduus erat, non armatus hostis formidolosus: virtus omnia domuerat. Sed gloriae maxumum certamen inter ipsos erat; sic se quisque hostem ferire, murum adscendere, conspici, dum tale facinus faceret, properabat: eas divitias, eam bonam famam magnamque nobilitatem putabant: laudi avidi, pecuniae liberales erant: gloriam ingentem, divitias honestas volebant. Memorare possem, quibus in locis maxumas hostium copias populus Romanus parva manu fuderit, quas urbis, natura munitas, pugnando ceperit; ni ea res nos longius ab incepto traheret.

VIII. Sed profecto fortuna in omni re dominatur: ea res cunctas ex lubidine magis, quam ex vero celebrat obscuratque. Atheniensium res gestae, sicuti ego existumo, satis amplae magnificaeque fuere; verum aliquanto minores tamen, quam fama feruntur. Sed quia provenere ibi scriptorum magna ingenia, per

terrarum orbem Atheniensium facta pro maxumis celebrantur. Ita eorum, qui ea fecere, virtus tanta habetur, quantum verbis eam potuere extollere praeclara ingenia. At populo Romano numquam ea copia fuit: quia prudentissumus quisque negotiosus maxume erat: ingenium nemo sine corpore exercebat: optumus quisque facere, quam dicere; sua ab aliis benefacta laudari, quam ipse aliorum narrare malebat.

IX. Igitur domi militiaeque boni mores colebantur. concordia maxuma, minuma avaritia erat: ius bonumque apud eos non legibus magis, quam natura valebat. Iurgia, discordias, simultates cum hostibus exercebant: cives cum civibus de virtute certabant. in suppliciis Deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles erant. Duabus his artibus, audacia in bello, ubi pax evenerat, aequitate, seque remque publicam curabant. Quarum rerum ego maxuma documenta haec habeo, quod in bello saepius vindicatum est in eos, qui contra imperium in hostem pugnaverant, quique tardius, revocati, proelio excesserant, quam qui signa relinquere, aut pulsi, loco cedere ausi erant. In pace vero, quod beneficiis magis, quam metu, imperium agitabant, et, accepta iniuria, ignoscere, quam persequi, malebant.

X. Sed ubi labore atque iustitia respublica crevit, reges magni bello domiti, nationes ferae et populi ingentes vi subacti, Carthago, aemula imperii Romani, ab stirpe interiit, cuncta maria terraeque patebant: saevire Fortuna ac miscere omnia coepit. Qui labores, pericula, dubias atque asperas res facile toleraverant, iis otium, divitiae, optandae aliis, oneri miseriaeque fuere. Igitur primo pecuniae, deinde imperii cupido crevit; ea quasi materies omnium malorum fuere. Namque avaritia fidem, probitatem, ceterasque artis bonas subvertit; pro his superbiam crudelitatem, deos neglegere, omnia venalia habere edocuit. Ambitio multos mortalis falsos fieri subegit; aliud clausum in

pectore, aliud in lingua promtum habere; amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo aestumare; magisque vultum, quam ingenium bonum habere. Haec primo paulatim crescere, interdum vindicari. post ubi, contagio quasi, pestilentia invasit, civitas immutata, imperium ex iustissumo atque optumo crudele intolerandumque factum.

XI. Sed primo magis ambitio, quam avaritia, animos hominum exercebat: quod tamen vitium propius virtutem erat. Nam gloriam, honorem, imperium bonus, ignavus, aeque sibi exoptant: sed ille vera via nititur; huic quia bonae artes desunt, dolis atque fallaciis contendit. Avaritia pecuniae studium habet, quam nemo sapiens concupivit. ea, quasi venenis malis imbuta, corpus animumque virilem effeminat: semper infinita, insatiabilis, neque copia, neque inopia minuitur. Sed postquam L. Sulla, armis recepta Republica, bonis initiis malos eventus habuit; rapere omnes, trahere, domum alius, alius agros cupere: neque modum, neque modestiam victores habere, foeda crudeliaque in civis facinora facere. Huc accedebat, quod L. Sulla exercitum, quem in Asia ductaverat, quo sibi fidum faceret, contra morem maiorum, luxuriose nimisque liberaliter habuerat. loca amoena, voluptaria facile in otio ferocis militum animos molliverant. Ibi primum insuevit exercitus populi Romani amare, potare, signa, tabulas pictas, vasa caelata mirari; ea privatim ac publice rapere; delubra spoliare, sacra profanaque omnia polluere. Igitur hi milites, postquam victoriam adepti sunt, nihil reliqui victis fecere. Quippe secundae res sapientium animos fatigant: nedum illi corruptis moribus victoriae temperarent.

XII. Postquam divitiae honori esse coepere, et eas gloria, imperium, potentia sequebatur: hebescere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malivolentia duci coepit. Igitur ex divitiis iuventutem lu-

xuria atque avaritia, cum superbia invasere: rapere, consumere; sua parvi pendere, aliena cupere; pudorem pudicitiam, divina atque humana promiscua, nihil pensi atque moderati habere. Operae pretium est, cum domos atque villas cognoveris in urbium modum exaedificatas, visere templa deorum, quae nostri maiores, religiosissumi mortales fecere. Verum illi delubra deorum pietate, domos suas gloria decorabant; neque victis quidquam praeter iniuriae licentiam eripiebant. At hi contra ignavissumi homines, per summum scelus, omnia ea sociis adimere, quae fortissumi viri victores hostibus reliquerant: proinde quasi iniuriam facere, id demum esset imperio uti.

XIII. Nam quid ea memorem, quae nisi iis, qui videre, nemini credibilia sunt: a privatis compluribus subversos montes, maria constructa esse. quibus mihi videntur ludibrio fuisse divitiae; quippe, quas honeste habere licebat, abuti per turpitudinem properabant. Sed lubido stupri, ganeae ceterique cultus non minor incesserat: viros pati muliebria, mulieres pudicitiam in propatulo habere; vescendi causa terra marique omnia exquirere; dormire prius, quam somni cupido esset; non famem, aut sitim, neque frigus, neque lassitudinem opperiri, sed ea omnia luxu antecapere. Haec iuventutem, ubi familiares opes defecerant, ad facinora incendebant. Animus imbutus malis artibus haud facile lubidinibus carebat: eo profusius omnibus modis quaestui atque sumtui deditus erat.

XIV. In tanta tamque corrupta civitate Catilina, id, quod factu facillimum erat, omnium flagitiorum atque facinorum circum se, tamquam stipatorum, catervas habebat. Nam quicumque impudicus, adulter, ganeo, manu, ventre, pene, bona patria laceraverat; quique alienum aes grande conflaverat, quo flagitium, aut facinus redimeret; praeterea omnes undique parricidae, sacrilegi, convicti iudiciis, aut pro factis iudicium timentes; ad hoc, quos manus atque lingua,

periurio aut sanguine civili alebat; postremo omnes, quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat; ii Catilinae proxumi familiaresque erant. Quod si quis etiam a culpa vacuus in amicitiam eius inciderat; quotidiano usu atque illecebris facile par similisque ceteris efficiebatur. Sed maxume adolescentium familiaritates adpetebat: eorum animi molles et aetate fluxi, dolis haud difficulter capiebantur. Nam uti cuiusque studium ex aetate flagrabat, aliis scorta praebere; aliis canes atque equos mercari; postremo neque sumtui, neque modestiae suae parcere, dum illos obnoxios sibi fidosque faceret. Scio, fuisse nonnullos, qui ita existumarent, iuventutem, quae domum Catilinae frequentabat, parum honeste pudicitiam habuisse; sed ex aliis rebus magis, quam quod cuiquam compertum foret, haec fama valebat.

XV. Iam primum adolescens Catilina multa nefanda stupra fecerat, cum virgine nobili, cum sacerdote Vestae, alia huiuscemodi contra ius fasque. postremo captus amore Aureliae Orestillae, cuius praeter formam, nihil umquam bonus laudavit; quod ea nubere illi dubitabat, timens privignum adulta aetate; pro certo creditur, necato filio, vacuam domum scelestis nuptiis fecisse. Quae quidem res mihi inprimis videtur causa fuisse facinoris maturandi. Namque animus impurus, diis hominibusque infestus, neque vigiliis neque quietibus sedari poterat: ita conscientia mentem excitam vastabat. Igitur colos exsanguis, foedi oculi, citus modo, modo tardus incessus; prorsus in facie vultuque vecordia inerat.

XVI. Sed iuventutem, quam, ut supra diximus, illexerat, multis modis mala facinora edocebat. Ex illis testes signatoresque falsos commodare; fidem, fortunas, pericula vilia habere; post, ubi eorum famam atque pudorem attriverat, maiora alia imperabat: si causa peccandi in praesens minus suppetebat, nihilo minus insontes, sicuti sontes, circumvenire, iu-

gulare. scilicet, ne per otium torpescerent manus aut animus, gratuito potius malus atque crudelis erat. His amicis sociisque confisus Catilina, simul quod aes alienum per omnis terras ingens erat, et quod plerique Sullani milites, largius suo usi, rapinarum et victoriae veteris memores civile bellum exoptabant; opprimundae reipublicae consilium cepit. In Italia nullus exercitus; Cn. Pompeius in extremis terris bellum gerebat: ipsi consulatum petenti magna spes: Senatus nihil sane intentus: tutae tranquillaeque res omnes; sed ea prorsus opportuna Catilinae erant.

XVII. Igitur circiter Kalendas Iunias L. Caesare et C. Figulo Consulibus primo singulos adpellare: hortari alios, alios tentare: opes suas, imparatam rempublicam, magna praemia coniurationis docere. Vbi satis explorata sunt, quae voluit; in unum omnis convocat, quibus maxuma necessitudo, et plurimum audaciae inerat. Eo convenere Senatorii ordinis P. Lentulus Sura, P. Autronius, L. Cassius Longinus, C. Cethegus, P. et Servius Sullae, Servii filii, L. Vargunteius, Q. Annius, M. Porcius Laeca, L. Bestia, Q. Curius: praeterea ex equestri ordine M. Fulvius Nobilior, L. Statilius, P. Gabinius Capito, C. Cornelius: ad hoc multi ex coloniis et municipiis, domi nobiles. Erant praeterea complures paulo occultius consilii huiusce participes nobiles, quos magis dominationis spes hortabatur, quam inopia, aut alia necessitudo. Ceterum iuventus pleraque, sed maxume nobilium, Catilinae inceptis favebat. quibus in otio vel magnifice, vel molliter vivere copia erat, incerta pro certis, bellum, quam pacem, malebant. Fuere item ea tempestate, qui crederent, M. Licinium Crassum non ignarum eius consilii fuisse; quia Cn. Pompeius invisus ipsi magnum exercitum ductabat, cuiusvis opes voluisse contra illius potentiam crescere: simul confisum, si coniuratio valuisset, facile apud illos principem se fore.

XVIII. Sed antea item coniuravere pauci contra rempublicam, in quibus Catilina. de quo quam verissume potero, dicam. L. Tullo, M. Lepido consulibus; P. Autronius et P. Sulla designati consules legibus ambitus interrogati poenas dederant. Post paulo Catilina, pecuniarum repetundarum reus, prohibitus erat consulatum petere; quod intra legitimos dies profiteri nequiverit. Erat eodem tempore Cn. Piso, adolescens nobilis, summae audaciae, egens, factiosus, quem ad perturbandam rempublicam inopia atque mali mores stimulabant. Cum hoc Catilina et Autronius, circiter Nonas Decembres consilio communicato, parabant inCapitolio Kalendis Ianuariis L.Cottam et L. Torquatum Consules interficere; ipsi, fascibus correptis, Pisonem cum exercitu ad obtinendas duas Hispanias mittere. Ea re cognita rursus, in Nonas Februarias consilium caedis transtulerant. Iam tum nonConsulibus modo, sed plerisque Senatoribus perniciem machinabantur. Quod ni Catilina maturasset, pro curia signum sociis dare; eo die, post conditam urbem Romam, pessumum facinus patratum foret. Quia nondum frequentes armati convenerant; ea res consilium diremit.

XIX. Postea Piso in citeriorem Hispaniam Quaestor pro Praetore missus est, adnitente Crasso; quod eum infestum inimicum Cn. Pompeio cognoverat. Neque tamen senatus provinciam invitus dederat: quippe foedum hominem a republica procul esse volebat: simul, quia boni quam plures praesidium in eo putabant: et iam tum potentia Cn. Pompeii formidolosa erat. Sed is Piso, in provinciam, ab equitibus Hispanis, quos in exercitu ductabat, iter faciens, occisus est. Sunt, qui ita dicunt, imperia eius iniusta, superba, crudelia barbaros nequivisse pati: alii autem, equites illos, Cn. Pompeii veteres fidosque clientes, voluntate eius Pisonem adgressos: numquam Hispanos praeterea tale facinus fecisse, sed imperia saeva multa

antea perpessos. Nos eam rem in medio relinquemus. De superiore coniuratione satis dictum.

XX. Catilina ubi eos, quos paulo ante memoravi, convenisse videt: tametsi cum singulis multa saepe egerat; tamen in rem fore credens universos adpellare et cohortari, in abditam partem aedium secessit: atque ibi, omnibus arbitris procul amotis, orationem huiuscemodi habuit.

*Ni virtus fidesque vestra satis spectata mihi forent, nequidquam opportuna res cecidisset; spes magna, dominatio in manibus frustra fuissent: neque ego per ignaviam, aut vana ingenia, incerta pro certis captarem. Sed quia multis et magnis tempestatibus vos cognovi fortes fidosque mihi: eo animus ausus, maxumum atque pulcherrumum facinus incipere: simul quia vobis, eadem quae mihi, bona malaque esse intellexi. nam idem velle atque nolle, ea demum firma amicitia est. Sed, ego quae mente agitavi, omnes iam antea diversi audistis. Ceterum mihi in dies magis animus accenditur, cum considero, quae conditio vitae futura sit, nisi nosmet ipsos vindicamus in libertatem. Nam postquam respublica in paucorum ius atque ditionem concessit; semper illis reges, tetrarchae vectigales esse: populi, nationes, stipendia pendere: ceteri omnes, strenui, boni, nobiles atque ignobiles vulgus fuimus, sine gratia, sine auctoritate, his obnoxii, quibus, si respublica valeret, formidini essemus. Itaque omnis gratia, potentia, honos, divitiae apud illos sunt, aut ubi illi volunt: nobis reliquere pericula, repulsas, iudicia, egestatem. Quae quousque tandem patiemini fortissumi viri? Nonne emori per virtutem praestat, quam vitam miseram atque inhonestam, ubi alienae superbiae ludibrio fueris, per dedecus amittere? Verum enim vero, pro Deûm atque hominum fidem! victoria in manu nobis est, viget aetas, animus valet: contra illis, annis atque*

*divitiis omnia consenuerunt. tantummodo incepto opus est: cetera res expediet. Etenim quis mortalium, cui virile ingenium est, tolerare potest, illis divitias superare, quas profundant in exstruendo mari et montibus coaequandis; nobis rem familiarem etiam ad necessaria deesse? illos binas, aut amplius, domos continuare: nobis larem familiarem nusquam ullum esse? Cum tabulas, signa, toreumata emunt; nova diruunt, alia aedificant; postremo omnibus modis pecuniam trahunt, vexant, tamen summa lubidine divitias vincere nequeunt. At nobis est domi inopia, foris aes alienum: mala res, spes multo asperior. denique, quid reliqui habemus, praeter miseram animam? Quin igitur expergiscimini? En illa, illa, quam saepe optastis, libertas, praeterea divitiae, decus, gloria in oculis sita sunt! Fortuna ea omnia victoribus praemia posuit. Res, tempus, pericula, egestas, belli spolia magnifica, magis quam oratio mea vos hortentur. Vel imperatore, vel milite me utimini; neque animus, neque corpus a vobis aberit. Haec ipsa, ut spero, vobiscum una consul agam: nisi forte me animus fallit, et vos servire magis, quam imperare, parati estis.*

**XXI.** Postquam accepere ea homines, quibus mala abunde omnia erant, sed neque res neque spes bona ulla; tametsi illis quieta movere, magna merces videbatur; tamen postulare plerique, uti proponeret, quae conditio belli foret: quae praemia armis peterent, quid ubique opis aut spei haberent. Tum Catilina polliceri tabulas novas, proscriptionem locupletium, magistratus, sacerdotia, rapinas, alia omnia, quae bellum atque lubido victorum fert. Praeterea, esse in Hispania citeriore Pisonem, in Mauretania cum exercitu P. Sittium Nucerinum, consilii sui participes: petere consulatum C. Antonium, quem sibi collegam fore speraret, hominem et familiarem, et omnibus ne-

cessitudinibus circumventum: cum eo se consulem initium agendi facturum. Ad hoc maledictis increpat omnis bonos: suorum unumquemque nominans laudare; admonebat alium egestatis, alium cupiditatis suae, complures periculi aut ignominiae, multos victoriae Sullanae, quibus ea praedae fuerat. Postquam omnium animos alacris videt; cohortatus, ut petitionem suam curae haberent, conventum dimisit.

XXII. Fuere ea tempestate, qui dicerent, Catilinam, oratione habita, cum ad iusiurandum popularis sceleris sui adigeret, humani corporis sanguinem, vino permixtum, in pateris circumtulisse; inde, cum post exsecrationem omnes degustavissent, sicuti in sollemnibus sacris fieri consuevit, aperuisse consilium suum, atque eo, dictitare, fecisse, quo inter se fidi magis forent, alius alii tanti facinoris conscii. Nonnulli ficta et haec, et multa praeterea existumabant ab iis, qui Ciceronis invidiam, quae postea orta est, leniri credebant atrocitate sceleris eorum, qui poenas dederant. Nobis ea res pro magnitudine parum comperta est.

XXIII. Sed in ea coniuratione fuit Q. Curius, natus haud obscuro loco, flagitiis atque facinoribus coopertus; quem Censores Senatu, probri gratia moverant. Huic homini non minor vanitas, quam audacia inerat; neque reticere, quae audierat, neque suamet ipse scelera occultare. prorsus neque dicere, neque facere quidquam pensi habebat. Erat ei cum Fulvia, muliere nobili, stupri vetus consuetudo; cui cum minus gratus esset, quia inopia minus largiri poterat, repente glorians maria montesque polliceri coepit; minari interdum ferro, nisi obnoxia foret: postremo ferocius agitare, quam solitus erat. At Fulvia, insolentiae Curii causa cognita, tale periculum reipublicae haud occultum habuit, sed, sublato auctore, de Catilinae coniuratione, quae quoque modo audierat, compluribus narravit. Ea res inprimis studia hominum

accendit ad consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni. Namque antea pleraque nobilitas invidia aestuabat, et quasi pollui consulatum credebant, si eum, quamvis egregius, homo novus adeptus foret. Sed ubi periculum advenit, invidia atque superbia postfuere.

XXIV. Igitur comitiis habitis, Consules declarantur M. Tullius et C. Antonius. quod factum primo populares coniurationis concusserat. Neque tamen Catilinae furor minuebatur; sed in dies plura agitare; arma per Italiam locis opportunis parare; pecuniam sua, aut amicorum fide sumtam mutuam, Faesulas ad Manlium quemdam portare, qui postea princeps fuit belli faciundi. Ea tempestate plurimos cuiusque generis homines adscivisse sibi dicitur; mulieres etiam aliquot, quae primo ingentis sumtus stupro corporis toleraverant: post, ubi aetas tantummodo quaestui, neque luxuriae modum fecerat, aes alienum grande conflaverant. per eas se Catilina credebat posse servitia urbana sollicitare, urbem incendere, viros earum vel adiungere sibi, vel interficere.

XXV. Sed in his erat Sempronia, quae multa saepe virilis audaciae facinora commiserat. Haec mulier genere atque forma, praeterea viro, liberis satis fortunata fuit: literis Graecis atque Latinis docta: psallere et saltare elegantius, quam necesse est probae: multa alia, quae instrumenta luxuriae sunt. Sed ei cariora semper omnia, quam decus atque pudicitia fuit. pecuniae an famae minus parceret, haud facile discerneres; lubidine sic accensa, ut saepius peteret viros, quam peteretur. Sed ea saepe antehac fidem prodiderat, creditum abiuraverat, caedis conscia fuerat, luxuria atque inopia praeceps abierat. Verum ingenium eius haud absurdum; posse versus facere, iocum movere, sermone uti vel modesto, vel molli, vel procaci. prorsus multae facetiae multusque lepos inerat.

XXVI. His rebus comparatis, Catilina nihilo minus in proxumum annum consulatum petebat; sperans,

si designatus foret, facile se ex voluntate Antonio usurum. Neque interea quietus erat, sed omnibus modis insidias parabat Ciceroni. Neque illi tamen ad cavendum dolus, aut astutiae deerant. Namque a principio consulatus sui, multa pollicendo per Fulviam, effecerat, ut Q. Curius, de quo paulo ante memoravi, consilia Catilinae sibi proderet. Ad hoc collegam suum Antonium pactione provinciae perpulerat, ne contra rempublicam sentiret. circum se praesidia amicorum atque clientium occulte habebat. Postquam dies comitiorum venit, et Catilinae neque petitio, neque insidiae, quas Consuli in campo fecerat, prospere cessere; constituit bellum facere et extrema omnia experiri: quoniam quae occulte tentaverat, aspera foedaque evenerant.

XXVII. Igitur C. Manlium Faesulas atque in eam partem Etruriae, Septimium quemdam Camertem in agrum Picenum, C. Iulium in Apuliam dimisit; praeterea alium alio, quem ubique opportunum sibi fore credebat. Interea Romae multa simul moliri; Consuli insidias tendere, parare incendia, opportuna loca armatis hominibus obsidere: ipse cum telo esse, item alios iubere: hortari, uti semper intenti paratique essent: dies noctesque festinare, vigilare, neque insomniis neque labore fatigari. Postremo ubi multa agitanti nihil procedit, rursus intempesta nocte coniurationis principes convocat per M. Porcium Laecam: ibique multa de ignavia eorum questus, docet, *se Manlium praemisisse ad eam multitudinem, quam ad capiunda arma paraverat; item alios in alia loca opportuna, qui initium belli facerent; seque ad exercitum proficisci cupere, si prius Ciceronem oppressisset: eum suis consiliis multum obficere.*

XXVIII. Igitur perterritis ac dubitantibus ceteris, C. Cornelius, eques Romanus, operam suam pollicitus, et cum eo L. Vargunteius Senator, constituere ea nocte paulo post, cum armatis hominibus, sicuti saluta-

tum, introire ad Ciceronem, ac de improviso domi suae imparatum confodere. Curius ubi intellegit, quantum periculi Consuli impendeat, propere per Fulviam Ciceroni dolum, qui parabatur, enunciat. Ita illi ianua prohibiti, tantum facinus frustra susceperant. Interea Manlius in Etruria plebem sollicitare, egestate simul, ac dolore iniuriae novarum rerum cupidam: quod, Sullae dominatione, agros bonaque omnia amiserat; praeterea latrones cuiusque generis, quorum in ea regione magna copia erat; nonnullos ex Sullanis colonis, quibus lubido atque luxuria ex magnis rapinis nihil reliqui fecerant.

XXIX. Ea cum Ciceroni nunciarentur; ancipiti malo permotus, quod neque urbem ab insidiis privato consilio longius tueri poterat, neque exercitus Manlii quantus, aut quo consilio foret, satis compertum habebat, rem ad Senatum refert, iam antea volgi rumoribus exagitatam. Itaque, quod plerumque in atroci negotio solet, Senatus decrevit, *darent operam consules, ne quid respublica detrimenti caperet.* Ea potestas per Senatum, more Romano, magistratui maxuma permittitur: exercitum parare, bellum gerere, coërcere omnibus modis socios atque civis; domi militiaeque imperium atque iudicium summum habere; aliter, sine populi iussu, nulli earum rerum consuli ius est.

XXX. Post paucos dies L. Saenius senator in Senatu literas recitavit, quas Faesulis adlatas sibi dicebat. in quibus scriptum erat, C. Manlium arma cepisse, cum magna multitudine, ante diem VI. Kalendas Novembris. Simul, id quod in tali re solet, alii portenta atque prodigia nunciabant, alii conventus fieri, arma portari, Capuae atque in Apulia servile bellum moveri. Igitur Senati decreto Q. Marcius Rex Faesulas, Q. Metellus Creticus in Apuliam circumque ea loca missi: (Ii utrique ad urbem imperatores erant: impediti, ne triumpharent, calumnia paucorum, qui-

bus omnia honesta atque inhonesta vendere, mos erat.) Sed Praetores Q. Pompeius Rufus Capuam, Q. Metellus Celer in agrum Picenum; iisque permissum, *uti pro tempore atque periculo exercitum compararent.* ad hoc decrevere, *si quis indicavisset de coniuratione, quae contra rempublicam facta erat, praemium servo libertatem et sestertia centum: libero impunitatem eius rei, et sestertia ducenta.* itemque decrevere, *uti gladiatoriae familiae Capuam et in cetera municipia distribuerentur, pro cuiusque opibus: Romae per totam urbem vigiliae haberentur, iisque minores magistratus praeessent.*

XXXI. Quibus rebus permota civitas, atque immutata urbis facies erat: ex summa laetitia atque lascivia, quae diuturna quies pepererat, repente omnis tristitia invasit. festinare, trepidare; neque loco, nec homini cuiquam satis credere; neque bellum gerere, neque pacem habere: suo quisque metu pericula metiri. Ad hoc mulieres, quibus, reipublicae magnitudine, belli timor insolitus incesserat, adflictare sese, manus supplices ad coelum tendere; miserari parvos liberos; rogitare, omnia pavere; superbia atque deliciis omissis, sibi patriaeque diffidere. At Catilinae crudelis animus eadem illa movebat: tametsi praesidia parabantur: et ipse lege Plautia interrogatus ab L. Paullo. Postremo dissimulandi caussa, et quasi sui expurgandi, sicuti iurgio lacessitus foret, in Senatum venit. Tum M. Tullius Consul, sive praesentiam eius timens, seu ira commotus, orationem habuit luculentam atque utilem reipublicae: quam postea scriptam edidit. Sed, ubi ille adsedit, Catilina, ut erat paratus ad dissimulanda omnia, demisso voltu, voce supplici postulare a Patribus conscriptis, *ne quid de se temere crederent: ea familia ortum, ita ab adolescentia vitam instituisse, ut omnia bona in spe haberet: ne aestumarent, sibi patricio homini, cuius ipsius atque maiorum plurima beneficia in plebem Romanam essent, perdita*

*republica opus esse, cum eam servaret M. Tullius, inquilinus civis urbis Romae.* Ad haec maledicta alia cum adderet; obstrepere omnes, hostem atque parricidam vocare. Tum ille furibundus: *Quoniam quidem circumventus,* inquit, *ab inimicis praeceps agor, incendium meum ruina restinguam.*

XXXII. Dein se ex Curia domum proripuit. Ibi multa secum ipse volvens, quod neque insidiae consuli procedebant, et ab incendio intelligebat urbem vigiliis munitam, optumum factum credens, exercitum augere, ac prius, quam legiones scriberentur, antecapere, quae bello usui forent; nocte intempesta cum paucis in Manliana castra profectus est. Sed Cethego atque Lentulo, ceterisque, quorum cognoverat promtam audaciam, mandat, quibus rebus possent, opes factionis confirment, insidias consuli maturent, caedem, incendia, aliaque belli facinora parent: sese propediem cum magno exercitu ad urbem accessurum.

XXXIII. Dum haec Romae geruntur, C. Manlius ex suo numero legatos ad Q. Marcium Regem mittit, cum mandatis huiuscemodi: *Deos hominesque testamur, Imperator, nos arma neque contra patriam cepisse, neque quo periculum aliis faceremus, sed uti corpora nostra ab iniuria tuta forent; qui miseri, egentes, violentia atque crudelitate foeneratorum plerique patriae, sed omnes fama atque fortunis expertes sumus: neque cuiquam nostrum licuit, more maiorum, lege uti, neque, amisso patrimonio, liberum corpus habere: tanta saevitia foeneratorum atque Praetoris fuit. Saepe maiores vestrum miseriti plebis Romanae, decretis suis inopiae eius opitulati sunt: ac novissume memoria nostra, propter magnitudinem aeris alieni, volentibus omnibus bonis, argentum aere solutum est. Saepe ipsa plebes aut dominandi studio permota, aut superbia magistratuum, armata a patribus secessit. At nos non imperium neque divitias petimus; quarum rerum causa*

L 2

*bella atque certamina omnia inter mortalis sunt, sed libertatem, quam nemo bonus, nisi cum anima simul, amittit. Te atque Senatum obtestamur, consulatis miseris civibus; legis praesidium, quod iniquitas Praetoris eripuit, restituatis, neve eam necessitudinem imponatis, ut quaeramus, quonam modo, ulti maxume sanguinem nostrum, pereamus.*

XXXIV. Ad haec Q. Marcius respondit: *Si quid ab Senatu petere vellent, ab armis discedant, Romam supplices proficiscantur. ea mansuetudine atque misericordia Senatum Populumque Romanum semper fuisse, ut nemo umquam ab eo frustra auxilium petiverit.* At Catilina ex itinere plerisque Consularibus, praeterea optumo cuique literas mittit. *Se falsis criminibus circumventum, quoniam factioni inimicorum resistere nequiverit, fortunae cedere, Massiliam in exilium proficisci: non quo sibi tanti sceleris conscius esset; sed uti respublica quieta foret; neve ex sua contentione seditio oriretur.* Ab his longe diversas literas Q. Catulus in Senatu recitavit, quas sibi nomine Catilinae redditas dicebat. earum exemplum infra scriptum.

XXXV. *L. Catilina Q. Catulo S. Egregia tua fides re cognita, grata mihi, magnis in meis periculis fiduciam commendationi meae tribuit. Quamobrem defensionem in novo consilio non statui parare: satisfactionem ex nulla conscientia de culpa proponere decrevi: quam me Dius fidius veram licet cognoscas. Iniuriis contumeliisque concitatus, quod fructu laboris industriaeque meae privatus, statum dignitatis non obtinebam, publicam miserorum caussam, pro mea consuetudine suscepi: non quin aes alienum meis nominibus ex possessionibus solvere possem; cum alienis nominibus liberalitas Orestillae suis filiaeque copiis persolveret: sed quod non dignos homines honore honestatos videbam, meque falsa suspicione alienatum sentiebam. Hoc nomine*

*satis honestas pro meo casu spes reliquae dignitatis conservandae sum secutus. Plura cum scribere vellem, nunciatum est, vim mihi parari. Nunc Orestillam Tibi commendo tuaeque fidei trado. eam ab iniuria defendas, per liberos tuos rogatus. haveto.*

XXXVI. Sed ipse paucos dies commoratus apud C. Flaminium Flammam in agro Arretino, dum vicinitatem, antea sollicitatam, armis exornat, cum fascibus atque aliis imperii insignibus in castra ad Manlium contendit. Haec ubi Romae comperta sunt; senatus *Catilinam et Manlium hostes iudicat; ceterae multitudini diem statuit, ante quam sine fraude liceret ab armis discedere, praeter rerum capitalium condemnatis.* Praeterea decernit, *uti Consules dilectum habeant; Antonius cum exercitu Catilinam persequi maturet; Cicero urbi praesidio sit.* Ea tempestate mihi imperium populi Romani multo maxume miserabile visum est: cui, cum ad occasum ab ortu solis omnia domita armis parerent; domi otium atque divitiae, quae prima mortales putant, adfluerent; fuere tamen cives, qui seque remque publicam obstinatis animis perditum irent. Namque duobus Senati decretis ex tanta multitudine, neque praemio inductus coniurationem patefecerat, neque ex castris Catilinae quisquam omnium discesserat. tanti vis morbi, uti tabes, plerosque civium animos invaserat.

XXXVII. Neque solum illis aliena mens erat, qui conscii coniurationis fuerant; sed omnino cuncta plebes novarum rerum studio Catilinae incepta probabat. Id adeo more suo videbatur facere. Nam semper in civitate, quibus opes nullae sunt, bonis invident, malos extollunt; vetera odere, nova exoptant; odio suarum rerum mutari omnia student; turba atque seditionibus sine cura aluntur: quoniam egestas facile habetur sine damno. Sed urbana plebes, ea vero praeceps ierat multis de causis. Primum omnium, qui ubique probro atque petulantia maxume praestabant;

item alii per dedecora patrimoniis amissis; postremo omnes, quos flagitium aut facinus domo expulerat, ii Romam, sicuti in sentinam, confluxerant. Deinde multi memores Sullanae victoriae, quod ex gregariis militibus alios Senatores videbant, alios ita divites, uti regio victu atque cultu aetatem agerent, sibi quisque, si in armis foret, ex victoria talia sperabat. Praeterea iuventus, quae in agris, manuum mercede, inopiam toleraverat, privatis atque publicis largitionibus excita, urbanum otium ingrato labori praetulerat: eos atque alios omnes malum publicum alebat. Quo minus mirandum, homines egentis, malis moribus, maxuma spe, reipublicae iuxta ac sibi consuluisse. Praeterea, quorum, victoria Sullae, parentes proscripti, bona erepta, ius libertatis imminutum erat, haud sane alio animo belli eventum exspectabant. Ad hoc, quicumque aliarum atque Senati partium erant, conturbari rempublicam, quam minus valere ipsi malebant. Id adeo malum multos post annos in civitatem reverterat.

XXXVIII. Nam postquam Cn. Pompeio et M. Crasso Consulibus tribunicia potestas restituta est; homines adolescentes summam potestatem nacti, quibus aetas animusque ferox erat, coepere, Senatum criminando, plebem exagitare; dein largiundo, atque pollicitando magis incendere; ita ipsi clari potentesque fieri. Contra eos summa ope nitebatur pleraque nobilitas, Senati specie, pro sua magnitudine. Namque, uti paucis verum absolvam, per illa tempora quicumque Rempublicam agitavere, honestis nominibus, alii, sicuti populi iura defenderent, pars, quo Senati auctoritas maxuma foret, bonum publicum simulantes, pro sua quisque potentia certabant. neque modestia, neque modus contentionis erat; utrique victoriam crudeliter exercebant.

XXXIX. Sed postquam Cn. Pompeius ad bellum maritimum atque Mithridaticum missus est; plebis opes imminutae, paucorum potentia crevit. Hi magi-

stratus, provincias, aliaque omnia tenere; ipsi innoxii, florentes, sine metu aetatem agere, ceteros iudiciis terrere, quo plebem in magistratu placidius tractarent. Sed ubi primum dubiis rebus novandis spes oblata, vetus certamen animos eorum arrexit. Quod si primo praelio Catilina superior, aut aequa manu discessisset: profecto magna clades atque calamitas rempublicam oppressisset; neque illis, qui victoriam adepti forent, diutius ea uti licuisset, quin defessis et exsanguibus, qui plus posset, imperium atque libertatem extorqueret. Fuere tamen extra coniurationem complures, qui ad Catilinam initio profecti sunt. in his erat, A. Fulvius, senatoris filius: quem retractum ex itinere parens necari iussit. Iisdem temporibus Romae Lentulus, sicuti Catilina praeceperat, quoscumque moribus aut fortuna, novis rebus idoneos credebat, aut per se, aut per alios sollicitabat; neque solum cives, sed cuiusquemodi genus hominum, quod modo bello usui foret.

XL. Igitur P. Vmbreno cuidam negotium dat, uti legatos Allobrogum requirat; eosque, si possit, impellat ad societatem belli: existumans publice privatimque aere alieno oppressos; praeterea, quod natura gens Gallica bellicosa esset, facile eos ad tale consilium adduci posse. Vmbrenus, quod in Gallia negotiatus erat, plerisque principibus civitatium notus erat, atque eos noverat: itaque sine mora, ubi primum legatos in foro conspexit, percunctatus pauca de statu civitatis, et quasi dolens eius casum requirere coepit, *quem exitum tantis malis sperarent*? Postquam illos videt *queri de avaritia magistratuum, accusare senatum, quod in eo auxilii nihil esset; miseriis suis remedium mortem exspectare: At ego*, inquit, *vobis, si modo viri esse voltis, rationem ostendam, qua tanta ista mala effugiatis.* Haec ubi dixit, Allobroges in maxumam spem adducti, Vmbrenum orare, uti sui misereretur; nihil tam asperum, neque tam difficile

esse, quod non cupidissume facturi essent, dum ea res civitatem aere alieno liberaret. Ille eos in domum D. Bruti perducit, quod fore propinqua, neque aliena consilii, propter Semproniam: nam tum Brutus ab Roma aberat. Praeterea Gabinium arcessit, quo maior auctoritas sermoni inesset: eo praesente coniurationem aperit: nominat socios, praeterea multos cuiusque generis innoxios, quo legatis animus amplior esset: dein eos, pollicitos operam suam, domum dimittit.

XLI. Sed Allobroges diu in incerto habuere, quidnam consilii caperent. In altera parte erat aes alienum, studium belli, magna merces in spe victoriae: at in altera maiores opes, tuta consilia, pro incerta spe, certa praemia. Haec illis volventibus, tandem vicit fortuna reipublicae. Itaque Q. Fabio Sangae, cuius patrocinio civitas plurimum utebatur, rem omnem, uti cognoverant, aperiunt. Cicero, per Sangam consilio cognito, legatis praecepit, ut studium coniurationis vehementer simulent, ceteros adeant, bene polliceantur; denique operam, uti eos quam maxume manifestos habeant.

XLII. Iisdem fere temporibus in Gallia citeriore atque ulteriore, item in agro Piceno, Bruttio, Apulia motus erat. Namque illi, quos antea Catilina dimiserat, inconsulte ac veluti per dementiam cuncta simul agere: nocturnis consiliis, armorum atque telorum portationibus, festinando, agitando omnia plus timoris, quam periculi effecerant. Ex eo numero complures Q. Metellus Celer Praetor, ex Senati consulto, causa cognita, in vincula coniecerat; item in ulteriore Gallia C. Murena, qui ei provinciae legatus praeerat.

XLIII. At Romae Lentulus, cum ceteris, qui principes coniurationis erant, paratis, ut videbatur, magnis copiis, constituerat, uti, cum Catilina in agrum Faesulanum cum exercitu venisset, L. Bestia tribunus plebis, concione habita, quereretur de actionibus Ciceronis, bellique gravissumi invidiam optumo consu-

ti imponeret; eo signo, proxuma nocte cetera multitudo coniurationis, suum quisque negotium exsequerentur. Sed ea divisa hoc modo dicebatur: Statilius et Gabinius uti cum magna manu duodecim simul opportuna loca urbis incenderent, quo tumultu facilior aditus ad Consulem, ceterosque quibus insidiae parabantur, fieret: Cethegus Ciceronis ianuam obsideret, eum vi adgrederetur, alius autem alium; sed filii familiarum, quorum ex nobilitate maxuma pars erat, parentes interficerent; simul, caede et incendio perculsis omnibus, ad Catilinam erumperent. Inter haec parata atque decreta Cethegus semper querebatur de ignavia sociorum: illos dubitando et dies prolatando magnas opportunitates corrumpere; facto, non consulto, in tali periculo opus esse; seque, si pauci adiuvarent, languentibus aliis, impetum in curiam facturum. Natura ferox, vehemens, manu promtus erat, maxumum bonum in celeritate putabat.

XLIV. Sed Allobroges ex praecepto Ciceronis per Gabinium ceteros conveniunt; ab Lentulo, Cethego, Statilio, item Cassio postulant iusiurandum, quod signatum ad civis perferant: aliter haud facile eos ad tantum negotium impelli posse. Ceteri nihil suspicantes dant: Cassius semet eo brevi venturum pollicetur, ac paulo ante legatos ex urbe proficiscitur. Lentulus cum his T. Volturcium quemdam Crotoniensem mittit; uti Allobroges prius, quam domum pergerent, cum Catilina, data et accepta fide, societatem confirmarent. Ipse Volturcio literas ad Catilinam dat, quarum exemplum infra scriptum est:

*Quis sim, ex eo, quem ad te misi, cognosces. Fac cogites, in quanta calamitate sis, et memineris te virum esse; consideres, quid tuae rationes postulent auxilium petas ab omnibus, etiam ab infimis.*

Ad hoc mandata verbis dat: *Cum ab Senatu hostis iudicatus sit, quo consilio servitia repudiet? in urbe*

*parata esse, quae iusserit: ne cunctetur ipse propius accedere.*

XLV. His rebus ita actis, constituta nocte, qua proficiscerentur, Cicero, per legatos cuncta edoctus, L. Valerio Flacco et C. Pomtino Praetoribus imperat, uti in ponte Mulvio per insidias Allobrogum comitatus deprehendant; rem omnem aperit, cuius gratia mittebantur; cetera, uti facto opus sit, ita agant permittit. Homines militares, sine tumultu praesidiis collocatis, sicuti praeceptum erat, occulte pontem obsidunt. Postquam ad id loci legati cum Volturcio venere, et simul utrimque clamor exortus est; Galli, cito cognito consilio, sine mora Praetoribus se tradunt. Volturcius primo, cohortatus ceteros, gladio se a multitudine defendit; dein, ubi a legatis desertus est, multa prius de salute sua Pomtinum obtestatus, quod ei notus erat; postremo timidus, ac vitae diffidens, veluti hostibus, sese Praetoribus dedit.

XLVI. Quibus rebus confectis omnia propere per nuntios Consuli declarantur. At illum ingens cura atque laetitia simul occupavere. nam laetabatur intelligens, coniuratione patefacta, civitatem periculis ereptam esse: porro autem anxius erat, dubitans in maxumo scelere tantis civibus deprehensis, quid facto opus esset; poenam illorum sibi oneri, impunitatem perdundae reipublicae fore credebat. Igitur confirmato animo vocari ad sese iubet Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium, item Q. Coeparium quemdam Terracinensem, qui in Apuliam ad concitanda servitia proficisci parabat. Ceteri sine mora veniunt: Coeparius, paulo ante domo egressus, cognito indicio, ex urbe profugerat. Consul Lentulum, quod Praetor erat, ipse manu tenens in senatum perducit; reliquos cum custodibus in aedem Concordiae venire iubet. Eo Senatum advocat, magnaque frequentia eius ordinis, Volturcium cum legatis introducit: Flaccum Praeto-

nem, scrinium cum literis, quas a legatis acceperat, eodem adferre iubet.

XLVII. Volturcius interrogatus *de itinere, de literis, postremo quid, aut qua de causa consilii habuisset?* primo fingere alia, dissimulare de coniuratione; post ubi fide publica dicere iussus est, omnia, uti gesta erant, aperit docetque: *se paucis ante diebus a Gabinio et Coepario socium adscitum, nihil amplius scire, quam legatos: tantummodo audire solitum ex Gabinio, P. Autronium, Servium Sullam, L. Varguntеium, multos praeterea in ea coniuratione esse.* Eadem Galli fatentur: ac Lentulum dissimulantem coarguunt, praeter literas, sermonibus, quos ille habere solitus erat: *Ex libris Sibyllinis regnum Romae tribus Corneliis portendi; Cinnam atque Sullam antea: se tertium, cui fatum foret urbis potiri; praeterea ab incenso Capitolio illum esse vigesimum annum, quem saepe ex prodigiis haruspices respondissent bello civili cruentum fore.* Igitur perlectis literis, cum prius omnes signa sua cognovissent, Senatus decernit, *uti abdicato magistratu Lentulus, item ceteri in liberis custodiis haberentur.* Itaque Lentulus P. Lentulo Spintheri, qui tum aedilis, Cethegus Q. Cornificio, Statilius C. Caesari, Gabinius M. Crasso, Coeparius (nam is paulo ante ex fuga retractus erat) Cn. Terentio senatori traduntur.

XLVIII. Interea plebes, coniuratione patefacta, quae primo cupida rerum novarum, nimis bello favebat, mutata mente, Catilinae consilia exsecrari, Ciceronem ad coelum tollere; veluti ex servitute erepta gaudium atque laetitiam agitabat. Namque alia belli facinora praedae magis, quam detrimento fore; incendium vero crudele, immoderatum, ac sibi maxume calamitosum putabat; quippe cui omnes copiae in usu quotidiano et cultu corporis erant. Post eum diem quidam L. Tarquinius ad Senatum adductus erat, quem ad Catilinam proficiscentem ex itinere retractum aie-

bant. Is cum se diceret indicaturum de coniuratione, si fides publica data esset; iussus a Consule, quae sciret, edicere, eadem fere, quae Volturcius, de paratis incendiis, de caede bonorum, de itinere hostium Senatum edocet: praeterea *se missum a M. Crasso, qui Catilinae nunciaret, ne eum Lentulus, Cethegus, alii ex coniuratione deprehensi terrerent; eoque magis properaret ad urbem accedere, quo et ceterorum animos reficeret, et illi facilius e periculo eriperentur.* Sed ubi Tarquinius Crassum nominavit, hominem nobilem, maxumis divitiis, summa potentia; alii, rem incredibilem rati; pars, tametsi verum existumabant, tamen quia in tali tempore tanta vis hominis leniunda magis, quam exagitanda videbatur; plerique Crasso ex negotiis privatis obnoxii conclamant, *indicem falsum*, deque ea re postulant uti referatur. Itaque consulente Cicerone frequens Senatus decernit: *Tarquinii indicium falsum videri; eumque in vinculis retinendum; neque amplius potestatem faciundam, nisi de eo indicaret, cuius consilio tantam rem mentitus esset.* Erant eo tempore, qui existumarent, indicium illud a P. Autronio machinatum, quo facilius, adpellato Crasso, per societatem periculi reliquos illius potentia tegeret. Alii Tarquinium a Cicerone immissum aiebant, ne Crassus, more suo, suscepto malorum patrocinio rempublicam conturbaret. Ipsum Crassum ego postea praedicantem audivi, tantam illam contumeliam sibi ab Cicerone impositam.

XLIX. Sed iisdem temporibus Q. Catulus et C. Piso neque gratia, neque precibus, neque pretio Ciceronem impellere potuere, uti per Allobroges, aut alium indicem C. Caesar falso nominaretur. Nam uterque cum illo gravis inimicitias exercebant: Piso oppugnatus in iudicio repetundarum, propter cuiusdam Transpadani supplicium iniustum: Catulus ex petitione Pontificatus odio incensus, quod extrema aetate, maxumis honoribus usus, ab adolescentulo Caesare

victus discesserat. Res autem opportuna videbatur; quod privatim egregia liberalitate, publice maxumis muneribus grandem pecuniam debebat. Sed ubi Consulem ad tantum facinus impellere nequeunt, ipsi singulatim circumeundo, atque ementiundo, quae se ex Volturcio, aut Allobrogibus audisse dicerent, magnam illi invidiam conflaverant; usque eo, ut nonnulli equites Romani, qui praesidii caussa cum telis erant circum aedem Concordiae, seu periculi magnitudine, seu animi nobilitate impulsi, quo studium suum in rempublicam clarius esset, egredienti ex Senatu Caesari gladio minitarentur.

L. Dum haec in Senatu aguntur, et dum legatis Allobrogum et Tito Volturcio, comprobato eorum indicio, praemia decernuntur: liberti, et pauci ex clientibus Lentuli, diversis itineribus, opifices atque servitia in vicis ad eum eripiendum sollicitabant: partim exquirebant duces multitudinum, qui pretio rempublicam vexare soliti erant. Cethegus autem per nuncios familiam atque libertos suos, electos et exercitatos in audaciam, orabat, ut grege facto, cum telis ad sese irrumperent. Consul, ubi ea parari cognovit, dispositis praesidiis, ut res atque tempus monebat, convocato Senatu refert, *quid de his fieri placeat, qui in custodiam traditi erant.* Sed eos paulo ante frequens Senatus iudicaverat, *contra rempublicam fecisse.* Tum D. Iunius Silanus, primus sententiam rogatus, quod eo tempore Consul designatus erat, de his, qui in custodiis tenebantur, praeterea de L. Cassio, P. Furio, P. Vmbreno, Q. Annio, si deprehensi forent, supplicium sumendum decreverat. isque postea, permotus oratione C. Caesaris, pedibus in sententiam Tiberii Neronis, iturum se dixerat; quod de ea re, praesidiis additis, referundum censuerat. Sed Caesar, ubi ad eum ventum, rogatus sententiam a Consule, huiuscemodi verba locutus est.

LI. *Omnis homines, Patres conscripti, qui de re-*

*bus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet. Haud facile animus verum providet, ubi illa obficiunt. neque quisquam omnium lubidini simul et usui paruit. Ubi intenderis ingenium, valet: si lubido possidet, ea dominatur, animus nihil valet. Magna mihi copia est memorandi, P. C. qui reges atque populi, ira, aut misericordia impulsi, male consuluerint: sed ea malo dicere, quae maiores nostri, contra lubidinem animi, recte atque ordine fecere. Bello Macedonico, quod cum rege Perse gessimus, Rhodiorum civitas, magna atque magnifica, quae populi Romani opibus creverat, infida atque advorsa nobis fuit: sed postquam, bello confecto, de Rhodiis consultum est, maiores nostri, ne quis divitiarum magis, quam iniuriae caussa bellum inceptum diceret, inpunitos dimisere. Item bellis Punicis omnibus, cum saepe Carthaginienses et in pace, et per inducias multa nefaria facinora fecissent, numquam ipsi per occasionem talia fecere: magis, quid se dignum foret, quam quid in illos iure fieri posset, quaerebant. Hoc idem vobis providendum est, Patres conscripti, ne plus valeat apud vos P. Lentuli et ceterorum scelus, quam vestra dignitas; neu magis irae, quam famae consulatis. Nam si digna poena pro factis eorum reperitur, novum consilium adprobo: sin magnitudo sceleris omnium ingenia exsuperat; iis utendum censeo, quae legibus comparata sunt. Plerique eorum, qui ante me sententias dixerunt, composite atque magnifice casum reipublicae miserati sunt: quae belli saevitia esset, quae victis acciderent, enumeravere: rapi virgines, pueros; divelli liberos a parentium complexu: matres familiarum pati, quae victoribus collibuissent: fana atque domos exspoliari; caedem, incendia fieri; postremo armis, cadaveribus, cruore atque luctu omnia compleri. Sed, per deos immortalis, quo illa oratio pertinuit? an, uti vos infestos*

*coniurationi faceret? scilicet quem res tanta atque tam atrox non permovit, eum oratio accendet. Non ita est: neque cuiquam mortalium iniuriae suae parvae videntur: multi eas gravius aequo habuere. Sed aliis alia licentia, Patres conscripti. qui demissi in obscuro vitam habent, si quid iracundia deliquere, pauci sciunt; fama atque fortuna eorum pares sunt: qui magno imperio praediti in excelso aetatem agunt, eorum facta cuncti mortales novere. Ita in maxuma fortuna; minuma licentia est; neque studere; neque odisse, sed minume irasci decet. quae apud alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia atque crudelitas adpellatur. Equidem ego sic existumo, Patres conscripti, omnis cruciatus minores, quam facinora illorum esse. sed plerique mortales postrema meminere, et in hominibus impiis sceleris eorum obliti de poena disserunt, si ea paulo severior fuit. D. Silanum virum fortem atque strenuum, certe scio, quae dixerit, studio reipublicae dixisse, neque illum in tanta re gratiam, aut inimicitias exercere. eos mores, eam modestiam viri cognovi. Verum sententia eius non mihi crudelis, quid enim in talis homines crudele fieri potest? sed aliena a republica nostra videtur. Nam profecto aut metus, aut iniuria te subegit, Silane, Consulem designatum, genus poenae novum decernere. De timore supervacaneum est disserere, cum praesenti diligentia clarissumi viri Consulis, tanta praesidia sint in armis. De poena possumus equidem dicere id, quod res habet: in luctu atque miseriis mortem aerumnarum requiem, non cruciatum esse; eam cuncta mortalium mala dissolvere; ultra neque curae neque gaudio locum esse. Sed per deos immortalis, quamobrem in sententiam non addidisti, uti prius verberibus in eos animadverteretur? an, quia lex Porcia vetat? at aliae leges item condemnatis civibus animam non eripi, sed exsilium permitti iubent. An, quia gravius est verberari,*

*quam necari? quid autem acerbum, aut grave nimis in homines tanti facinoris convictos? Sin, quia levius est; qui convenit in minore negotio legem timere, cum eam in maiore neglexeris? At enim quis reprehendet, quod in parricidas reipublicae decretum erit? tempus, dies, fortuna, cuius lubido gentibus moderatur. Illis merito accidet, quidquid evenerit: ceterum vos, Patres conscripti, quid in alios statuatis, considerate. Omnia mala exempla ex bonis orta sunt: sed ubi imperium ad ignaros, aut minus bonos pervenit; novum illud exemplum ab dignis et idoneis ad indignos et non idoneos transfertur. Lacedaemonii, devictis Atheniensibus, triginta viros imposuere, qui rempublicam eorum tractarent. Hi primo coepere pessumum quemque et omnibus invisum indemnatum necare. ea populus laetari et merito dicere fieri. post, ubi paulatim licentia crevit, iuxta bonos et malos lubidinose interficere, ceteros metu terrere. Ita civitas, servitute oppressa, stultae laetitiae gravis poenas dedit. Nostra memoria, victor Sulla cum Damasippum et alios huiusmodi, qui malo reipublicae creverant, iugulari iussit, quis non factum eius laudabat? homines scelestos, factiosos, qui seditionibus rempublicam exagitaverant, merito necatos aiebant. Sed ea res magnae initium cladis fuit. nam uti quisque domum, aut villam, postremo aut vas, aut vestimentum alicuius concupiverat, dabat operam, uti in proscriptorum numero is esset. Ita quibus Damasippi mors laetitiae fuerat, post paulo ipsi trahebantur: neque prius finis iugulandi fuit, quam Sulla omnis suos divitiis explevit. Atque ego haec non in M. Tullio, neque his temporibus vereor; sed in magna civitate multa et varia ingenia sunt Potest alio tempore, alio Consule, cui item exercitus in manu sit, falsum aliquid pro vero credi. ubi hoc exemplo, per Senati decretum, Consul gladium eduxe-*

*rit, quis illi finem statuet, aut quis moderabitur? Maiores nostri, Patres conscripti, neque consilii, neque audaciae umquam eguere: neque superbia obstabat, quo minus aliena instituta, si modo proba erant, imitarentur. Arma atque tela militaria ab Samnitibus, insignia magistratuum ab Tuscis pleraque sumserunt: postremo quod ubique apud socios, aut hostis idoneum videbatur, cum summo studio domi exsequebantur: imitari, quam invidere bonis malebant. Sed eodem illo tempore, Graeciae morem imitati, verberibus animadvertebant in civis, de condemnatis summum supplicium sumebant. Postquam respublica adolevit et multitudine civium factiones valuere, circumveniri innocentes, aliaque huiuscemodi fieri coepere: tum lex Porcia aliaeque paratae, quibus legibus exsilium damnatis permissum. Hanc ego caussam, Patres conscripti, quo minus novum consilium capiamus, in primis magnam puto. Profecto virtus atque sapientia maior in illis fuit, qui ex parvis opibus tantum imperium fecere, quam in nobis, qui ea bene parta vix retinemus. Placet igitur, eos dimitti et augeri exercitum Catilinae? minume; sed ita censeo: publicandas eorum pecunias, ipsos in vinculis habendos per municipia, quae maxume opibus valent: neu quis de iis postea ad Senatum referat, neve cum populo agat: qui aliter fecerit, Senatum existumare, eum contra rempublicam et salutem omnium facturum.*

LII. Postquam Caesar dicendi finem fecit, ceteri verbo alius alii varie adsentiebantur: at M. Porcius Cato rogatus sententiam, huiuscemodi orationem habuit.

*Longe mihi alia mens est, Patres conscripti, cum res atque pericula nostra considero, et cum sententias nonnullorum mecum ipse reputo. Illi mihi disseruisse videntur de poena eorum, qui patriae, parentibus, aris atque focis suis bellum paravere: res autem monet, cavere ab illis magis, quam, quid in*

*illos statuamus, consultare. Nam cetera tum persequare, ubi facta sunt; hoc, nisi provideris, ne accidat; ubi evenit, frustra iudicia implores. capta urbe, nihil fit reliqui victis. Sed, per deos immortalis, vos ego adpello, qui semper domos, villas, signa, tabulas vestras pluris, quam rempublicam, fecistis: si ista, cuiuscumque modi sint, quae amplexamini, retinere, si voluptatibus vestris otium praebere voltis; expergiscimini aliquando et capessite rempublicam. Non agitur de vectigalibus, non de sociorum iniuriis; libertas et anima nostra in dubio est. Saepenumero, Patres conscripti, multa verba in hoc ordine feci; saepe de luxuria atque avaritia nostrorum civium questus sum; multosque mortalis ea causa advorsos habeo. qui mihi atque animo meo nullius umquam delicti gratiam fecissem, haud facile alterius lubidini malefacta condonabam. Sed, ea tametsi vos parvi pendebatis; tamen respublica firma erat, opulentia neglegentiam tolerabat. Nunc vero non id agitur, bonis an malis moribus vivamus; neque quantum, aut quam magnificum imperium populi Romani; sed cuius haec cumque modi, nostra, an nobiscum una, hostium futura sint. Hic mihi quisquam mansuetudinem et misericordiam nominat. iampridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus; quia bona aliena largiri, liberalitas; malarum rerum audacia fortitudo vocatur. eo respublica in extremo sita est. Sint sane, quoniam ita se mores habent, liberales ex sociorum fortunis, sint misericordes in furibus aerarii: ne illis sanguinem nostrum largiantur; et, dum paucis sceleratis parcunt, bonos omnis perditum eant. Bene et composite C. Caesar paulo ante in hoc ordine de vita et morte disseruit; falsa, credo, existumans, quae de inferis memorantur: diverso itinere malos a bonis loca tetra, inculta, foeda atque formidolosa habere. Itaque censuit pecunias eorum publican-*

*das, ipsos per municipia in custodiis habendos; videlicet timens, ne, si Romae sint, aut a popularibus coniurationis, aut a multitudine conducta per vim eripiantur. Quasi vero mali atque scelesti tantummodo in urbe, et non per totam Italiam sint; aut non ibi plus possit audacia, ubi ad defendendum opes minores. Quare vanum equidem hoc consilium, si periculum ex illis metuit. sin in tanto omnium metu solus non timet; eo magis refert me mihi atque vobis timere. Quare cum de P. Lentulo ceterisque statuetis, pro certo habetote, vos simul de exercitu Catilinae et de omnibus coniuratis decernere. Quanto vos attentius ea agetis, tanto illis animus infirmior erit. si paululum modo vos languere viderint, iam omnes feroces aderunt. Nolite existumare, maiores nostros armis rempublicam ex parva magnam fecisse. Si ita res esset, multo pulcherrumam eam nos haberemus: quippe sociorum atque civium, praeterea armorum atque equorum maior nobis copia, quam illis. Sed alia fuere, quae illos magnos fecere; quae nobis nulla sunt: domi industria, foris iustum imperium, animus in consulendo liber, neque delicto, neque lubidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam atque avaritiam; publice egestatem, privatim opulentiam; laudamus divitias, sequimur inertiam; inter bonos et malos discrimen nullum; omnia virtutis praemia ambitio possidet. Neque mirum; ubi vos separatim sibi quisque consilium capitis, ubi domi voluptatibus, hic pecuniae, aut gratiae servitis; eo fit, ut impetus fiat in vacuam rempublicam. Sed ego haec omitto. Coniuravere nobilissumi cives patriam incendere; Gallorum gentem infestissumam nomini Romano ad bellum arcessunt: dux hostium cum exercitu supra caput est: Vos cunctamini etiam nunc, et dubitatis, quid intra moenia deprehensis hostibus faciatis? Misereamini censeo: deliquere homines adolescentuli per ambitionem; atque*

*etiam armatos dimittatis. Nae ista vobis mansuetudo et misericordia, si illi arma ceperint, in miseriam vertet. Scilicet res aspera est; sed vos non timetis eam. Immo vero maxume; sed inertia et mollitia animi, alius alium expectantes cunctamini, videlicet diis immortalibus confisi, qui hanc rempublicam in maxumis saepe periculis servavere. Non votis, neque suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur: vigilando, agendo, bene consulendo prospere omnia cedunt. ubi socordiae te atque ignaviae tradideris, nequidquam deos implores; irati infestique sunt. Apud maiores nostros T. Manlius Torquatus bello Gallico filium suum, quod is contra imperium in hostem pugnaverat, necari iussit. atque ille egregius adolescens immoderatae fortitudinis morte poenas dedit; Vos de crudelissumis parricidis quid statuatis, cunctamini? Videlicet vita cetera eorum huic sceleri obstat. Verum parcite dignitati Lentuli, si ipse pudicitiae, si famae suae, si diis aut hominibus umquam ullis pepercit; ignoscite Cethegi adolescentiae; nisi iterum iam patriae bellum fecit. Nam quid ego de Gabinio, Statilio, Coepario loquar? quibus si quidquam umquam pensi fuisset, non ea consilia de republica habuissent. Postremo, Patres conscripti, si mehercule peccato locus esset, facile paterer, vos ipsa re corrigi, quoniam verba contemnitis; sed undique circumventi sumus. Catilina cum exercitu in faucibus urget; alii intra moenia, in sinu urbis sunt hostes: neque parari, neque consuli quidquam occulte potest. quo magis properandum. Quare ita ego censeo: cum nefario consilio sceleratorum civium respublica in maxuma pericula venerit, hique indicio T. Volturcii et legatorum Allobrogum convicti confessique sint, caedem, incendia, alia foeda atque crudelia facinora in cives patriamque paravisse; de confessis, sicuti de manifestis rerum capitalium, more maiorum, supplicium sumendum.*

LIII. Postquam Cato adsedit: Consulares omnes itemque Senatus magna pars sententiam eius laudant, virtutem animi ad coelum ferunt: alii alios increpantes timidos vocant: Cato magnus atque clarus habetur: Senati decretum fit, sicuti ille censuerat.

Sed mihi multa legenti, multa audienti, quae populus Romanus domi militiaeque, mari atque terra praeclara facinora fecit, forte lubuit attendere, quae res maxume tanta negotia sustinuisset. Sciebam, saepenumero parva manu cum magnis legionibus hostium contendisse: cognoveram parvis copiis bella gesta cum opulentis regibus: ad hoc saepe fortunae violentiam toleravisse: facundia Graecos, gloria belli Gallos ante Romanos fuisse. Ac mihi multa agitanti constabat, paucorum civium egregiam virtutem cuncta patravisse; eoque factum, uti divitias paupertas, multitudinem paucitas superaret. Sed postquam luxu atque desidia civitas corrupta est; rursus respublica magnitudine sua imperatorum atque magistratuum vitia sustentabat; ac, veluti effeta parente, multis tempestatibus haud sane quisquam Romae virtute magnus fuit. Sed memoria mea, ingenti virtute, divorsis moribus, fuere viri duo, M. Cato et C. Caesar: quos, quoniam res obtulerat, silentio praeterire non fuit consilium, quin utriusque naturam et mores, quantum ingenio possem, aperirem.

LIV. Igitur his genus, aetas, eloquentia prope aequalia fuere: magnitudo animi par, item gloria; sed alia alii. Caesar beneficiis ac munificentia magnus habebatur; integritate vitae Cato. Ille mansuetudine et misericordia clarus factus: huic severitas dignitatem addiderat. Caesar dando, sublevando, ignoscendo; Cato nihil largiundo gloriam adeptus est. In altero miseris perfugium erat; in altero malis pernicies. Illius facilitas; huius constantia laudabatur. Postremo Caesar in animum induxerat laborare, vigilare; negotiis amicorum intentus, sua neglegere; nihil dene-

gare, quod dono dignum esset; sibi magnum imperium, exercitum, novum bellum exoptabat, ubi virtus enitescere posset. At Catoni studium modestiae, decoris, sed maxume severitatis erat. Non divitiis cum divite, neque factione cum factioso; sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certabat; esse, quam videri, bonus malebat; ita quo minus gloriam petebat, eo magis sequebatur.

LV. Postquam, ut dixi, Senatus in Catonis sententiam discessit, Consul optumum factum ratus, noctem, quae instabat, antecapere, ne quid eo spatio novaretur, Triumviros; quae supplicium postulabat, parare iubet: ipse, dispositis praesidiis, Lentulum in carcerem deducit: idem fit ceteris per Praetores. Est locus in carcere, quod Tullianum adpellatur, ubi paululum adscenderis ad laevam, circiter duodecim pedes humi depressus. Eum muniunt undique parietes, atque insuper camera, lapideis fornicibus vincta; sed incultu, tenebris, odore, foeda atque terribilis eius facies est. In eum locum postquam demissus est Lentulus, quibus praeceptum erat, laqueo gulam, vindices rerum capitalium, fregere. Ita ille patricius, ex clarissuma gente Corneliorum, qui consulare imperium Romae habuerat, dignum moribus factisque suis exitium vitae invenit. De Cethego, Statilio, Gabinio, Coepario eodem modo supplicium sumtum.

LVI. Dum ea Romae geruntur, Catilina ex omni copia, quam et ipse adduxerat, et Manlius habuerat, duas legiones instituit; cohortes, pro numero militum, complet: deinde, ut quisque voluntarius, aut ex sociis in castra venit, aequaliter distribuerat; ac brevi spatio legiones numero hominum expleverat; cum initio non amplius duobus millibus habuisset. Sed ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis instructa; ceteri, ut quemque casus armaverat, sparos aut lanceas, alii praeacutas sudes portabant. Sed postquam Antonius cum exercitu adventabat, Catilina per mon-

tim iter facere, ad urbem modo, modo in Galliam versus castra movere; hostibus occasionem pugnandi non dare, sperabat propediem magnas copias sese habiturum, si Romae socii incepta patravissent. Interea servitia repudiabat, cuius initio ad eum magnae copiae concurrebant; opibus coniurationis fretus; simul alienum suis rationibus existumans, videri caussam civium cum servis fugitivis communicavisse.

LVII. Sed postquam in castra nuntius pervenit, Romae coniurationem patefactam; de Lentulo, Cethego, ceteris, quos supra memoravi, supplicium sumtum: plerique, quos ad bellum spes rapinarum, aut novarum rerum studium illexerat, dilabuntur: reliquos Catilina per montis asperos magnis itineribus in agrum Pistoriensem abducit, eo consilio, uti per tramites occulte profugeret in Galliam Transalpinam. At Q. Metellus Celer cum tribus legionibus in agro Piceno praesidebat, ex difficultate rerum eadem illa existumans, quae supra diximus, Catilinam agitare. Igitur ubi iter eius ex perfugis cognovit, castra propere movet ac sub ipsis radicibus montium consedit, qua illi descensus erat in Galliam properanti. Neque tamen Antonius procul aberat; utpote qui magno exercitu, locis aequioribus expeditos in fugam sequeretur. Sed Catilina postquam videt montibus atque copiis hostium sese clausum, in urbe res adversas, neque fugae, neque praesidii ullam spem; optumum factum ratus, in tali re fortunam belli tentare, statuit cum Antonio quam primum confligere. Itaque, concione advocata, huiuscemodi orationem habuit.

LVIII. *Compertum ego habeo, milites, verba viris virtutem non addere; neque ex ignavo strenuum, neque fortem ex timido exercitum oratione imperatoris fieri. Quanta cuiusque animo audacia natura, aut moribus inest, tanta in bello patere solet. quem neque gloria, neque pericula excitant, nequidquam hortere. timor animi auribus obficit. Sed ego*

*vos, quo pauca monerem, advocavi; simul uti caussam consilii aperirem. Scitis equidem, milites, socordia atque ignavia Lentuli quantam ipsi cladem nobisque attulerit; quoque modo, dum ex urbe praesidia opperior, in Galliam proficisci nequiverim. Nunc quo in loco res nostrae sint, iuxta mecum omnes intellegitis. Exercitus hostium duo, unus ab urbe, alter a Gallia obstant: diutius in his locis esse, si maxume animus ferat, frumenti atque aliarum rerum egestas prohibet. Quocumque ire placet, ferro iter aperiundum est. Quapropter vos moneo, uti forti atque parato animo sitis; et, cum praelium inibitis, memineritis, vos divitias, decus, gloriam, praeterea libertatem atque patriam in dextris vestris portare. Si vincimus, omnia nobis tuta erunt, commeatus abunde, coloniae atque municipia patebunt. sin metu cesserimus, eadem illa advorsa fiunt: neque locus, neque amicus quisquam teget, quem arma non texerint. Praeterea, milites, non eadem nobis et illis necessitudo impendet. nos pro patria, pro libertate, pro vita certamus: illis supervacaneum est pugnare pro potentia paucorum. Quo audacius adgredimini, memores pristinae virtutis. Licuit vobis cum summa turpitudine in exsilio aetatem agere: potuistis nonnulli Romae, amissis bonis, alienas opes exspectare. Quia illa foeda atque intoleranda viris videbantur, haec sequi decrevistis. Si relinquere voltis, audacia opus est: nemo, nisi victor, pace bellum mutavit. Nam in fuga salutem sperare, cum arma, quis corpus tegitur, ab hostibus averteris, ea vero dementia est. Semper in praelio iis maxumum est periculum, qui maxume timent: audacia pro muro habetur. Cum vos considero, milites, et cum facta vestra aestumo, magna me spes victoriae tenet. Animus, aetas, virtus vestra me hortantur; praeterea necessitudo, quae etiam timidos fortis facit. Nam multitudo hostium ne circum-*

*venire queat, prohibent angustiae loci. Quod si virtuti vestrae fortuna inviderit, cavete, ne inulti animam amittatis; neu capti potius, sicuti pecora, trucidemini, quam, virorum more pugnantes, cruentam atque luctuosam victoriam hostibus relinquatis.* »

LIX. Haec ubi dixit, paululum commoratus, signa canere iubet; atque instructos ordines in locum aequum deducit: Dein, remotis omnium equis, quo militibus, exaequato periculo, animus amplior esset, ipse pedes exercitum, pro loco atque copiis, instruit. Nam, uti planities erat inter sinistros montis, et ab dextra rupes aspera, octo cohortes in fronte constituit: reliqua signa in subsidio artius collocat. Ab his centuriones omnis electos et evocatos, praeterea ex gregariis militibus optumum quemque armatum in primam aciem subducit. C. Manlium in dextera, Faesulanum quemdam in sinistra parte curare iubet: ipse cum libertis et colonis propter aquilam adsistit, quam bello Cimbrico C. Marius in exercitu habuisse dicebatur. At ex altera parte C. Antonius, pedibus aeger, quod proelio adesse nequibat, M. Petreio legato exercitum permittit. Ille cohortis veteranas, quas tumulti causa conscripserat, in fronte; post eas ceterum exercitum in subsidiis locat. Ipse equo circumiens, unumquemque nominans adpellat, hortatur, rogat, uti meminerint, se contra latrones inermes, pro patria, pro liberis, pro aris atque focis suis certare. Homo militaris, quod amplius annos triginta tribunus, aut praefectus, aut legatus, aut praetor cum magna gloria in exercitu fuerat, plerosque ipsos factaque eorum fortia noverat; ea commemorando militum animos accendebat.

LX. Sed ubi, rebus omnibus exploratis, Petreius tuba signum dat; cohortis paulatim incedere iubet: idem facit hostium exercitus. Postquam eo ventum, unde a ferentariis proelium committi posset, maxumo clamore, cum infestis signis concurrunt; pila omittunt; gladiis res geritur. Veterani, pristinae virtutis

memores, comminus acriter instare; illi haud timidi resistunt. maxuma vi certatur. Interea Catilina cum expeditis in prima acie versari, laborantibus succurrere, integros pro sauciis arcessere: omnia providere: multum ipse pugnare, saepe hostem ferire. strenui militis, et boni imperatoris officia simul exsequebatur. Petreius, ubi videt Catilinam contra, ac ratus erat, magna vi tendere; cohortem praetoriam in medios hostis inducit, eos perturbatos, atque alios alibi resistentes interficit: deinde utrimque ex lateribus ceteros adgreditur. Manlius et Faesulanus in primis pugnantes cadunt. Postquam fusas copias, seque cum paucis relictum videt Catilina, memor generis atque pristinae suae dignitatis, in confertissumos hostes incurrit, *ibique* pugnans confoditur.

LXI. Sed confecto proelio, tum vero cerneres, quanta audacia quantaque animi vis fuisset in exercitu Catilinae. Nam fere, quem quisque vivus pugnando locum ceperat, eum, amissa anima, corpore tegebat. Pauci autem, quos medios cohors praetoria disiecerat, paulo diversius, sed omnes tamen adversis volneribus conciderant. Catilina vero longe a suis, inter hostium cadavera repertus est, paululum etiam spirans ferociamque animi, quam habuerat vivus, in voltu retinens. Postremo ex omni copia neque in proelio, neque in fuga quisquam civis ingenuus captus. Ita cuncti suae hostiumque vitae iuxta pepercerant. Neque tamen exercitus populi Romani laetam aut incruentam victoriam adeptus. nam strenuissimus quisque aut occiderat in proelio, aut graviter volneratus discesserat. Multi autem, qui de castris visundi, aut spoliandi gratia processerant, volventes hostilia cadavera, amicum alii, pars hospitem, aut cognatum reperiebant; fuere item, qui inimicos suos cognoscerent. Ita varie per omnem exercitum laetitia, moeror, luctus atque gaudia agitabantur.

---

# C. CRISPI SALLVSTII
# I V G V R T H A,
## SEV
# BELLVM IVGVRTHINVM.

I.

Falso queritur de natura sua genus humanum, quod imbecilla atque aevi brevis, forte potius quam virtute regatur. Nam contra, reputando, neque maius aliud, neque praestabilius invenias; magisque naturae industriam hominum, quam vim, aut tempus deesse. Sed dux atque imperator vitae mortalium animus est: qui ubi ad gloriam virtutis via grassatur, abunde pollens potensque et clarus est, neque fortuna eget: quippe quae probitatem, industriam, alias artis bonas neque dare, neque eripere cuiquam potest. Sin captus pravis cupidinibus ad inertiam et voluptates corporis pessum datus est: perniciosa lubidine paulisper usus; ubi per secordiam vires, tempus, ingenium defluxere, naturae infirmitas accusatur: suam quisque culpam auctores ad negotia transferunt. Quodsi hominibus bonarum rerum tanta cura esset, quanto studio aliena ac nihil profutura, multumque etiam periculosa petunt; neque regerentur magis, quam regerent casus, et eo magnitudinis procederent, ubi pro mortalibus gloria aeterni fierent.

II. Nam uti genus hominum compositum ex anima et corpore: ita res cunctae studiaque omnia nostra corporis alia, alia animi naturam sequuntur. Igitur praeclara facies, magnae divitiae, ad hoc vis corporis, et alia huiuscemodi omnia brevi dilabuntur; at ingenii egregia facinora, sicuti anima, immortalia sunt. Postremo corporis et fortunae bonorum, ut initium, sic finis est: omniaque orta occidunt et aucta senescunt; animus incorruptus, aeternus, rector humani generis, agit atque habet cuncta, neque ipse habetur. Quo magis pravitas eorum admiranda est, qui, dediti corporis gaudiis, per luxum atque ignaviam aetatem agunt: ceterum ingenium, quo neque melius, neque amplius aliud in natura mortalium est, incultu atque secordia torpescere sinunt: cum praesertim tam multae variaeque sint artes animi, quibus summa claritudo paratur.

III. Verum ex his magistratus et imperia, postremo omnis cura rerum publicarum, minume mihi hac tempestate cupiunda videntur, quoniam neque virtuti honos datur; neque illi, quibus per fraudem ius fuit, tuti, aut eo magis honesti sunt. Nam vi quidem regere patriam aut parentes, quamquam et possis, et delicta corrigas, tamen importunum est: cum praesertim omnes rerum mutationes caedem, fugam, aliaque hostilia portendant; frustra autem niti, neque aliud fatigando, nisi odium, quaerere, extremae dementiae est. nisi forte quem inhonesta et perniciosa lubido tenet, potentiae paucorum decus atque libertatem suam gratificari.

IV. Ceterum ex aliis negotiis, quae ingenio exercentur, in primis magno usui est memoria rerum gestarum: cuius de virtute, quia multi dixere, praetereundum puto; simul, ne per insolentiam quis existumet, memet, studium meum laudando, extollere. Atque ego credo fore, qui, quia decrevi procul a republica aetatem agere, tanto tamque utili labori meo no-

men inertiae imponant: certe, quibus maxuma industria videtur, salutare plebem, et conviviis gratiam quaerere. Qui si reputaverint, et quibus ego temporibus magistratus adeptus sum, et quales viri idem adsequi nequiverint, et postea quae genera hominum in senatum pervenerint; profecto existumabunt, me magis merito, quam ignavia, iudicium animi mutavisse, maiusque commodum ex otio meo, quam ex aliorum negotiis reipublicae venturum. Nam saepe audivi, Q. Maxumum, P. Scipionem, praeterea civitatis nostrae praeclaros viros solitos ita dicere, *cum maiorum imagines intuerentur, vehementissume sibi animum ad virtutem accendi.* Scilicet non ceram illam, neque figuram tantam vim in sese habere; sed memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere, neque prius sedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adaequaverit. At contra, quis est omnium his moribus, quin divitiis et sumtibus, non probitate neque industria cum maioribus suis contendat? etiam homines novi, qui antea per virtutem soliti erant nobilitatem antevenire, furtim et per latrocinia potius quam bonis artibus ad imperia et honores nituntur. proinde quasi praetura et consulatus, atque alia omnia huiuscemodi per se ipsa clara, magnifica sint, ac non perinde habeantur, ut eorum, qui sustinent, virtus est. Verum ego liberius altiusque processi, dum me civitatis morum piget taedetque. nunc ad inceptum redeo.

V. Bellum scripturus sum, quod populus Romanus cum Iugurtha, rege Numidarum gessit: primum quia magnum et atrox, variaque victoria fuit; dein quia tum primum superbiae nobilitatis obviam itum est. quae contentio divina et humana cuncta permiscuit, eoque vecordiae processit, uti studiis civilibus bellum atque vastitas Italiae finem faceret. Sed priusquam huiuscemodi rei initium expedio, pauca supra repetam; quo ad cognoscendum omnia illustria

magis, magisque in aperto sint. Bello Punico secundo, quo dux Carthaginiensium Hannibal, post magnitudinem nominis Romani, Italiae opes maxume adtriverat; Masinissa rex Numidarum, in amicitia receptus a P. Scipione, cui postea Africano cognomen ex virtute fuit, multa et praeclara rei militaris facinora fecerat: ob quae, victis Carthaginiensibus et capto Syphace, cuius in Africa magnum atque late imperium valuit, populus Romanus quascumque urbis et agros manu ceperat, regi dono dedit. Igitur amicitia Masinissae bona atque honesta nobis permansit: imperii vitaeque eius finis idem fuit. Dein Micipsa filius regnum solus obtinuit, Mastanabale et Gulussa fratribus morbo absumtis. Is Adherbalem et Hiempsalem ex sese genuit; Iugurthamque Mastanabalis fratris filium, quem Masinissa, quod ortus ex concubina erat, privatum reliquerat, eodem cultu, quo liberos suos, domi habuit.

VI. Qui ubi primum adolevit, pollens viribus, decora facie, sed multo maxume ingenio validus, non se luxui, neque inertiae corrumpendum dedit; sed, uti mos gentis illius est, equitare, iaculari, cursu cum aequalibus certare: et cum omnis gloria anteiret, omnibus tamen carus esse: ad hoc pleraque tempora in venando agere, leonem atque alias feras primus, aut in primis ferire: plurimum facere, minumum ipse de se loqui. Quibus rebus Micipsa tametsi initio laetus fuerat, existumans virtutem Iugurthae regno suo gloriae fore: tamen, postquam hominem adolescentem, exacta sua aetate, et parvis liberis, magis magisque crescere intellegit, vehementer eo negotio permotus, multa cum animo suo volvebat. Terrebat eum natura mortalium, avida imperii et praeceps ad explendam animi cupidinem: praeterea opportunitas suaeque et liberorum aetatis, quae etiam mediocris viros spe praedae transvorsos agit: ad hoc studia Numidarum in Iugurtham accensa; ex quibus, si talem virum dolis

interfecisset, ne qua seditio, aut bellum oriretur, anxius erat.

VII. His difficultatibus circumventus ubi videt, neque per vim, neque insidiis opprimi posse hominem tam acceptum popularibus, quod erat Iugurtha manu promtus et adpetens gloriae militaris, statuit eum obiectare periculis et eo modo fortunam tentare. Igitur, bello Numantino, Micipsa cum populo Romano equitum atque peditum auxilia mitteret, sperans, vel ostentando virtutem, vel hostium saevitia facile eum occasurum, praefecit Numidis, quos in Hispaniam mittebat. Sed ea res longe aliter, ac ratus erat, evenit. nam Iugurtha, ut erat impigro atque acri ingenio, ubi naturam P. Scipionis, qui tum Romanis imperator erat, et morem hostium cognovit; multo labore, multaque cura, praeterea modestissume parendo et saepe obviam eundo periculis in tantam claritudinem brevi pervenerat, ut nostris vehementer carus, Numantinis maxumo terrori esset. Ac sane, quod difficillumum in primis est, et praelio strenuus erat, et bonus consilio: quorum alterum ex providentia timorem, alterum ex audacia temeritatem adferre plerumque solet. Igitur imperator omnis fere res asperas per Iugurtham agere, in amicis habere, magis magisque eum in dies amplecti: quippe cuius neque consilium, neque inceptum ullum frustra erat. Huc accedebat munificentia animi et ingenii sollertia, quibus rebus sibi multos ex Romanis familiari amicitia coniunxerat.

VIII. Ea tempestate in exercitu nostro fuere complures novi atque nobiles, quibus divitiae bono honestoque potiores erant, factiosi, domi potentes, apud socios clari magis, quam honesti: qui Iugurthae non mediocrem animum pollicitando accendebant, *si Micipsa rex occidisset, fore, uti solus imperii Numidiae potiretur; in ipso maxumam virtutem, Romae omnia venalia esse.* Sed postquam, Numantia deleta, P. Scipio dimittere auxilia, et ipse revorti domum decrevit,

donatum atque laudatum magnifice pro concione Iugurtham in praetorium adduxit, ibique secreto monuit: *uti potius publice, quam privatim amicitiam populi R. coleret; neu quibus largiri insuesceret: periculose a paucis emi, quod multorum esset. si permanere vellet in suis artibus, ultro illi et gloriam et regnum venturum: sin properantius pergeret, suamet ipsum pecunia praecipitem casurum.*

IX. Sic locutus, cum literis eum, quas Micipsae redderet, dimisit: earum sententia haec erat: *Iugurthae tui bello Numantino longe maxuma virtus fuit: quam rem tibi certo scio gaudio esse. nobis ob merita sua carus est: uti idem senatui sit et populo Romano, summa ope nitemur. Tibi quidem pro nostra amicitia gratulor: en habes virum dignum te atque avo suo Masinissa.* Igitur rex, ubi ea, quae fama acceperat, ex literis imperatoris ita esse cognovit, cum virtute viri, tum gratia permotus, flexit animum suum, et Iugurtham beneficiis vincere adgressus est: statimque eum adoptavit, et testamento pariter cum filiis heredem instituit. Sed ipse paucos post annos, morbo atque aetate confectus, cum sibi finem vitae adesse intellegeret, coram amicis et cognatis, item Adherbale et Hiempsale filiis, dicitur huiuscemodi verba cum Iugurtha habuisse.

X. *Parvum ego, Iugurtha, te, amisso patre, sine spe, sine opibus, in meum regnum accepi; existumans non minus me tibi, quam liberis, si genuissem, ob beneficia carum fore; neque ea res falsum me habuit. Nam ut alia magna et egregia facinora tua omittam, novissume rediens Numantia meque regnumque meum gloria honoravisti: tua virtute nobis Romanos ex amicis amicissumos fecisti: in Hispania nomen familiae renovatum est: postremo, quod difficillumum inter mortalis, gloria invidiam vicisti. Nunc, quoniam mihi natura vitae finem facit, per hanc dextram, per regni fidem moneo obte-*

*storque, uti hos, qui tibi genere propinqui, beneficio meo fratres sunt, caros habeas: neu malis alienos adiungere, quam sanguine coniunctos retinere. Non exercitus, neque thesauri praesidia regni sunt, verum amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas: officio et fide pariuntur. Quis autem amicior, quam frater fratri? aut quem alienum fidum invenies, si tuis hostis fueris? Equidem ego vobis regnum trado firmum, si boni eritis; sin mali, imbecillum. Nam concordia parvae res crescunt: discordia maxumae dilabuntur. Ceterum ante hos te, Iugurtha, qui aetate et sapientia prior es, ne aliter quid eveniat, providere decet. Nam in omni certamine, qui opulentior est, etiam si accipit iniuriam, quia plus potest, facere videtur. Vos autem, Adherbal et Hiempsal, colite, observate talem hunc virum, imitamini virtutem et enitimini, ne ego meliores liberos sumsisse videar, quam genuisse.*

XI. Ad ea Iugurtha, tametsi regem ficta locutum intellegebat, et ipse longe aliter animo agitabat: tamen pro tempore benigne respondit. Micipsa paucis diebus moritur. Postquam illi, more regio, iusta magnifice fecerant regnli, in unum convenere, uti inter se de cunctis negotiis disceptarent. Sed Hiempsal, qui minumus ex illis erat, natura ferox, etiam antea ignobilitatem Iugurthae, quia materno genere impar erat, despiciens, dextera Adherbalem adsedit: ne medius ex tribus, quod apud Numidas honori ducitur, Iugurtha foret. Dein tamen, uti aetati concederet, fatigatus a fratre, vix in partem alteram transductus est. Ibi cum multa de administrando imperio dissererent, Iugurtha inter alias res iacit: *oportere quinquennii consulta omnia et decreta rescindi. nam per ea tempora confectum annis Micipsam parum animo valuisse.* Tum, idem, Hiempsal, *placere sibi*, respondit: *nam ipsum illum tribus his proxumis annis adoptatione in regnum pervenisse.* Quod verbum in pectus Iugurthae

clavis, quam quisque natus erat, descendit. Itaque ex eo tempore ira et metu anxius moliri, parare, atque ea modo cum animo habere, quibus Hiempsal per dolum caperetur. Quae ubi tardius procedunt, neque lenitur animus ferox, statuit quovis modo inceptum perficere.

XII. Primo conventu, quem ab regulis factum supra memoravi, propter dissensionem placuerat, dividi thesauros finesque imperii singulis constitui. Itaque tempus ad utramque rem decernitur, sed maturius ad pecuniam distribuendam. Reguli interea in loca propinqua thesauris alius alio concessere. Sed Hiempsal in oppido Thirmida forte eius domo utebatur, qui proxumus lictor Iugurthae, carus acceptusque ei semper fuerat: quem ille casu ministrum oblatum promissis onerat impellitque, uti tamquam suam visens domum eat, portarum clavis adulterinas paret: nam verae ad Hiempsalem referebantur: ceterum, ubi res postularet, se ipsum cum magna manu venturum. Numida mandata brevi conficit: atque, ut doctus erat, noctu Iugurthae milites introducit. Qui postquam in aedis irrupere, diversi regem quaerere: dormientis alios, alios occursantis interficere: scrutari loca abdita; clausa effringere: strepitu et tumultu omnia miscere: cum Hiempsal interim reperitur, occultans sese tugurio mulieris ancillae, quo initio pavidus et ignarus loci perfugerat. Numidae caput eius, ut iussi erant, ad Iugurtham referunt.

XIII. Ceterum fama tanti facinoris per omnem Africam brevi divulgatur; Adherbalem omnisque, qui sub imperio Micipsae fuerant, metus invadit. in duas partis discedunt Numidae: plures Adherbalem sequuntur, sed illum alterum bello meliores. Igitur Iugurtha quam maxumas potest copias armat: urbis partim vi, alias voluntate imperio suo adiungit: omni Numidiae imperare parat. Adherbal, tametsi Romam legatos miserat, qui Senatum docerent de caede fra-

tris et fortunis suis; tamen fretus multitudine militum, parabat armis contendere. Sed ubi res ad certamen venit, victus ex proelio profugit in provinciam, ac deinde Romam contendit. Tum Iugurtha, patratis consiliis postquam omni Numidia potiebatur, in otio facinus suum cum animo reputans, timere populum Romanum, neque advorsus iram eius usquam, nisi in avaritia nobilitatis et pecunia sua, spem habere. Itaque paucis diebus cum auro et argento multo legatos Romam mittit, quis praecipit, uti primum veteres amicos muneribus expleant; deinde novos adquirant: postremo quemcunque possint largiundo parare, ne cunctentur. Sed ubi Romam legati venere et, ex praecepto regis, hospitibus aliisque, quorum ea tempestate in Senatu auctoritas pollebat, magna munera misere; tanta commutatio incessit, uti ex maxuma invidia in gratiam et favorem nobilitatis Iugurtha veniret. quorum pars spe, alii praemio inducti, singulos ex Senatu ambiundo, nitebantur, ne gravius in eum consuleretur. Igitur, legati ubi satis confidunt, die constituto, Senatus utrisque datur. Tum Adherbalem hoc modo locutum accepimus.

XIV. *Patres conscripti, Micipsa pater meus moriens praecepit, uti regni Numidiae tantummodo procurationem existumarem meam; ceterum ius et imperium penes vos esse: simul eniterer, domi militiaeque quam maxumo usui esse populo Romano; vos mihi cognatorum, vos in adfinium locum ducerem: si ea fecissem, in vestra amicitia exercitum, divitias, munimenta regni me habiturum. Quae cum praecepta parentis mei agitarem; Iugurtha, homo omnium quos terra sustinet, sceleratissumus, contemto imperio vestro, Masinissae me nepotem, et iam ab stirpe socium et amicum populi Romani regno fortunisque omnibus expulit. Atque ego, Patres conscripti, quoniam eo miseriarum venturus eram, vellem, potius ob mea, quam ob maiorum meorum beneficia*

*posse me a vobis auxilium petere, ac maxume deberi mihi beneficia a populo Romano, quibus non egerem; secundum ea, si desideranda erant, uti debitis uterer. Sed quoniam parum tuta per se ipsa probitas, neque mihi in manu fuit, Iugurtha qualis foret: ad vos confugi, Patres conscripti, quibus, quod mihi miserrumum est, cogor prius oneri, quam usui esse. Ceteri reges, aut bello victi in amicitiam a vobis recepti sunt, aut in suis dubiis rebus societatem vestram adpetiverunt. familia nostra cum populo Romano bello Carthaginiensi amicitiam instituit: quo tempore magis fides eius, quam fortuna petenda erat. Quorum progeniem vos, Patres conscripti, nolite pati, me, nepotem Masinissae frustra a vobis auxilium petere. Si ad impetrandum nihil causae haberem, praeter miserandam fortunam; quod paulo ante rex, genere, fama atque copiis potens, nunc deformatus aerumnis, inops, alienas opes exspecto: tamen erat maiestatis Romani populi, prohibere iniuriam, neque pati, cuiusquam regnum per scelus crescere. Verum ego his finibus eiectus sum, quos maioribus meis populus Romanus dedit: unde pater et avus una vobiscum expulere Syphacem et Carthaginienses. Vestra beneficia mihi erepta sunt, Patres conscripti: vos in mea iniuria despecti estis. Eheu me miserum: Huccine, Micipsa pater, beneficia tua evasere? uti, quem tu parem cum tuis liberis, regnique participem fecisti, is potissimum stirpis tuae exstinctor sit? Numquamne ergo familia nostra quieta erit? semperne in sanguine, ferro, fuga versabimur? Dum Carthaginienses incolumes fuere, iure omnia saeva patiebamur: hostes ab latere, nos amici procul, spes omnis in armis erat. Postquam illa pestis ex Africa eiecta est, laeti pacem agitabamus; quippe queis hostis nullus, nisi forte quem iussissetis. Ecce autem ex improviso Iugurtha, intoleranda audacia, scelere atque superbia*

*sese ecferens, fratre meo, atque eodem propinquo suo interfecto, primum regnum eius sceleris sui praedam fecit: post, ubi me iisdem dolis nequit capere, nihil minus, quam vim, aut bellum exspectantem, in imperio vestro, sicuti videtis, extorrem patria, domo, inopem et coopertum miseriis effecit, ut ubivis tutius, quam in meo regno essem. Ego sic existumabam, Patres conscripti, ut praedicantem audiveram patrem meum, qui vestram amicitiam diligenter colerent, eos multum laborem suscipere: ceterum ex omnibus maxume tutos esse. Quod in familia nostra fuit, praestitit, uti in omnibus bellis vobis adesset. nos uti per otium tuti simus, in manu vestra est, Patres conscripti. Pater nos duos fratres reliquit: tertium, Iugurtham, beneficiis suis ratus est nobis coniunctum fore. alter eorum necatus, alterius ipse ego manus impias vix effugi. Quid agam? quo potissumum infelix accedam? generis praesidia omnia exstincta sunt: pater, uti necesse erat, naturae concessit; fratri, quem minume decuit, propinquus, per scelus vitam eripuit; adfines, amicos, propinquos ceteros, alium alia clades oppressit: capti ab Iugurtha, pars in crucem acti, pars bestiis obiecti; pauci, quibus relicta anima, clausi in tenebris, cum moerore et luctu, morte graviorem vitam exigunt. Si omnia, quae aut amisi, aut ex necessariis advorsa facta sunt, incolumia manerent, tamen, si quid ex improviso accidisset, vos implorarem, Patres conscripti; quibus, pro magnitudine imperii, ius et iniurias omnis curae esse decet. Nunc vero exsul patria, domo, solus et omnium honestarum rerum egens, quo accedam, aut quos adpellem? nationesne, an reges, qui omnes familiae nostrae ob vestram amicitiam infesti sunt? an quoquam adire licet, ubi non maiorum meorum hostilia monumenta plurima sint? aut quisquam nostri misereri potest, qui aliquando vobis hostis fuit? Postremo Masi-*

*missa nos ita instituit, Patres conscripti, ne quem coleremus, nisi populum Romanum, ne societates, ne foedera nova acciperemus: abunde magna praesidia nobis in vestra amicitia fore: si huic imperio fortuna mutaretur, una nobis occidendum esse. Virtute ac diis volentibus magni estis et opulenti; omnia secunda et obedientia sunt: quo facilius sociorum iniurias curare licet. Tantum illud vereor, ne quos privata amicitia Iugurthae, parum cognita, transversos agat: quos ego audio maxuma ope niti, ambire, fatigare vos singulos, ne quid de absente, incognita causa, statuatis: fingere me verba, fugam simulare, cui licuerit in regno manere. Quod utinam illum, cuius impio facinore in has miserias proiectus sum, eadem haec simulantem videam: et aliquando aut apud vos, aut apud deos immortalis rerum humanarum cura oriatur: ut ille, qui nunc sceleribus suis ferox atque praeclarus est, omnibus malis excruciatus, impietatis in parentem nostrum, fratris mei necis, mearumque miseriarum gravis poenas reddat. Iam iam frater, animo meo carissume, quamquam tibi immaturo, et unde minume decuit, vita erepta est: tamen laetandum magis, quam dolendum puto casum tuum. non enim regnum, sed fugam, exsilium, egestatem et omnis has, quae me premunt, aerumnas cum anima simul amisisti. At ego infelix, in tanta mala praecipitatus ex patrio regno, rerum humanarum spectaculum praebeo: incertus quid agam, tuasne iniurias persequar, ipse auxilii egens; an regno consulam, cuius vitae necisque potestas ex opibus alienis pendet. Vtinam emori fortunis meis honestus exitus esset, ne vivere contemtus viderer, si defessus malis iniuriae concessissem. Nunc neque vivere lubet, neque mori licet sine dedecore. Patres conscripti, per vos, per liberos atque parentes vestros, per maiestatem populi R. subvenite misero mihi: ite obviam iniuriae: nolite pati,*

*regnum Numidiae, quod vestrum est, per scelus et sanguinem familiae nostrae tabescere.*

XV. Postquam rex finem loquendi fecit, legati Iugurthae largitione magis, quam causa freti, paucis respondent: *Hiempsalem ob saevitiam suam ab Numidis interfectum: Adherbalem ultro bellum inferentem, postquam superatus sit, queri, quod iniuriam facere nequivisset. Iugurtham ab Senatu petere, ne alium putarent, ac Numantiae cognitus esset, neu verba inimici ante facta sua ponerent.* Deinde utrique curia egrediuntur. Senatus statim consulitur: fautores legatorum, praeterea magna pars, gratia depravata, Adherbalis dicta contemnere, Iugurthae virtutem extollere laudibus; gratia, voce, denique omnibus modis pro alieno scelere et flagitio, sua quasi pro gloria, nitebantur. At contra pauci, quibus bonum et aequum divitiis carius, subveniundum Adherbali et Hiempsalis mortem severe vindicandam censebant. sed ex omnibus maxume Aemilius Scaurus, homo nobilis, impiger, factiosus, avidus potentiae, honoris, divitiarum; ceterum vitia sua callide occultans. Is postquam videt regis largitionem famosam impudentemque, veritus, quod in tali re solet, ne polluta licentia invidiam accenderet, animum a consueta lubidine continuit.

XVI. Vicit tamen in Senatu pars illa, quae vero pretium aut gratiam anteferebat. Decretum fit, *uti decem legati regnum, quod Micipsa obtinuerat, inter Iugurtham et Adherbalem dividerent.* cuius legationis princeps fuit L. Opimius, homo clarus, et tum in Senatu potens: quia consul, C. Graccho et M. Fulvio Flacco interfectis acerrume victoriam nobilitatis in plebem exercuerat. Eum Iugurtha, tametsi Romae in inimicis habuerat, tamen adcuratissime recepit: dando et pollicendo multa perfecit, uti famae, fidei, postremo omnibus suis rebus commodum regis anteferret. Reliquos legatos eadem via adgressus, ples

rosque capit: paucis carior fides, quam pecunia fuit. In divisione, quae pars Numidiae Mauretaniam adtingit, agro, viris opulentior, Iugurthae traditur: illam alteram specie, quam usu, potiorem, quae portuosior et aedificiis magis exornata erat, Adherbal possedit.

XVII. Res postulare videtur Africae situm paucis exponere, et eas gentis, quibuscum nobis bellum, aut amicitia fuit, adtingere. Sed quae loca et nationes ob calorem, aut asperitatem, item solitudines minus frequentata sunt, de his haud facile compertum narraverim: cetera quam paucissumis absolvam.

In divisione orbis terrae plerique (in) partem tertiam Africam posuere: pauci tantummodo Asiam et Europam esse; sed Africam in Europa. Ea finis habet ab Occidente fretum nostri maris et Oceani: ab ortu solis declivem latitudinem, quem locum Catabathmon incolae adpellant. Mare saevum, importuosum; ager frugum fertilis, bonus pecori, arbori infecundus; coelo, terraque penuria aquarum. Genus hominum salubri corpore, velox, patiens laborum; plerosque senectus dissolvit, nisi qui ferro, aut bestiis interiere: nam morbus haud saepe quemquam superat. ad hoc malefici generis plurima animalia.

Sed qui mortales initio Africam habuerint, quique postea accesserint, aut quomodo inter se permixti sint: quamquam ab ea fama, quae plerosque obtinet, diversum est: tamen uti ex libris Punicis, qui regis Hiempsalis dicebantur, interpretatum nobis est; utique rem sese habere cultores eius terrae putant, quam paucissumis dicam. Ceterum fides eius rei penes auctores erit.

XVIII. Africam initio habuere Gaetuli et Libyes, asperi, incultique; queis cibus erat caro ferina atque humi pabulum, uti pecoribus. Hi neque moribus, neque lege, neque imperio cuiusquam regebantur: vagi, palantes, quas nox coegerat, sedes habebant. Sed postquam in Hispania Hercules, sicuti Afri putant, inter-

iit; exercitus eius, compositus ex variis gentibus, amisso duce, ac passim multis, sibi quisque, imperium petentibus, brevi dilabitur. Ex eo numero Medi, Persae et Armenii, navibus in Africam transvecti, proxumos nostro mari locos occupavere. Sed Persae intra Oceanum magis; iique alveos navium inversos pro tuguriis habuere; quia neque materia in agris, neque ab Hispanis emundi, aut mutandi copia erat; mare magnum et ignara lingua commercia prohibebant. Hi paulatim per connubia Gaetulos secum miscuere: et quia saepe tentantes agros, alia, deinde alia loca petiverant, semet ipsi Numidas adpellavere. Ceterum adhuc aedificia Numidarum agrestium, quae mapalia illi vocant, oblonga incurvis lateribus tecta, quasi navium carinae sunt. Medis autem et Armeniis accessere Libyes (nam hi propius mare Africum agitabant; Gaetuli sub sole magis, haud procul ab ardoribus) hique mature oppida habuere; nam freto divisi ab Hispania mutare res inter se instituerant. Nomen eorum paulatim Libyes corrupere, barbara lingua Mauros, pro Medis, adpellantes. Sed res Persarum brevi adolevit: ac postea nomine Numidae, propter multitudinem a parentibus digressi, possedere ea loca, quae proxume Carthaginem Numidia adpellatur. Dein utrique, alteris freti, finitumos armis aut metu sub imperium cogere, nomen gloriamque sibi addidere; magis hi, qui ad nostrum mare processerant; quia Libyes, quam Gaetuli, minus bellicosi. Denique Africae pars inferior pleraque ab Numidis possessa est; victi omnes in gentem nomenque imperantium concessere.

XIX. Postea Phoenices, alii multitudinis domi minuendae gratia, pars imperii cupidine, sollicitata plebe et aliis novarum rerum avidis, Hipponem, Hadrumetum, Leptim aliasque urbis in ora maritima condidere: haeque brevi multum auctae, pars originibus praesidio, aliae decori fuere. nam de Carthagine si-

lere melius puto, quam parum dicere; quoniam alio properare tempus monet.

Igitur ad Catabathmon, qui locus Aegyptum ab Africa dividit, secundo mari, prima Cyrene est, colonia Thereôn, ac deinceps duae Syrtes, interque eas Leptis: dein Philenôn arae, quem locum Aegyptum versus, finem imperii habuere Carthaginienses: post aliae Punicae urbes. Cetera loca usque ad Mauretaniam Numidae tenent; proxume Hispaniam Mauri sunt: super Numidiam Gaetulos accepimus partim in tuguriis, alios incultius vagos agitare: post eos Aethiopas esse: dein loca exusta solis ardoribus. Igitur bello Iugurthino pleraque ex Punicis oppida et finis Carthaginiensium, quos novissume habuerant, populus Romanus per magistratus administrabat: Gaetulorum magna pars et Numidia usque ad flumen *Mulucham* sub Iugurtha erant: Mauris omnibus rex Bocchus imperitabat, praeter nomen, cetera ignarus populi Romani; itemque nobis neque bello, neque pace antea cognitus. De Africa et eius incolis ad necessitudinem rei satis dictum.

XX. Postquam, regno diviso, legati Africa discessere, et Iugurtha contra timorem animi praemia sceleris adeptum sese videt; certum ratus, quod ex amicis apud Numantiam acceperat, omnia Romae venalia esse; simul et illorum pollicitationibus accensus, quos paulo ante muneribus expleverat, in regnum Adherbalis animo intendit; ipse acer, bellicosus: at is, quem petebat, quietus, imbellis, placido ingenio, opportunus iniuriae, metuens magis, quam metuendus. Igitur ex improviso finis eius cum magna manu invadit: multos mortalis cum pecore atque alia praeda capit, aedificia incendit, pleraque loca hostiliter cum equitatu accedit; dein cum omni multitudine in regnum suum convertit; existumans, dolore permotum Adherbalem iniurias suas manu vindicaturum, eamque rem belli causam fore. At ille, quod neque

se parem armis existumabat, et amicitia populi Romani magis quam Numidis fretus erat, legatos ad Iugurtham de iniuriis questum misit. qui tametsi contumeliosa dicta rettulerant, prius tamen omnia pati decrevit, quam bellum sumere: quia tentatum antea secus cesserat. Neque tamen eo magis cupido Iugurthae minuebatur: quippe qui totum eius regnum animo iam invaserat. Itaque non, ut antea, cum praedatoria manu, sed magno exercitu comparato bellum gerere coepit, et aperte totius Numidiae imperium petere. Ceterum, qua pergebat, urbis, agros vastare, praedas agere; suis animum, terrorem hostibus augere.

XXI. Adherbal ubi intellegit, eo processum, uti regnum aut relinquendum esset, aut armis retinendum: necessario copias parat et Iugurthae obvius procedit. Interim haud longe a mari, prope Cirtam oppidum, utriusque consedit exercitus: et quia diei extremum erat, praelium non inceptum. ubi plerumque noctis processit, obscuro etiam tum lumine, milites Iugurthini, signo dato, castra hostium invadunt; semisomnos partim alios arma sumentes fugant funduntque. Adherbal cum paucis equitibus Cirtam profugit; et ni multitudo togatorum fuisset, quae Numidas insequentes moenibus prohibuit, uno die inter duos reges coeptum atque patratum bellum foret. Igitur Iugurtha oppidum circumsedit, vineis turribusque et machinis omnium generum expugnare adgreditur: maxume festinans tempus legatorum antecapere, quos, ante praelium factum, Romam ab Adherbale missos audiverat. Sed postquam Senatus de bello eorum accepit, tres adolescentes in Africam legantur, qui ambos reges adeant, Senatus populique Romani verbis nuncient: *Velle et censere, eos ab armis discedere: de controversiis suis iure potius, quam bello disceptare: ita seque illisque dignum fore.*

XXII. Legati in Africam maturantes veniunt, eo magis, quod Romae, dum proficisci parant, de praelio

facto et oppugnatione Cirtae audiebatur. sed is rumor clemens erat. Quorum Iugurtha accepta oratione respondit. *Sibi neque maius quidquam, neque carius auctoritate Senati: ab adolescentia sua ita se enisum, uti ab optumo quoque probaretur: virtute, non malitia, P. Scipioni, summo viro, placuisse: ob easdem artis a Micipsa, non penuria liberorum, in regnum adoptatum esse: ceterum quo plura bene atque strenue fecisset, eo animum suum iniuriam minus tolerare. Adherbalem dolis vitae suae insidiatum; quod ubi comperisset, eius sceleri obviam isse: populum Romanum neque recte, neque pro bono facturum, si ab iure gentium sese prohibuerit: postremo de omnibus rebus legatos Romam brevi missurum.* Ita utrique digrediuntur. Adherbalis adpellandi copia non fuit.

XXIII. Iugurtha ubi eos Africa decessisse ratus est, neque, propter loci naturam, Cirtam armis expugnare potest; vallo atque fossa moenia circumdat, turris exstruit, easque praesidiis firmat: praeterea, dies noctesque, aut per vim, aut dolis tentare: defensoribus moenium praemia modo, modo formidinem ostentare: suos hortando ad virtutem erigere: prorsus intentus cuncta parare. Adherbal ubi intellegit, omnis suas fortunas in extremo sitas, hostem infestum, auxilii spem nullam, penuria rerum necessariarum bellum trahi non posse; ex his, qui una Cirtam profugerant, duo maxume impigros delegit, eos, multa pollicendo, ac miserando casum suum confirmat, uti per hostium munitiones noctu ad proxumum mare, dein Romam pergerent.

XXIV. Numidae paucis diebus iussa efficiunt: literae Adherbalis in senatu recitatae, quarum sententia haec fuit.

" *Non mea culpa saepe ad vos oratum mitto, Patres conscripti; sed vis Iugurthae subigit; quem tanta libido exstinguendi me invasit, uti neque vos.*

*neque deos immortalis in animo habeat; sanguinem meum, quam omnia, malit. Itaque quintum iam mensem, socius et amicus populi Romani armis obsessus teneor: neque mihi Micipsae patris mei beneficia, neque vestra decreta auxiliantur. ferro, an fame acrius urgear, incertus sum. Plura de Iugurtha scribere, dehortatur me fortuna mea: etiam antea expertus sum, parum fidei miseris esse. Nisi tamen intellego, illum supra, quam ego sum, petere, neque simul amicitiam vestram, et regnum meum sperare: utrum gravius existumet, nemini occultum est. Num initio occidit Hiempsalem fratrem meum: dein patrio regno me expulit. quae sane fuerint nostrae iniuriae, nihil ad vos. Verum nunc vestrum regnum armis tenet: me, quem vos imperatorem Numidis posuistis, clausum obsidet: legatorum verba quanti fecerit, pericula mea declarant. Quid reliquum, nisi vis vestra, quo moveri possit? Nam ego quidem vellem, et haec, quae scribo, et quae antea in Senatu questus sum, vana forent potius, quam miseria mea fidem verbis faceret. Sed quoniam eo natus sum, ut Iugurthae scelerum ostentui essem, non iam mortem neque aerumnas, tantummodo inimici imperium et cruciatus corporis deprecor. Regno Numidiae, quod vestrum est, uti lubet, consulite: me ex manibus impiis eripite, per maiestatem imperii, per amicitiae fidem; si ulla apud vos memoria remanet avi mei Masinissae.*

XXV. His literis recitatis, fuere, qui exercitum in Africam mittendum censerent, et quamprimum Adherbali subveniendum: de Iugurtha interim uti consuleretur, quoniam non paruisset legatis. Sed ab iisdem regis fautoribus summa ope enisum, ne decretum fieret. ita bonum publicum, ut in plerisque negotiis solet, privata gratia devictum. Legantur tamen in Africam maiores natu, nobiles, amplis honoribus: in quis fuit M. Scaurus, de quo supra memoravimus,

consularis, et tum in Senatu princeps. Hi, quod in invidia res erat, simul et ab Numidis obsecrati, triduo navim ascendere: dein brevi Vticam adpulsi, literas ad Iugurtham mittunt: *quam ocissume ad provinciam accedat; seque ad eum ab Senatu missos.* Ille ubi accepit, homines claros, quorum auctoritatem Romae pollere audiverat, contra inceptum suum venisse: primo commotus, metu atque lubidine diversus agitabatur. Timebat iram Senati, ni paruisset legatis: porro animus cupidine caecus ad inceptum scelus rapiebat. Vicit tamen in avido ingenio pravum consilium. Igitur, exercitu circumdato, summa vi Cirtam irrumpere nititur, maxume sperans, diducta manu hostium, aut vi, aut dolis sese casum victoriae inventurum. Quod ubi secus procedit, neque, quod intenderat, efficere potest, uti prius, quam legatos conveniret, Adherbalis potiretur; ne amplius morando Scaurum, quem plurimum metuebat, incenderet, cum paucis equitibus in provinciam venit. Ac tametsi Senati verbis minae graves nuntiabantur, quod oppugnatione non desisteret; multa tamen oratione consumta, legati frustra discessere.

XXVI. Ea postquam Cirtae audita sunt, Italici, quorum virtute moenia defensabantur, confisi, deditione facta, propter magnitudinem populi Romani inviolatos sese fore, Adherbali suadent, uti seque et oppidum Iugurthae tradat: tantum ab eo vitam paciscatur, de ceteris Senatui curae fore. At ille, tametsi omnia potiora fide Iugurthae rebatur; tamen, quia penes eosdem, si advorsaretur, cogendi potestas erat, ita, uti censuerant Italici, deditionem facit. Iugurtha in primis Adherbalem excruciatum necat: deinde omnis puberes Numidas et negotiatores promiscue, uti quisque armatus obvius fuerat, interfecit.

XXVII. Quod postquam Romae cognitum, et res in Senatu agitari coepta, iidem illi ministri regis interpellando ac saepe gratia, interdum iurgiis trahendo

tempus, atrocitatem facti leniebant. Ac ni C. Memmius, tribunus plebis designatus, vir acer et infestus potentiae nobilitatis, populum Romanum edocuisset, *id agi, uti per paucos factiosos Iugurthae scelus condonaretur*; profecto omnis invidia prolatandis consultationibus dilapsa foret. tanta vis gratiae, atque pecuniae regis. Sed ubi Senatus, delicti conscientia, populum timet; lege Sempronia provinciae futuris Consulibus, Numidia atque Italia decretae: Consules declarantur P. Scipio Nasica, L. Bestia Calpurnius; Calpurnio Numidia, Scipioni Italia obvenit. deinde exercitus, qui in Africam portaretur, scribitur: stipendium, aliaque, quae bello usui forent, decernuntur.

XXVIII. At Iugurtha, contra spem nuncio accepto, quippe cui, Romae omnia venum ire, in animo haeserat; filium, et cum eo duos familiaris ad Senatum legatos mittit: hisque, ut illis, quos, Hiempsale interfecto, miserat, praecipit, *omnis mortalis pecunia adgrediantur*. Qui postquam Romam adventabant; Senatus a Bestia consultus est: *placeretne legatos Iugurthae recipi moenibus*. iique decrevere: *nisi regnum, ipsumque deditum venissent, uti in diebus proxumis decem Italia decederent*. Consul Numidis ex Senati decreto nunciari iubet. Ita infectis rebus illi domum discedunt. Interim Calpurnius, parato exercitu, legat sibi homines nobilis, factiosos, quorum auctoritate, quae deliquisset, munita fore sperabat: in quis fuit Scaurus, cuius de natura et habitu supra memoravimus. Nam in Consule nostro multae bonaeque artes animi et corporis erant; quas omnis avaritia praepediebat. patiens laborum, acri ingenio, satis providens, belli haud ignarus, firmissumus contra pericula et insidias. Sed legiones per Italiam Rhegium, atque inde Siciliam, porro ex Sicilia in Africam transvectae. Igitur Calpurnius initio, paratis commeatibus, acriter Numidiam ingressus est, multos mortalis, et urbis aliquot pugnando cepit.

XXIX. Sed ubi Iugurtha per legatos pecunia tentare, bellique, quod administrabat, asperitatem ostendere coepit: animus aeger avaritia facile conversus est. Ceterum socius et administer omnium consiliorum adsumitur Scaurus: qui tametsi a principio, plerisque ex factione eius corruptis, acerrume regem impugnaverat; tamen magnitudine pecuniae a bono honestoque in pravum abstractus est. Sed Iugurtha primum tantummodo belli moram redimebat, existumans, sese aliquid interim Romae pretio, aut gratia effecturum: postea vero quam participem negotii Scaurum accepit, in maxumam spem adductus recuperandae pacis, statuit cum eis de omnibus pactionibus praesens agere. Ceterum interea, fidei caussa, mittitur a Consule Sextius Quaestor in oppidum Iugurthae Vagam: cuius rei species erat acceptio frumenti, quod Calpurnius palam legatis imperaverat: quoniam deditionis mora induciae agitabantur. Igitur rex, uti constituerat, in castra venit: ac pauca, praesenti consilio, locutus de invidia facti sui, atque in deditionem uti acciperetur; reliqua cum Bestia et Scauro secreta transigit, dein postero die, quasi per saturam exquisitis sententiis, in deditionem accipitur. Sed, uti pro consilio imperatum erat, elephanti triginta, pecus atque equi multi, cum parvo argenti pondere Quaestori traduntur. Calpurnius Romam ad magistratus rogandos proficiscitur. In Numidia et exercitu nostro pax agitabatur.

XXX. Postquam res in Africa gestas, quoque modo actae forent fama divolgavit; Romae per omnis locos et conventus de facto Consulis agitari: apud plebem gravis invidia: Patres solliciti erant, probarentne tantum flagitium, an decretum Consulis subverterent, parum constabat. Ac maxume eos potentia Scauri, quod is auctor et socius Bestiae ferebatur, a vero bonoque impediebat. At C. Memmius, cuius de libertate ingenii et odio potentiae nobilitatis supra diximus, in-

ter dubitationem et moras Senati, concionibus populum ad vindicandum hortari, monere, ne rempublicam, ne libertatem suam desererent: multa superba et crudelia facinora nobilitatis ostendere: prorsus intentus omni modo plebis animum accendebat. Sed quoniam ea tempestate Romae Memmii facundia clara pollensque fuit, decere existumavi, unam ex tam multis orationem perscribere; ac potissumum ea dicam, quae in concione, post reditum Bestiae, huiuscemodi verbis disseruit.

XXXI. *Multa me dehortantur a vobis, Quirites, ni studium reipublicae omnia superet: opes factionis, vostra patientia, ius nullum, ac maxume, quod innocentiae plus periculi, quam honoris est. Nam illa quidem piget dicere, his annis XX quam ludibrio fueritis superbiae paucorum; quam foede quamque inulti perierint vostri defensores; ut vobis animus ab ignavia atque socordia corruptus sit: qui ne nunc quidem, obnoxiis inimicis, exsurgitis, atque etiam nunc timetis eos, quibus vos decet terrori esse. Sed quamquam haec talia sunt, tamen obviam ire factionis potentiae animus subigit. Certe ego libertatem, quae mihi a parente meo tradita est, experiar: verum id frustra, an ob rem faciam, in vostra manu situm est, Quirites. Neque ego vos hortor, quod saepe maiores vostri fecere, uti contra iniurias armati eatis. Nihil vi, nihil secessione opus est: necesse est, suomet ipsi more praecipites eant. Occiso Tiberio Graccho, quem regnum parare aiebant, in plebem Romanam quaestiones habitae sunt. Post C. Gracchi et M. Fulvii caedem, item vestri ordinis multi mortales in carcere necati sunt: utriusque cladis non lex, verum lubido eorum finem fecit. Sed sane fuerit regni paratio, plebi sua restituere: quidquid sine sanguine civium ulcisci nequitur, iure factum sit. Superioribus annis taciti indignabamini aerarium expilari, reges et populos liberos paucis*

*nobilibus vectigal pendere; penes eosdem et summam gloriam, et maxumas divitias esse: tamen haec talia facinora impune suscepisse, parum habuere. itaque postremo leges, maiestas vestra, divina et humana omnia hostibus tradita sunt. Neque eos, qui ea fecere, pudet aut poenitet: sed incedunt per ora vestra magnifici, sacerdotia et consulatus, pars triumphos suos ostentantes; perinde quasi ea honori, non praedae habeant. Servi aere parati imperia iniusta dominorum non perferunt; vos, Quirites, imperio nati, aequo animo servitutem toleratis. At qui sunt hi, qui rempublicam occupavere? homines sceleratissumi, cruentis manibus, immani avaritia, nocentissumi, idemque superbissumi; quis fides, decus, pietas, postremo honesta atque inhonesta omnia quaestui sunt. Pars eorum occidisse tribunos plebis; alii quaestiones iniustas; plerique caedem in vos fecisse, pro munimento habent. Ita quam quisque pessume fecit, tam maxume tutus est. metum a scelere suo ad ignaviam vestram transtulere: quos omnis eadem cupere, eadem odisse, eadem metuere in unum coëgit. sed haec inter bonos amicitia est, inter malos factio. Quod si tam vos libertatis curam haberetis, quam illi ad dominationem accensi sunt; profecto neque respublica, sicuti nunc, vastaretur; et beneficia vestra penes optumos, non audacissumos, forent. Maiores vestri, parandi iuris et maiestatis constituendae gratia, bis, per secessionem, armati Aventinum occupavere. vos pro libertate, quam ab illis accepistis, non summa ope nitemini? atque eo vehementius, quo maius dedecus est, parta amittere, quam omnino non paravisse. Dicet aliquis: Quid igitur censes? vindicandum in eos, qui hosti prodidere rempublicam: non manu, neque vi; quod magis vos fecisse, quam illis accidisse indignum est, verum quaestionibus et indicio ipsius Iugurthae. qui si deditičius est, profecto ius-*

*sis vestris obediens erit: sin ea contemnit; scilicet aestumabitis, qualis illa pax, aut deditio sit, ex qua ad Iugurtham scelerum impunitas, ad paucos potentis maxumae divitiae, in rempublicam damna atque dedecora pervenerint. Nisi forte nondum etiam vos dominationis eorum satietas tenet, et illa, quam haec tempora, magis placent, cum regna, provinciae, leges, iura, iudicia, bella atque paces; postremo divina et humana omnia penes paucos erant; vos autem, hoc est, populus Romanus, invicti ab hostibus, imperatores omnium gentium, satis habebatis animam retinere. nam servitutem quidem quis vestrum recusare audebat? Atque ego tametsi viro flagitiosissumum existumo, impune iniuriam accepisse; tamen vos hominibus sceleratissumis ignoscere, quoniam cives sunt; aequo animo paterer, nisi misericordia in perniciem casura esset. Nam et illis, quantum importunitatis habent, parum est, impune male fecisse, nisi deinde faciundi licentia eripitur: et vobis aeterna sollicitudo remanebit, cum intellegetis, aut serviundum esse, aut per manus libertatem retinendam. Nam fidei quidem, aut concordiae quae spes est? Dominari illi volunt; vos liberi esse: facere illi iniurias: vos prohibere: postremo sociis vestris veluti hostibus; hostibus pro sociis utuntur. Potestne in tam divorsis mentibus pax, aut amicitia esse? Quare moneo hortorque, ne tantum scelus impunitum omittatis. Non peculatus aerarii factus est, neque per vim sociis ereptae pecuniae: quae quamquam gravia; tamen consuetudine iam pro nihilo habentur. Hosti acerrumo prodita Senati auctoritas, proditum imperium vestrum: domi militiaeque respublica venalis fuit. Quae nisi quaesita erunt, ni vindicatum in noxios: quid erit reliquum, nisi ut illis, qui ea fecere, obedientes vivamus? nam impune quaelibet facere, id est Regem esse. Neque ego vos, Quirites, hortor,*

*nobilibus vectigal pendere; penes eosdem et summam gloriam, et maxumas divitias esse: tamen haec talia facinora impune suscepisse, parum habuere. itaque postremo leges, maiestas vestra, divina et humana omnia hostibus tradita sunt. Neque eos, qui ea fecere, pudet aut poenitet: sed incedunt per ora vestra magnifici, sacerdotia et consulatus, pars triumphos suos ostentantes: perinde quasi ea honori, non praedae habeant. Servi aere parati imperia iniusta dominorum non perferunt; vos, Quirites, imperio nati, aequo animo servitutem toleratis. At qui sunt hi, qui rempublicam occupavere? homines sceleratissumi, cruentis manibus, immani avaritia, nocentissumi, idemque superbissumi; quis fides, decus, pietas, postremo honesta atque inhonesta omnia quaestui sunt. Pars eorum occidisse tribunos plebis; alii quaestiones iniustas; plerique caedem in vos fecisse, pro munimento habent. Ita quam quisque pessume fecit, tam maxume tutus est. metum a scelere suo ad ignaviam vestram transtulere: quos omnis eadem cupere, eadem odisse, eadem metuere in unum coëgit. sed haec inter bonos amicitia est, inter malos factio. Quod si tam vos libertatis curam haberetis, quam illi ad dominationem accensi sunt; profecto neque respublica, sicuti nunc, vastaretur; et beneficia vestra penes optumos, non audacissumos forent. Maiores vestri, parandi iuris et maiestatis constituendae gratia, bis, per secessionem, armati Aventinum occupavere. vos pro libertate, quam ab illis accepistis, non summa ope nitemini? atque eo vehementius, quo maius dedecus est, parta amittere, quam omnino non paravisse. Dicet aliquis: Quid igitur censes? vindicandum in eos, qui hosti prodidere rempublicam: non manu, neque vi; quod magis vos fecisse, quam illis accidisse indignum est, verum quaestionibus et indicio ipsius Iugurthae. qui si dediticius est, profecto ius-*

*sis vestris obediens erit: sin ea contemnit; scilicet aestumabitis, qualis illa pax, aut deditio sit, ex qua ad Iugurtham scelerum impunitas, ad paucos potentis maxumae divitiae, in rempublicam damna atque dedecora pervenerint. Nisi forte nondum etiam vos dominationis eorum satietas tenet, et illa, quam haec tempora, magis placent, cum regna, provinciae, leges, iura, iudicia, bella atque paces; postremo divina et humana omnia penes paucos erant; vos autem, hoc est, populus Romanus, invicti ab hostibus, imperatores omnium gentium, satis habebatis animam retinere. nam servitutem quidem quis vestrum recusare audebat? Atque ego tametsi viro flagitiosissumum existumo, impune iniuriam accepisse; tamen vos hominibus sceleratissumis ignoscere, quoniam cives sunt, aequo animo paterer, nisi misericordia in perniciem casura esset. Nam et illis, quantum importunitatis habent, parum est, impune male fecisse, nisi deinde faciundi licentia eripitur: et vobis aeterna sollicitudo remanebit, cum intellegetis, aut serviundum esse, aut per manus libertatem retinendam. Nam fidei quidem, aut concordiae quae spes est? Dominari illi volunt; vos liberi esse: facere illi iniurias: vos prohibere: postremo sociis vestris veluti hostibus, hostibus pro sociis utuntur. Potestne in tam divorsis mentibus pax, aut amicitia esse? Quare moneo hortorque, ne tantum scelus impunitum omittatis. Non peculatus aerarii factus est, neque per vim sociis ereptae pecuniae: quae quamquam gravia; tamen consuetudine iam pro nihilo habentur. Hosti acerrumo prodita Senati auctoritas, proditum imperium vestrum: domi militiaeque respublica venalis fuit. Quae nisi quaesita erunt, ni vindicatum in noxios: quid erit reliquum, nisi ut illis, qui ea fecere, obedientes vivamus? nam impune quaelibet facere, id est Regem esse. Neque ego vos, Quirites, hortor,*

*ut malitia civis vestros perperam, quam recte fecisse, sed ne, ignoscendo malis, bonos perditum eatis. Ad hoc in republica multo praestat beneficii, quam maleficii immemorem esse. bonus tantummodo segnior fit, ubi neglegas; at malus improbior. Ad hoc, si iniuriae non sint, haud saepe auxilii egeas.*

XXXII. Haec atque alia huiuscemodi saepe dicundo, Memmius populo Romano persuadet, uti L. Cassius, qui tum Praetor erat, ad Iugurtham mitteretur, interposita fide publica, Romam duceret; quo facilius indicio regis, Scauri et reliquorum, quos pecuniae captae arcessebant, delicta patefierent. Dum haec Romae geruntur, qui in Numidia relicti a Bestia exercitui praeerant, secuti morem imperatoris sui, plurima et flagitiosissuma facinora fecere. Fuere, qui auro corrupti, elephantos Iugurthae traderent; alii perfugas vendere; pars ex pacatis praedas agebant. tanta vis avaritiae in animos eorum, veluti tabes, invaserat. At Cassius Praetor, perlata rogatione a C. Memmio, ac perculsa omni nobilitate, ad Iugurtham proficiscitur; ei timido et ex conscientia diffidenti rebus suis persuadet: *quoniam se populo Romano dedidisset, ne vim, quam misericordiam eius, experiri mallet.* Privatim praeterea fidem suam interponit, quam ille non minoris, quam publicam ducebat. talis ea tempestate fama de Cassio erat.

XXXIII. Igitur Iugurtha, contra decus regium, cultu quam maxume miserabili, cum Cassio Romam venit. Ac tametsi in ipso magna vis animi erat, confirmatus ab omnibus, quorum potentia aut scelere cuncta ea gesserat, quae supra diximus, C. Baebium tribunum plebis magna mercede parat, cuius impudentia contra ius et iniurias omnis munitus foret. At C. Memmius, advocata concione, quamquam regi infesta plebes erat, et pars *in vincula duci* iubebat, pars, *ni socios sceleris sui aperiret, more maiorum, de hoste supplicium sumi;* dignitati, quam irae magis consulens, sedare

motus, et animos eorum mollire; postremo confirmare, *fidem publicam per sese inviolatam fore*. post, ubi silentium coepit, producto Iugurtha, verba facit: *Romae Numidiaeque facinora eius memorat; scelera in patrem fratresque* ostendit; *quibus iuvantibus, quibusque ministris ea egerit, quamquam intellegat populus Romanus; tamen velle manifesta magis ex illo habere: si vera aperiret, in fide et clementia populi Romani magnam spem illi sitam: sin reticeat, non sociis saluti fore, sed se suasque spes corrupturum*.

XXXIV. Dein, ubi Memmius dicundi finem fecit, et Iugurtha respondere iussus est, C. Baebius tribunus plebis, quem pecunia corruptum supra diximus, regem tacere iubet: ac tametsi multitudo, quae in concione aderat, vehementer accensa, terrebat eum clamore, voltu, saepe impetu atque aliis omnibus, quae ira fieri amat: vicit tamen impudentia. Ita populus ludibrio habitus ex concione discessit: Iugurthae Bestiaeque et ceteris, quos illa quaestio exagitabat, animi augescunt.

XXXV. Ea erat tempestate Romae Numida quidam, nomine Massiva, Gulussae filius, Masinissae nepos: qui, quia, in dissensione regum, Iugurthae advorsus fuerat, dedita Cirta et Adherbale interfecto, profugus ex Africa abierat. Huic Sp. Albinus, qui proxumo anno post Bestiam cum Q. Minucio Rufo Consulatum gerebat, persuadet, quoniam ex stirpe Masinissae sit, Iugurthamque ob scelera invidia cum metu urgeat; regnum Numidiae ab Senatu petat. Avidus Consul belli gerundi moveri, quam senescere omnia malebat. ipsi provincia Numidia; Minucio Macedonia evenerat. Quae postquam Massiva agitare coepit, neque Iugurthae in amicis satis praesidii est: quod eorum alium conscientia, alium mala fama et timor impediebat: Bomilcari, proxumo ac maxume fido sibi, imperat, *pretio, sicuti multa confecerat, insidia-*

*tores Massivae paret, ac maxume occulte: sin id parum procedat, quovis modo Numidam interficiat.* Bomilcar mature regis mandata exsequitur; et per homines talis negotii artifices itinera egressusque eius, postremo loca atque tempora cuncta explorat: deinde, ubi res postulabat, insidias tendit. Igitur unus ex eo numero, qui ad caedem parati erant, paulo inconsultius Massivam adgreditur, illum obtruncat: sed ipse deprehensus, multis hortantibus et in primis Albino consule, indicium profitetur. Fit reus magis ex aequo, bonoque, quam ex iure gentium, Bomilcar; comes eius, qui Romam fide publica venerat. At Iugurtha, manifestus tanti sceleris, non prius omisit contra verum niti, quam animum advortit, supra gratiam atque pecuniam suam, invidiam facti esse. Igitur, quamquam in priore actione ex amicis quinquaginta vades dederat, regno magis, quam vadibus consulens, clam in Numidiam Bomilcarem dimittit: veritus, ne reliquos popularis metus invaderet parendi sibi, si de illo supplicium sumtum foret. Et ipse paucis diebus profectus est, iussus ab Senatu Italia decedere. Sed postquam Roma egressus est, fertur, saepe eo tacitus respiciens, postremo dixisse: *urbem venalem et mature perituram, si emtorem invenerit.*

XXXVI. Interim Albinus, renovato bello, commeatum, stipendium, aliaque quae militibus usui forent, maturat in Africam portare; ac statim ipse profectus, uti ante comitia, quod tempus haud longe aberat, armis, aut deditione, aut quovis modo bellum conficeret. At contra, Iugurtha trahere omnia, et alias, deinde alias morae causas facere: polliceri deditionem, ac deinde metum simulare: instanti cedere, et paulo post, ne sui diffiderent, instare: ita belli modo, modo pacis mora Consulem ludificare. Ac fuere, qui tum Albinum haud ignarum consilii regis existumarent; neque ex tanta properantia tam facile tractum bellum secordia magis, quam dolo crederent. Sed postquam,

dilapso tempore, comitiorum dies adventabat; Albinus, Aulo fratre in castris pro Praetore relicto, Romam decessit.

XXXVII. Ea tempestate Romae seditionibus tribuniciis atrociter res publica agitabatur. P. Lucullus et L. Annius, tribuni plebis, resistentibus collegis, continuare magistratum nitebantur: quae dissensio totius anni comitia impediebat. Ea mora in spem adductus Aulus, quem pro Praetore in castris relictum supra diximus, aut conficiundi belli, aut terrore exercitus ab rege pecuniae capiundae, milites mense Ianuario ex hibernis in expeditionem evocat; magnisque itineribus, hieme aspera, pervenit ad oppidum Suthul, ubi regis thesauri erant. Quod quamquam et saevitia temporis, et opportunitate loci neque capi, neque obsideri poterat: (nam circum murum, situm in praerupti montis extremo, planities limosa hiemalibus aquis paludem fecerat): tamen aut simulandi gratia, quo regi formidinem adderet, aut cupidine caecus, ob thesauros oppidi potiundi, vineas agere, aggerem iacere, aliaque quae incepto usui forent, properare.

XXXVIII. At Iugurtha, cognita vanitate atque imperitia legati, subdolus eius augere amentiam: missitare supplicantes legatos: ipse, quasi vitabundus, per saltuosa loca et tramites exercitum ductare. Denique Aulum spe pactionis perpulit, uti, relicto Suthule, in abditas regiones sese, veluti cedentem, insequeretur; ita delicta occultiora fore. Interea per homines callidos die noctuque exercitum tentabat: centuriones ducesque turmarum, partim uti transfugerent, corrumpere; alii, signo dato, locum uti desererent. Quae postquam ex sententia instruxit; intempesta nocte, de improviso, multitudine Numidarum Auli castra circumvenit. Milites Romani, perculsi tumultu insolito, arma capere alii, alii se abdere, pars territos confirmare; trepidare omnibus locis: vis magna hostium, coelum nocte atque nubibus obscuratum: periculum

anceps; postremo fugere, an manere tutius foret, in incerto erat. Sed ex eo numero, quos paulo ante corruptos diximus, cohors una Ligurum, cum duabus turmis Thracum, et paucis gregariis militibus, transiere ad regem: et centurio primi pili tertiae legionis, per munitionem, quam, uti defenderet, acceperat, locum hostibus introeundi dedit: eaque Numidae cuncti irrupere. Nostri foeda fuga, plerique abiectis armis, proxumum collem occupavere. Nox atque praeda castrorum hostes, quo minus victoria uterentur, remorata sunt. Deinde Iugurtha postero die cum Aulo in colloquio verba facit: *tametsi ipsum cum exercitu fame, ferro clausum teneat: tamen se humanarum rerum memorem, si secum foedus faceret, incolumis omnis sub iugum missurum: praeterea, uti diebus decem Numidia decederet.* Quae quamquam gravia et flagitii plena erant: tamen, quia mortis metu nutabant, sicuti regi libuerat, pax convenit.

XXXIX. Sed ubi ea Romae comperta sunt, metus atque moeror civitatem invasere: pars dolere pro gloria imperii: pars insolita rerum bellicarum timere libertati: Aulo omnes infesti, ac maxume, qui bello saepe praeclari fuerant; quod armatus dedecore, potius, quam manu, salutem quaesiverat. Ob ea Consul Albinus, ex delicto fratris invidiam, ac deinde periculum timens, Senatum de foedere consulebat: et tamen interim exercitui supplementum scribere: ab sociis et nomine Latino auxilia arcessere: denique modis omnibus festinare. Senatus ita, uti par fuerat, decernit, *suo atque populi iniussu nullum potuisse foedus fieri.* Consul impeditus a tribunis plebis, ne, quas paraverat copias, secum portaret, paucis diebus in Africam proficiscitur. nam omnis exercitus, uti convenerat, Numidia deductus, in provincia hiemabat. Postquam eo venit: quamquam persequi Iugurtham et mederi fraternae invidiae animo ardebat; cognitis militibus, quos praeter fugam, soluto imperio, licentia atque lascivia

corruperat, ex copia rerum statuit, nihil sibi agitandum.

XL. Interea Romae C. Mamilius Limetanus tribunus plebis rogationem ad populum promulgat, *uti quaereretur in eos, quorum consilio Iugurtha Senati decreta neglexisset; quique ab eo in legationibus, aut imperiis pecunias accepissent, qui elephantos, quique perfugas tradidissent; item, qui de pace, aut bello cum hostibus pactiones fecissent*. Huic rogationi partim conscii sibi, alii ex partium invidia pericula metuentes, quoniam aperte resistere non poterant, quin illa et alia talia placere sibi faterentur; occulte per amicos, ac maxume per homines nominis Latini et socios Italicos impedimenta parabant. Sed plebes, incredibile memoratu est, quam intenta fuerit, quantaque vi rogationem iusserit, decreverit, voluerit: magis odio nobilitatis, cui mala illa parabantur, quam cura reipublicae; tanta lubido in partibus erat. Igitur ceteris metu perculsis, M. Scaurus, quem legatum Bestiae fuisse supra docuimus, inter laetitiam plebis, et suorum fugam, trepida etiam tum civitate, cum ex Mamilia rogatione tres quaesitores rogarentur, effecerat, uti ipse in eo numero crearetur. Sed quaestio exercita aspere violenterque ex rumore, et lubidine plebis: ut saepe nobilitatem, sic ea tempestate plebem ex secundis rebus insolentia ceperat.

XLI. Ceterum mos partium popularium, et Senati factionum, ac deinde omnium malarum artium, paucis ante annis Romae ortus est, otio et abundantia earum rerum, quae prima mortales ducunt. Nam ante Carthaginem deletam populus et Senatus Romanus placide modesteque inter se rempublicam tractabant: neque gloriae, neque dominationis certamen inter civis erat: metus hostilis in bonis artibus civitatem retinebat. Sed ubi illa formido mentibus discessit; scilicet ea, quae secundae res amant, lascivia atque superbia incessere. Ita, quod in advorsis rebus optare-

rant, otium, postquam adepti sunt, asperius, acerbiusque fuit. Namque coepere nobilitas dignitatem, populus libertatem in lubidinem vertere: sibi quisque ducere, trahere, rapere. Ita omnia in duas partis abstracta sunt. respublica, quae media fuerat, dilacerata. Ceterum nobilitas factione magis pollebat: plebis vis soluta atque dispersa, in multitudine minus poterat: paucorum arbitrio belli domique respublica agitabatur: penes eosdem aerarium, provinciae, magistratus, gloriae triumphique erant: populus militia atque inopia urgebatur; praedas bellicas imperatores cum paucis diripiebant. Interea parentes, aut parvi liberi militum, ut quisque potentiori confinis erat, sedibus pellebantur. Ita cum potentia avaritia sine modo modestiaque invadere; polluere et vastare omnia; nihil pensi, neque sancti habere, quoad semet ipsa praecipitavit. Nam ubi primum ex nobilitate reperti sunt, qui veram gloriam iniustae potentiae anteponerent: moveri civitas, et discessio civilis, quasi permixtio terrae, oriri coepit.

XLII. Nam postquam Tiberius et C. Gracchus, quorum maiores Punico atque aliis bellis multum reipublicae addiderant, vindicare plebem in libertatem et paucorum scelera patefacere coepere: nobilitas noxia, atque eo perculsa, modo per socios ac nomen Latinum, interdum per equites Romanos, quos spes societatis a plebe dimoverat, Gracchorum actionibus obviam ierat: et primo Tiberium, dein paucos post annos eadem ingredientem Caium, Tribunum alterum, alterum Triumvirum coloniis deducendis, cum M. Fulvio Flacco ferro necaverat. Et sane Gracchis, cupidine victoriae, haud satis moderatus animus fuit. Sed bono vinci satius est, quam malo more iniuriam vincere. Igitur ea victoria nobilitas ex lubidine sua usa, multos mortalis ferro, aut fuga exstinxit; plusque in reliquum sibi timoris, quam potentiae, addidit. Quae res plerumque magnas civitatis pessum dedit,

dum alteri alteros vincere quovis modo; et victos acerbius ulcisci volunt. Sed de studiis partium et omnibus civitatis moribus, si singulatim, aut pro magnitudine parem disserere, tempus, quam res, maturius me deserat. Quamobrem ad inceptum redeo.

XLIII. Post Auli foedus exercitusque nostri foedam fugam, Q. Metellus et M. Silanus Consules designati provincias inter se partiverant: Metelloque Numidia evenerat, acri viro, et quamquam advorso populi partium, fama tamen aequabili et inviolata. Is ubi primum magistratum ingressus est, alia omnia sibi cum collega ratus, ad bellum, quod gesturus erat, animum intendit. Igitur diffidens veteri exercitui, milites scribere, praesidia undique arcessere: arma, tela, equos, cetera instrumenta militiae parare: ad hoc commeatum affatim: denique omnia, quae bello vario et multarum rerum egenti usui esse solent. Ceterum ad ea patranda Senatus auctoritate, socii nomenque Latinum et reges ultro auxilia mittendo, postremo omnis civitas summo studio adnitebatur. Itaque, ex sententia omnibus rebus paratis compositisque, in Numidiam proficiscitur, magna spe civium, cum propter bonas artes, tum maxume, quod advorsum divitias animum invictum gerebat, et avaritia magistratuum ante id tempus in Numidia nostrae opes contusae, hostiumque auctae erant.

XLIV. Sed ubi in Africam venit, exercitus ei traditur Sp. Albini Proconsulis iners, imbellis, neque periculi, neque laboris patiens, lingua, quam manu, promtior, praedator ex sociis, et ipse praeda hostium, sine imperio et modestia habitus. Ita imperatori novo plus ex malis moribus sollicitudinis, quam ex copia militum auxilii aut spei bonae accedebat. Statuit tamen Metellus, quamquam et aestivorum tempus comitiorum mora imminuerat, et exspectatione eventi civium animos intentos putabat, non prius bellum adtingere, quam, maiorum disciplina, milites labo-

rare coëgisset. Nam Albinus, Auli fratris exercitusque clade perculsus, postquam decreverat non egredi provincia, quantum temporis aestivorum in imperio fuit, plerumque milites stativis castris habebat: nisi cum odos, aut pabuli egestas locum mutare subegerat. Sed neque more militari vigiliae deducebantur; uti cuique lubebat, ab signis aberat. Lixae permixti cum militibus diu noctuque vagabantur, et palantes agros vastare, villas expugnare, pecoris et mancipiorum praedas certantes agere: eaque mutare cum mercatoribus vino advectitio, et aliis talibus: praeterea, frumentum publice datum vendere, panem in dies mercari: postremo, quaecumque dici aut fingi queunt ignaviae luxuriaeque probra, in illo exercitu cuncta fuere, et alia amplius.

XLV. Sed in ea difficultate Metellum non minus, quam in rebus hostilibus, magnum et sapientem virum fuisse comperior: tanta temperantia inter ambitionem saevitiamque moderatum. Namque edicto primum adiumenta ignaviae sustulisse, *ne quisquam in castris panem, aut quem alium coctum cibum venderet, ne lixae exercitum sequerentur; ne miles gregarius in castris, neve in agmine servum aut iumentum haberet;* ceteris arte modum statuisse. praeterea transvorsis itineribus quotidie castra movere, iuxta ac si hostes adessent, vallo atque fossa munire, vigilias crebras ponere, et eas ipse cum legatis circuire, item in agmine in primis modo, modo in postremis, saepe in medio adesse, ne quisquam ordine egrederetur, uti cum signis frequentes incederent, miles cibum et arma portaret. Ita prohibendo a delictis magis, quam vindicando, exercitum brevi confirmavit.

XLVI. Interea Iugurtha, ubi, quae Metellus agebat, ex nunciis accepit; simul de innocentia eius certior Romae factus, diffidere suis rebus, ac tum demum veram deditionem facere conatus est. Igitur legatos ad consulem cum suppliciis mittit, qui tantummodo

ipsi liberisque vitam peterent, alia omnia dederent populo Romano. Sed Metello iam antea experimentis cognitum erat, genus Numidarum infidum, ingenio mobili, novarum rerum avidum esse. Itaque legatos alium ab alio divorsos adgreditur; ac paulatim tentando, postquam opportunos sibi cognovit, multa pollicendo persuadet; *uti Iugurtham maxume vivum, sin id parum procedat, necatum sibi traderent:* ceterum palam, quae ex voluntate forent, regi nunciari iubet. Deinde ipse paucis diebus, intento atque infesto exercitu, in Numidiam procedit: ubi, contra belli faciem, tuguria plena hominum, pecora cultoresque in agris erant: ex oppidis et mapalibus praefecti regis obvii procedebant, parati frumentum dare, commeatum portare, postremo omnia, quae imperarentur, facere. Neque Metellus idcirco minus, sed pariter ac si hostes adessent, munito agmine incedere, late explorare omnia, illa deditionis signa ostentui credere, et insidiis locum tentare. Itaque ipse cum expeditis cohortibus, item funditorum et sagittariorum delecta manu apud primos erat; in postremo C. Marius legatus cum equitibus curabat: in utrumque latus auxiliarios equites tribunis legionum et praefectis cohortium dispertiverat, ut cum his permixti velites, quocumque accederent, equitatus hostium propulsarent. Nam in Iugurtha tantus dolus, tantaque peritia locorum et militiae erat, ut, absens an praesens, pacem, an bellum gerens perniciosior esset, in incerto haberetur.

XLVII. Erat haud longe ab eo itinere, quo Metellus pergebat, oppidum Numidarum, nomine Vaga, forum rerum venalium totius regni maxume celebratum; ubi et incolere, et mercari consueverant Italici generis multi mortales. Huc Consul, simul tentandi gratia, et, si paterentur opportunitates loci, praesidium imposuit: praeterea imperavit frumentum, et alia, quae bello usui forent comportare: ratus id, quod res monebat, frequentiam negotiatorum et commea-

tum invalidum exercitum, etiam paratis rebus munimento fore. Inter haec negotia Iugurtha impensius modo legatos supplices mittere, pacem orare: praeter suam liberorumque vitam, omnia Metello dedere. Quos item, ut priores, Consul illectos ad proditionem domum dimittebat: regi pacem, quam postulabat, neque abnuere, neque polliceri, et inter eas moras promissa legatorum exspectare.

XLVIII. Iugurtha ubi Metelli dicta cum factis composuit, ac se suis artibus tentari animadvortit; quippe cui verbis pax nunciabatur, ceterum re bellum asperrumum erat: urbs maxuma alienata, ager hostibus cognitus, animi popularium tentati, coactus rerum necessitudine, statuit armis certare. Igitur explorato hostium itinere, in spem victoriae adductus ex opportunitate loci, quam maxumas copias potest omnium generum parat, ac per tramites occultos exercitum Metelli antevenit. Erat in ea parte Numidiae, quam Adherbal in divisione possederat, flumen oriens a meridie, nomine Muthul; a quo aberat mons ferme millia passuum xx, tractu pari, vastus ab natura et humano cultu: sed ex eo medio quasi collis oriebatur, in immensum pertinens, vestitus oleastro ac myrtetis, aliisque generibus arborum, quae humi arido atque arenoso gignuntur. Media autem planities deserta, penuria aquae; praeter flumini propinqua loca: ea consita arbustis, pecore atque cultoribus frequentabantur.

XLIX. Igitur in eo colle, quem, transvorso itinere, porrectum docuimus, Iugurtha, extenuata suorum acie, consedit: elephantis et parti copiarum pedestrium Bomilcarem praefecit eumque edocet, quae ageret; ipse propior montem cum omni equitatu et peditibus dilectis suos collocat. dein singulas turmas atque manipulos circumiens monet atque obtestatur, *uti memores pristinae virtutis et victoriae seque regnumque suum ab Romanorum avaritia defendant:*

*cum his certamen fore, quos antea victos sub iugum miserint: ducem illis, non animum mutatum; quae ab imperatore decuerint, omnia suis provisa; locum superiorem, uti prudentes cum imperitis, ne pauciores cum pluribus, aut rudes cum bello melioribus manum consererent: proinde parati intentique essent, signo dato, Romanos invadere: illum diem, aut omnis labores et victorias confirmaturum, aut maxumarum aerumnarum initium fore.* Ad hoc viritim, uti quemque, ob militare facinus, pecunia aut honore extulerat, commonefacere beneficii sui, et eum ipsum aliis ostentare: postremo, pro cuiusque ingenio, pollicendo, minitando, obtestando. alium alio modo excitare: cum interim Metellus, ignarus hostium, monte degrediens cum exercitu conspicitur. Primo dubius, quidnam insolita facies ostenderet, (nam inter virgulta equi Numidaeque consederant, neque plane occultati humilitate arborum, et tamen incerti, quidnam esset: cum natura loci, tum dolo ipsi atque signa militaria obscurati) dein, brevi cognitis insidiis, paulisper agmen constituit. ibi commutatis ordinibus, in dextero latere, quod proxumum hostis erat, triplicibus subsidiis aciem instruxit: inter manipulos funditores et sagittarios dispertit: equitatum omnem in cornibus locat: ac pauca pro tempore milites hortatus, aciem, sicuti instruxerat, transvorsis principiis in planum deducit.

L. Sed ubi Numidas quietos, neque colle degredi animadvortit, veritus, ex anni tempore et inopia aquae, ne siti conficeretur exercitus: Rutilium legatum cum expeditis cohortibus et parte equitum praemisit ad flumen, uti locum castris antecaperet: existumans, hostis crebro impetu et transvorsis praeliis iter suum remoraturos, et quoniam armis diffiderent, lassitudinem et sitim militum tentaturos. Dein ipse pro re atque loco, sicuti monte descenderat, paulatim procedere · Marium post principia habere; ipse cum

sinistrae alae equitibus esse, qui in agmine principes facti erant. At Iugurtha, ubi extremum agmen Metelli primos suos praetergressum videt, praesidio quasi duum millium peditum montem occupat, qua Metellus descenderat; ne forte cedentibus advorsariis receptui, ac post munimento forent. dein, repente signo dato, hostis invadit. Numidae alii postremos caedere; pars a sinistra ac dextera tentare; infensi adesse atque instare; omnibus locis Romanorum ordines conturbare, quorum etiam qui firmioribus animis obvii hostibus fuerant, ludificati incerto praelio, ipsi modo eminus sauciabantur, neque contra feriundi, aut manum conserendi copia erat. ante iam docti ab Iugurtha equites, ubicumque Romanorum turba insequi coeperat, non confertim, neque in unum sese recipiebant, sed alius alio quam maxume diversi. Ita numero priores, si ab persequendo hostis deterrere nequiverant, disiectos ab tergo, aut lateribus circumveniebant: sin opportunior fugae collis, quam campi fuerat, ea vero consueti Numidarum equi facile inter virgulta evadere, nostros asperitas et insolentia loci retinebat.

LI. Ceterum facies totius negotii varia, incerta, foeda atque miserabilis: dispersi a suis pars cedere, alii insequi, neque signa, neque ordines observare; ubi quemque periculum ceperat, ibi resistere ac propulsare: arma tela, equi viri, hostes cives permixti; nihil consilio, neque imperio agi: fors omnia regere. Itaque multum diei processerat, cum etiam tum eventus in incerto erat. Denique omnibus, labore et aestu languidis, Metellus ubi videt, Numidas minus instare, paulatim milites in unum conducit, ordines restituit, et cohortes legionarias IV. advorsum pedites hostium collocat. eorum magna pars superioribus locis fessa consederat. Simul orare, hortari milites, *ne deficerent, neu paterentur hostis fugientes vincere: neque illis castra esse, neque munimentum ullum, quo*

*sedentes tenderent: in armis omnia sita.* Sed ne Iugurtha quidem interea quietus erat; circuire, hortari, renovare praelium, et ipse cum dilectis tentare omnia: subvenire suis, hostibus dubiis instare, quos firmos cognoverat, eminus pugnando retinere.

LII. Eo modo inter se duo imperatores summi viri, certabant: ipsi pares, ceterum opibus disparibus. Nam Metello virtus militum erat, locus advorsus: Iugurthae alia omnia, praeter milites, opportuna. Denique Romani, ubi intellegunt, neque sibi perfugium esse, neque ab hoste copiam pugnandi fieri; et iam die vesper erat; advorso colle, sicuti praeceptum fuerat, evadunt. Amisso loco, Numidae fusi fugatique, pauci interiere; plerosque velocitas et regio hostibus ignara tutata sunt. Interea Bomilcar, quem elephantis et parti copiarum pedestrium praefectum ab Iugurtha supra diximus, ubi eum Rutilius praetergressus est, paulatim suos in aequum locum deducit: ac, dum legatus ad flumen, quo praemissus erat, festinans pergit, quietus, ut res postulabat, aciem exornat: neque remittit, quid ubique hostis ageret, explorare. Postquam Rutilium consedisse iam, et animo vacuum accepit, simulque ex Iugurthae praelio clamorem augeri; veritus, ne legatus, cognita re, laborantibus suis auxilio foret, aciem, quam diffidens virtuti militum arte statuerat, quo hostium itineri obficeret, latius porrigit; eoque modo ad Rutilii castra procedit.

LIII. Romani ex improviso pulveris vim magnam animadvortunt; nam prospectum ager arbustis consitus prohibebat. Et primo rati humum aridam vento agitari: post ubi aequabilem manere, et, sicuti acies movebatur, magis magisque adpropinquare vident, cognita re, properantes arma capiunt, ac pro castris, sicuti imperabatur, consistunt. Deinde, ubi propius ventum est, utrimque magno clamore concurrunt. Numidae tantummodo remorati, dum in elephantis auxilium putant; postquam eos impeditos ramis ar-

borum; atque ita disiectos circumveniri vident, fugam faciunt: ac plerique, abiectis armis, collis, aut noctis, quae iam aderat, auxilio integri abeunt. Elephanti quattuor capti, reliqui omnes, numero quadraginta, interfecti. At Romani, quamquam itinere atque opere castrorum et praelio fessi laetique erant; tamen, quod Metellus amplius opinione morabatur, instructi intentique obviam procedunt. Nam dolus Numidarum nihil languidi, neque remissi patiebatur. Ac primo, obscura nocte, postquam haud procul inter se erant, strepitu, velut hostes adventare, alteri apud alteros formidinem simul, et tumultum facere: et paene imprudentia admissum facinus miserabile, ni utrimque praemissi equites rem exploravissent. Igitur, pro metu, repente gaudium exortum, milites alius alium laeti adpellant, acta edocent atque audiunt: sua quisque fortia facta ad coelum fert. Quippe res humanae ita sese habent: in victoria vel ignavis gloriari licet; advorsae res etiam bonos detractant.

LIV. Metellus in isdem castris quatriduo moratus, saucios cum cura reficit, meritos in praeliis more militiae donat, universos in concione laudat atque agit gratias; hortatur, *ad cetera, quae levia sunt, parem animum gerant: pro victoria satis iam pugnatum, reliquos labores pro praeda fore.* Tamen interim transfugas et alios opportunos, Iugurtha ubi gentium, aut quid agitaret; cum paucisne esset, an exercitum haberet; ut sese victus gereret, exploratum misit. At ille sese in loca saltuosa et natura munita receperat: ibique cogebat exercitum numero hominum ampliorem, sed hebetem infirmumque, agri ac pecoris magis, quam belli, cultorem. Id ea gratia eveniebat, quod praeter regios equites nemo omnium Numidarum ex fuga regem sequitur; quo cuiusque animus fert, eo discedunt: neque id flagitium militiae ducitur: ita se mores habent. Igitur Metellus ubi videt regis etiam tum animum ferocem esse; bellum renovari,

quod, nisi ex illius lubidine, geri non posset; praeterea iniquum certamen sibi cum hostibus, minore detrimento illos vinci, quam suos vincere: statuit non praeliis, neque acie, sed alio more bellum gerundum. Itaque in Numidiae loca opulentissuma pergit, agros vastat, multa castella et oppida temere munita, aut sine praesidio, capit incenditque, puberes interficit, iubet alia omnia militum praedam esse. Ea formidine multi mortales Romanis dediti obsides, frumentum et alia, quae usui forent, adfatim praebita: ubicumque res postulabat, praesidium impositum. Quae negotia multo magis, quam praelium male pugnatum ab suis regem terrebant. quippe cuius spes omnis in fuga sita erat, sequi cogebatur; et qui sua loca defendere nequiverat, in alienis bellum gerere. Tamen ex inopia, quod optumum videbatur, consilium capit; exercitum plerumque in iisdem locis opperiri iubet; ipse cum delectis equitibus Metellum sequitur, nocturnis et aviis itineribus ignoratus Romanos palantis repente adgreditur. eorum plerique inermes cadunt, multi capiuntur: nemo omnium intactus profugit. et Numidae, priusquam ex castris subveniretur, sicuti iussi erant, in proxumos collis discedunt.

LV. Interim Romae gaudium ingens ortum, cognitis Metelli rebus: ut seque et exercitum more maiorum gereret; in adverso loco, victor tamen virtute fuisset; hostium agro potiretur; Iugurtham magnificum ex Auli secordia, spem salutis in solitudine, aut fuga coëgisset habere. Itaque Senatus *ob ea feliciter acta diis immortalibus supplicia decernere:* civitas trepida antea et sollicita de belli eventu, laeta agere; fama de Metello praeclara esse. Igitur eo intentior ad victoriam niti, omnibus modis festinare, cavere tamen, necubi hosti opportunus fieret: meminisse, post gloriam invidiam sequi. Ita quo clarior, eo magis anxius erat: neque post insidias Iugurthae effuso exercitu praedari: ubi frumento, aut

pabulo opus erat, cohortes cum omni equitatu praesidium agitabant: exercitus partim ipse, reliquos Marius ducebat. Sed igni magis, quam praeda, ager vastabatur. Duobus locis, haud longe inter se, castra faciebant. ubi vi opus erat, cuncti aderant: ceterum, quo fuga atque formido latius cresceret, diversi agebant. Eo tempore Iugurtha per collis sequi: tempus, aut locum pugnae quaerere: qua venturum hostem audierat, pabulum et aquarum fontis, quorum penuria erat, corrumpere: modo se Metello, interdum Mario ostendere; postremos in agmine tentare, ac statim in collis regredi, rursus aliis, post aliis minitari: neque praelium facere, neque otium pati, tantummodo hostem ab incepto retinere.

LVI. Romanus imperator ubi se dolis fatigari videt, neque ab hoste copiam pugnandi fieri; urbem magnam, et in ea parte, qua sita erat, arcem regni, nomine Zamam, statuit obpugnare: ratus id, quod negotium poscebat, Iugurtham laborantibus suis auxilio venturum, ibique praelium fore. At ille, quae parapantur, a perfugis edoctus, magnis itineribus Metellum antevenit; oppidanos hortatur, moenia defendant, additis auxilio perfugis; quod genus ex copiis regis, quia fallere nequibat, firmissumum erat. Praeterea pollicetur, in tempore semet cum exercitu adfore. Ita compositis rebus, in loca quam maxume occulta discedit, ac post paulo cognoscit, Marium ex itinere frumentatum cum paucis cohortibus Siccam missum: quod oppidum primum omnium post malam pugnam ab rege defecerat. Eo cum dilectis equitibus noctu pergit, et iam egredientibus Romanis in porta pugnam facit: simul magna voce Siccenses hortatur, *uti cohortis ab tergo circumveniant: fortunam illis praeclari facinoris casum dare; si id fecerint, postea sese in regno, illos in libertate sine metu aetatem acturos.* Ac ni Marius signa inferre atque evadere oppido properavisset, profecto cuncti, aut magna pars

Siccensium fidem mutavissent, tanta mobilitate sese Numidae agunt. Sed milites Iugurthini paulisper ab rege sustentati, postquam maiore vi hostes urgent, paucis amissis, profugi discedunt.

LVII. Marius ad Zamam pervenit. id oppidum in campo situm, magis opere, quam natura munitum erat: nullius idoneae rei egens, armis virisque opulentum. Igitur Metellus, pro tempore atque loco paratis rebus, cuncta moenia exercitu circumvenit. legatis imperat, ubi quisque curaret; deinde, signo dato, undique simul clamor ingens oritur. neque ea res Numidas terret; infensi intentique sine tumultu manent: praelium incipitur. Romani, pro ingenio quisque, pars eminus glande, aut lapidibus pugnare; alii succedere, ac murum modo subfodere, modo scalis adgredi: cupere praelium in manibus facere. Contra ea oppidani in proxumos saxa volvere; sudes, pila, praeterea pice et sulphure taedam mixtam ardentia mittere. Sed ne illos quidem, qui procul manserant, timor animi satis muniverat. nam plerosque iacula tormentis, aut manu emissa volnerabant: parique periculo, sed fama impari, boni atque ignavi erant.

LVIII. Dum apud Zamam sic certatur, Iugurtha ex improviso castra hostium cum magna manu invadit: remissis, qui in praesidio erant, et omnia magis, quam praelium exspectantibus, portam irrumpit. At nostri, repentino metu perculsi, sibi quisque pro moribus consulunt: alii fugere, alii arma capere: magna pars volnerati, aut occisi. Ceterum ex omni multitudine non amplius quadraginta, memores nominis Romani, grege facto, locum cepere, paulo, quam alii, editiorem; neque inde maxuma vi depelli quiverunt: sed tela eminus missa remittere, pauci in pluribus minus frustrati: sin Numidae propius accessissent, ibi vero virtutem ostendere et eos maxuma vi caedere, fundere atque fugare. Interim Metellus cum acerrume rem gereret, clamorem et tumultum hostilem, ab

tergo accepit: deinde, converso equo, animadvortit, fugam ad se vorsum fieri: quae res indicabat popularis esse. Igitur equitatum omnem ad castra propere mittit, ac statim C. Marium cum cohortibus sociorum; eumque lacrumans *per amicitiam perque rempublicam obsecrat, ne quam contumeliam remanere in exercitu victore, neve hostis inultos abire sinat:* ille brevi mandata efficit. At Iugurtha munimento castrorum impeditus, cum alii super vallum praecipitarentur, alii in angustiis ipsi sibi properantes obficerent; multis amissis, in loca munita sese recipit. Metellus, infecto negotio, postquam nox aderat, in castra cum exercitu revortitur.

LIX. Igitur postero die, prius quam ad obpugnandum egrederetur, equitatum omnem in ea parte, qua regis adventus erat, pro castris agitare iubet: portas et proxuma loca tribunis dispertit: deinde ipse pergit ad oppidum, atque, ut superiore die, murum adgreditur. Interim Iugurtha ex occulto repente nostros invadit. qui in proximo locati fuerant, paulisper territi perturbantur: reliqui cito subveniunt. Neque diutius Numidae resistere quivissent, ni pedites cum equitibus permixti magnam cladem in congressu facerent. quibus illi freti, non, ut equestri praelio solet, sequi, dein cedere, sed advorsis equis concurrere, implicare ac perturbare aciem: ita expeditis peditibus suis, hostis paene victos dare.

LX. Eodem tempore apud Zamam magna vi certabatur. Vbi quisque legatus, aut tribunus curabat, eo acerrume niti; neque alius in alio magis, quam in sese spem habere: pariter oppidani agere. obpugnare, aut parare omnibus locis: avidius alteri alteros sauciare, quam semet tegere. clamor permixtus hortatione, laetitia, gemitu: item strepitus armorum ad coelum ferri: tela utrimque volare. Sed illi, qui moenia defensabant, ubi hostes paululum modo pugnam remiserant, intenti praelium equestre prospectabant.

eos, uti quaeque Iugurthae res erant, laetos modo, modo pavidos animadvorteres: ac, sicubi audiri a suis, aut cerni possent, monere alii, alii hortari, aut manu significare, aut niti corporibus, huc et illuc, quasi vitabundi, aut iacientes tela, agitare. Quod ubi Mario cognitum est (nam is in ea parte curabat) consulto lenius agere, ac diffidentiam rei simulare: pati Numidas sine tumultu regis praelium visere. Ita illis studio suorum adstrictis, repente magna vi murum adgreditur: et iam scalis adgressi milites prope summa ceperant, cum oppidani concurrunt, lapides, ignem, alia praeterea tela ingerunt. Nostri primo resistere: deinde, ubi unae atque alterae scalae comminutae, qui superstiterant, adflicti sunt; ceteri quo quisque modo potuere, pauci integri, magna pars confecti volneribus abeunt. Denique utrimque praelium nox diremit.

LXI. Metellus, postquam videt frustra inceptum; neque oppidum capi, neque Iugurtham, nisi ex insidiis, aut suo loco pugnam facere, et iam aestatem exactam esse, ab Zama discedit: et in iis urbibus, quae ad se defecerant, satisque munitae loco aut moenibus erant, praesidia imponit. Ceterum exercitum in provinciam, quae proxuma est Numidiae, hiemandi gratia collocat. Neque id tempus, ex aliorum more, quieti, aut luxuriae concedit: sed, quoniam armis bellum parum procedebat, insidias regi per amicos tendere, et eorum perfidia pro armis uti parat. Igitur Bomilcarem, qui Romae cum Iugurtha fuerat, et inde, vadibus datis, clam, Massivae de nece iudicium fugerat, quod ei per maxumam amicitiam, maxuma copia fallendi erat, multis pollicitationibus adgreditur; ac primo efficit, uti ad se colloquendi gratia occultus veniat: dein fide data, *si Iugurtham vivum aut necatum tradidisset, fore, ut illi Senatus impunitatem, et sua omnia concederet*, facile Numidae persuadet, cum ingenio infido, tum metuenti: ne, si pax cum Romanis fieret, ipse per conditiones ad supplicium traderetur.

LXII. Is, ubi primum opportunum fuit, Iugurtham anxium ac miserantem fortunas suas accedit: monet atque lacrumans obtestatur, *uti aliquando sibi liberisque et genti Numidarum, optume merenti, provideat: omnibus praeliis sese victos, agrum vastatum, multos mortalis captos aut occisos, regni opes comminutas esse: satis saepe iam et virtutem militum, et fortunam tentatam: caveat, ne, illo cunctante, Numidae sibi consulant.* His atque talibus aliis ad deditionem regis animum impellit. Mittuntur ad Imperatorem legati, qui: *Iugurtham imperata facturum* dicerent, *ac sine ulla pactione sese regnumque suum in illius fidem tradere.* Metellus propere cunctos Senatorii ordinis ex hibernis arcessiri iubet: eorum atque aliorum, quos idoneos ducebat, consilium habet. Ita more maiorum, ex consilii decreto, per legatos Iugurthae imperat, argenti pondo ducenta millia, elephantos omnis, equorum et armorum aliquantum. Quae postquam sine mora facta sunt, iubet omnis perfugas vinctos adduci. eorum magna pars, ut iussum erat, adducti: pauci, cum primum deditio coepit, ad regem Bocchum in Mauritaniam abierant. Igitur Iugurtha, ubi armis virisque et pecunia spoliatus est, cum ipse ad imperandum Tisidium vocaretur, rursus coepit flectere animum suum, et ex mala conscientia digna timere. Denique multis diebus per dubitationem consumtis, cum modo, taedio rerum adversarum omnia bello potiora duceret; interdum secum ipse reputaret, quam gravis casus in servitium ex regno foret; multis magnisque praesidiis nequidquam perditis, de integro bellum sumit. Et Romae Senatus de provinciis consultus Numidiam Metello decreverat.

LXIII. Per idem tempus Vticae forte C. Mario per hostias diis supplicanti, *magna atque mirabilia portendi* haruspex dixerat: *proinde, quae animo agitabat, fretus diis ageret: fortunam quam saepissume experiretur; cuncta prospere eventura.* At illum

ium anteâ consulatus ingens cupido exagitabat: ad quem capiundum, praeter vetustatem familiae, alia omnia abunde erant; industria, probitas, militiae magna scientia, animus belli ingens, domi modicus, lubidinis et divitiarum victor, tantummodo gloriae avidus. Sed is natus et omnem pueritiam Arpini altus, ubi primum aetas militiae patiens fuit, stipendiis faciundis, non Graeca facundia, neque urbanis munditiis sese exercuit: ita inter artis bonas integrum ingenium brevi adolevit. Ergo ubi primum tribunatum militarem a populo petit, plerisque faciem eius ignorantibus, facile notus per omnis tribus declaratur. Deinde ab eo magistratu, alium post alium sibi peperit: semperque in potestatibus eo modo agitabat, uti ampliore, quam gerebat, dignus haberetur. Tamen is ad id locorum talis vir, (nam postea ambitione praeceps datus est) Consulatum adpetere non audebat. Etiam tum alios magistratus plebes, consulatum nobilitas inter se per manus tradebat. Novus nemo tam clarus, neque tam egregiis factis erat, quin is indignus illo honore et quasi pollutus haberetur.

LXIV. Igitur ubi Marius haruspicis dicta eodem intendere videt, quo cupido animi hortabatur; ab Metello petundi gratia missionem rogat: cui quamquam virtus, gloria atque alia optanda bonis superabant, tamen inerat contemtor animus et superbia, commune nobilitatis malum. Itaque primum commotus insolita re, mirari eius consilium, et quasi per amicitiam monere, *ne tam prava inciperet, neu super fortunam animum gereret: non omnia omnibus cupiunda esse: debere illi res suas satis placere: postremo caveret id petere a populo Romano, quod illi iure negaretur.* Postquam haec atque alia talia dixit, neque animus Marii flectitur; respondit, *ubi primum potuisset per negotia publica, facturum sese, quae peteret.* Ac postea saepius eadem postulanti, fertur dixisse, *ne festinaret abire: satis mature illum cum filio suo con-*

*sulatum petiturum.* Eo tempore contubernio patris ibidem militabat, annos natus circiter xx; quae res Marium cum pro honore, quem affectabat, tum contra Metellum vehementer accenderat. Ita cupidine atque ira, pessumis consultoribus, grassari: neque facto ullo, neque dicto abstinere, quod modo ambitiosum foret: milites, quibus in hibernis praeerat, laxiore imperio, quam antea, habere: apud negotiatores, quorum magna multitudo Vticae erat, criminose simul, et magnifice de bello loqui: *dimidia pars exercitus si sibi permitteretur, paucis diebus Iugurtham in catenis habiturum: ab imperatore consulto trahi, quod homo inanis et regiae superbiae imperio nimis gauderet.* Quae omnia illis eo firmiora videbantur, quod diuturnitate belli res familiaris corruperant, et animo cupienti nihil satis festinatur.

LXV. Erat praeterea in exercitu nostro Numida quidam, nomine Gauda, Mastanabalis filius, Masinissae nepos, quem Micipsa testamento secundum heredem scripserat, morbis confectus, et ob eam caussam mente paullum imminuta. Cui Metellus, petenti, more regum uti sellam iuxta poneret: item postea, custodiae caussa, turmam equitum Romanorum, utrumque negaverat: honorem, quod eorum modo foret, quos populus Romanus reges adpellavisset; praesidium, quod contumeliosum in eos foret, si equites Romani satellites Numidae traderentur. Hunc Marius anxium adgreditur atque hortatur, uti contumeliarum imperatoris cum suo auxilio poenas petat. hominem, ob morbos, animo parum valido secunda oratione extollit: *illum regem, ingentem virum, Masinissae nepotem esse: si Iugurtha captus, aut occisus foret, imperium Numidiae sine mora habiturum: id adeo mature posse evenire, si ipse consul ad id bellum missus foret.* Itaque et illum, et equites Romanos, milites et negotiatores, alios ipse, plerosque spes pacis impellit, uti Romam ad suos necessarios aspere in Me-

tellum de bello scribant; Marium imperatorem poscant. Sic illi a multis mortalibus honestissuma suffragatione consulatus petebatur. simul ea tempestate plebes, nobilitate fusa per legem Mamiliam, novos extollebat. Ita Mario cuncta procedere.

LXVI. Interim Iugurtha, postquam, omissa deditione, bellum incipit, cum magna cura parare omnia, festinare, cogere exercitum: civitates, quae ab se defecerant, formidine, aut ostentando praemia adfectare: communire suos locos, arma, tela, aliaque, quae spe pacis amiserat, reficere, aut commercari: servitia Romanorum adlicere, et eos ipsos, qui in praesidiis erant, pecunia tentare: prorsus nihil intactum, neque quietum pati: cuncta agitare. Igitur Vagenses, quo Metellus initio, Iugurtha pacificante, praesidium imposuerat, fatigati regis suppliciis, neque antea voluntate alienati, principes civitatis inter se coniurant. (nam volgus, uti plerumque solet, et maxume Numidarum, ingenio mobili, seditiosum atque discordiosum erat; cupidum novarum rerum, quieti et otio advorsum: dein, compositis inter se rebus, in diem tertium constituunt: quod is festus celebratusque per omnem Africam ludum et lasciviam magis, quam formidinem ostentabat. Sed ubi tempus fuit, centuriones tribunosque militares, et ipsum praefectum oppidi T. Turpilium Silanum, alius alium domos suas invitant: eos omnis, praeter Turpilium, inter epulas obtruncant: postea milites palantis, inermis, quippe in tali die ac sine imperio, adgrediuntur. Idem plebes facit, pars edocti ab nobilitate, alii studio talium rerum incitati: quis acta consiliumque ignorantibus tumultus ipse et res novae satis placebant.

LXVII. Romani milites, improviso metu, incerti ignarique, quid potissumum facerent, trepidare: ad arcem oppidi, ubi signa et scuta erant, praesidium hostium; portae, ante clausae, fugam prohibebant; ad hoc mulieres puerique pro tectis aedificiorum saxa, et

alia, quae locus praebebat, certatim mittere. Ita neque caveri anceps malum, neque a fortissumis infirmissumo generi resisti posse: iuxta boni malique, strenui et imbelles inulti obtruncati. In ea tanta asperitate, saevissumis Numidis et oppido undique clauso, Turpilius unus ex omnibus Italicis profugit intactus: id misericordiane hospitis, an pactione, an casu ita evenerit, parum comperimus; nisi, quia illi in tanto malo turpis vita fama integra potior fuit, improbus intestabilisque videtur.

LXVIII. Metellus, postquam de rebus Vagae actis comperit, paulisper moestus e conspectu abit: deinde, ubi ira et aegritudo permixta sunt, cum maxuma cura ultum ire iniurias festinat. Legionem, cum qua hiemabat, et, quam plurimos potest, Numidas equites pariter cum occasu solis expeditos educit: et postera die circiter horam tertiam pervenit in quamdam planitiem, locis paulo superioribus circumventam. Ibi milites fessos itineris magnitudine, et iam abnuentis omnia, docet, *oppidum Vagam non amplius mille passuum abesse: decere illos reliquum laborem aequo animo pati, dum pro civibus suis, viris fortissumis atque miserrumis, poenas caperent.* praeterea praedam benigne ostentat. Sic animis eorum arrectis, equites in primo late, pedites quam artissume ire, signa occultare iubet.

LXIX. Vagenses ubi animadvertere, ad se vorsum exercitum pergere: primo, uti erat res, Metellum esse rati, portas clausere: deinde, ubi neque agros vastari, et eos, qui primi aderant, Numidas equites vident: rursum Iugurtham arbitrati, cum magno gaudio obvii procedunt. Equites peditesque, repente signo dato, alii volgum effusum oppido caedere; alii ad portas festinare; pars turris capere: ira atque praedae spes amplius, quam lassitudo posse. Ita Vagenses biduum modo ex perfidia laetati: civitas magna et opulens poenae cuncta, aut praedae fuit. Turpilius, quem prae-

fectum oppidi unum ex omnibus profugisse, supra ostendimus, iussus a Metello causam dicere, postquam sese parum expurgat, condemnatus, verberatusque capite poenas solvit. nam is civis ex Latio erat.

LXX. Per idem tempus Bomilcar, cuius impulsu Iugurtha deditionem, quam metu deseruit, inceperat, suspectus regi, et ipse eum suspiciens, novas res cupere: ad perniciem eius dolum quaerere; diu noctuque fatigare animum. denique omnia tentando, socium sibi adiungit Nabdalsam, hominem nobilem, magnis opibus, clarum acceptumque popularibus suis; qui plerumque seorsum ab rege exercitum ductare, et omnes res exsequi solitus erat, quae Iugurthae fesso, aut maioribus adstricto superaverant: ex quo illi gloria opesque inventae. Igitur utriusque consilio dies insidiis statuitur: cetera, uti res posceret, ex tempore parari placuit. Nabdalsa ad exercitum profectus, quem inter hiberna Romanorum iussus habebat, ne ager, inultis hostibus, vastaretur. Is postquam, magnitudine facinoris perculsus, ad tempus non venit, metusque rem impediebat; Bomilcar simul cupidus incepta patrandi, et timore socii anxius, ne, omisso vetere consilio, novum quaereret, literas ad eum per homines fideles mittit, in queis *mollitiem secordiamque viri accusare, testari deos, per quos iuravisset; monere, praemia Metelli in pestem ne converteret, Iugurthae exitium adesse, ceterum suane, an virtute Metelli periret, id modo agitari: proinde reputaret cum animo suo, praemia, an cruciatum mallet.*

LXXI. Sed cum hae literae adlatae, forte Nabdalsa, exercito corpore fessus, in lecto quiescebat. ubi, cognitis Bomilcaris verbis, primo cura, deinde, uti aegrum animum solet, somnus cepit. Erat ei Numida quidam negotiorum curator, fidus acceptusque et omnium consiliorum, nisi novissumi, particeps. Qui postquam adlatas literas audivit, ex consuetudine ratus opera aut ingenio suo opus esse, in tabernaculum

pabulo opus erat, cohortes cum omni equitatu praesidium agitabant: exercitus partim ipse, reliquos Marius ducebat. Sed igni magis, quam praeda, ager vastabatur. Duobus locis, haud longe inter se, castra faciebant. ubi vi opus erat, cuncti aderant: ceterum, quo fuga atque formido latius cresceret, divorsi agebant. Eo tempore Iugurtha per collis sequi: tempus, aut locum pugnae quaerere: qua venturum hostem audierat, pabulum et aquarum fontis, quorum penuria erat, corrumpere: modo se Metello, interdum Mario ostendere; postremos in agmine tentare, ac statim in collis regredi, rursus aliis, post aliis minitari: neque praelium facere, neque otium pati, tantummodo hostem ab incepto retinere.

LVI. Romanus imperator ubi se dolis fatigari videt, neque ab hoste copiam pugnandi fieri; urbem magnam, et in ea parte, qua sita erat, arcem regni, nomine Zamam, statuit obpugnare: ratus id, quod negotium poscebat, Iugurtham laborantibus suis auxilio venturum, ibique praelium fore. At ille, quae parantur, a perfugis edoctus, magnis itineribus Metellum antevenit; oppidanos hortatur, moenia defendant, additis auxilio perfugis; quod genus ex copiis regis, quia fallere nequibat, firmissumum erat. Praeterea pollicetur, in tempore semet cum exercitu adfore. Ita compositis rebus, in loca quam maxume occulta discedit, ac post paulo cognoscit, Marium ex itinere frumentatum cum paucis cohortibus Siccam missum: quod oppidum primum omnium post malam pugnam ab rege defecerat. Eo cum dilectis equitibus noctu pergit, et iam egredientibus Romanis in porta pugnam facit: simul magna voce Siccenses hortatur, *uti cohortis ab tergo circumveniant: fortunam illis praeclari facinoris casum dare; si id fecerint, postea sese in regno, illos in libertate sine metu aetatem acturos.* Ac ni Marius signa inferre atque evadere oppido properavisset, profecto cuncti, aut magna pars

Siccensium fidem mutavissent, tanta mobilitate sese Numidae agunt. Sed milites Iugurthini paulisper ab rege sustentati, postquam maiore vi hostes urgent, paucis amissis, profugi discedunt.

LVII. Marius ad Zamam pervenit. id oppidum in campo situm, magis opere, quam natura munitum erat: nullius idoneae rei egens, armis virisque opulentum. Igitur Metellus, pro tempore atque loco paratis rebus, cuncta moenia exercitu circumvenit. legatis imperat, ubi quisque curaret; deinde, signo dato, undique simul clamor ingens oritur. neque ea res Numidas terret; infensi intentique sine tumultu manent: praelium incipitur. Romani, pro ingenio quisque, pars eminus glande, aut lapidibus pugnare; alii succedere, ac murum modo subfodere, modo scalis adgredi: cupere praelium in manibus facere. Contra ea oppidani in proxumos saxa volvere; sudes, pila, praeterea pice et sulphure taedam mixtam ardentia mittere. Sed ne illos quidem, qui procul manserant, timor animi satis muniverat. nam plerosque iacula tormentis, aut manu emissa volnerabant: parique periculo, sed fama impari, boni atque ignavi erant.

LVIII. Dum apud Zamam sic certatur, Iugurtha ex improviso castra hostium cum magna manu invadit: remissis, qui in praesidio erant, et omnia magis, quam praelium exspectantibus, portam irrumpit. At nostri, repentino metu perculsi, sibi quisque pro moribus consulunt: alii fugere, alii arma capere: magna pars volnerati, aut occisi. Ceterum ex omni multitudine non amplius quadraginta, memores nominis Romani, grege facto, locum cepere, paulo, quam alii, editiorem; neque inde maxuma vi depelli quiverunt: sed tela eminus missa remittere, pauci in pluribus minus frustrati: sin Numidae propius accessissent, ibi vero virtutem ostendere et eos maxuma vi caedere, fundere atque fugare. Interim Metellus cum acerrume rem gereret, clamorem et tumultum hostilem, ab

tergo accepit: deinde, converso equo, animadvortit, fugam ad se vorsum fieri: quae res indicabat popularis esse. Igitur equitatum omnem ad castra propere mittit, ac statim C. Marium cum cohortibus sociorum; eumque lacrumans *per amicitiam perque rempublicam obsecrat, ne quam contumeliam remanere in exercitu victore, neve hostis inultos abire sinat:* ille brevi mandata efficit. At Iugurtha munimento castrorum impeditus, cum alii super vallum praecipitarentur, alii in angustiis ipsi sibi properantes obficerent; multis amissis, in loca munita sese recipit. Metellus, infecto negotio, postquam nox aderat, in castra cum exercitu revortitur.

LIX. Igitur postero die, prius quam ad obpugnandum egrederetur, equitatum omnem in ea parte, qua regis adventus erat, pro castris agitare iubet: portas et proxuma loca tribunis dispertit: deinde ipse pergit ad oppidum, atque, ut superiore die, murum adgreditur. Interim Iugurtha ex occulto repente nostros invadit. qui in proximo locati fuerant, paulisper territi perturbantur: reliqui cito subveniunt. Neque diutius Numidae resistere quivissent, ni pedites cum equitibus permixti magnam cladem in congressu facerent. quibus illi freti, non, ut equestri praelio solet, sequi, dein cedere, sed advorsis equis concurrere, implicare ac perturbare aciem: ita expeditis peditibus suis, hostis paene victos dare.

LX. Eodem tempore apud Zamam magna vi certabatur. Vbi quisque legatus, aut tribunus curabat, eo acerrume niti; neque alius in alio magis, quam in sese spem habere: pariter oppidani agere. obpugnare, aut parare omnibus locis: avidius alteri alteros sauciare, quam semet tegere. clamor permixtus hortatione, laetitia, gemitu: item strepitus armorum ad coelum ferri: tela utrimque volare. Sed illi, qui moenia defensabant, ubi hostes paululum modo pugnam remiserant, intenti praelium equestre prospectabant.

eos, ubi quaeque Iugurthae res erant, laetos modo, modo pavidos animadvorteres: ac, sicubi audiri a suis, aut cerni possent, monere alii, alii hortari, aut manu significare, aut niti corporibus, huc et illuc, quasi vitabundi, aut iacientes tela, agitare. Quod ubi Mario cognitum est (nam is in ea parte curabat) consulto lenius agere, ac diffidentiam rei simulare: pati Numidas sine tumultu regis praelium visere. Ita illis studio suorum adstrictis, repente magna vi murum adgreditur: et iam scalis adgressi milites prope summa ceperant, cum oppidani concurrunt, lapides, ignem, alia praeterea tela ingerunt. Nostri primo resistere: deinde, ubi unae atque alterae scalae comminutae, qui supersteterant, adflicti sunt; ceteri quo quisque modo potuere, pauci integri, magna pars confecti volneribus abeunt. Denique utrimque praelium nox diremit.

LXI. Metellus, postquam videt frustra inceptum; neque oppidum capi, neque Iugurtham, nisi ex insidiis, aut suo loco pugnam facere, et iam aestatem exactam esse, ab Zama discedit: et in iis urbibus, quae ad se defecerant, satisque munitae loco aut moenibus erant, praesidia imponit. Ceterum exercitum in provinciam, quae proxuma est Numidiae, hiemandi gratia collocat. Neque id tempus, ex aliorum more, quieti, aut luxuriae concedit: sed, quoniam armis bellum parum procedebat, insidias regi per amicos tendere, et eorum perfidia pro armis uti parat. Igitur Bomilcarem, qui Romae cum Iugurtha fuerat, et inde, vadibus datis, clam, Massivae de nece iudicium fugerat, quod ei per maxumam amicitiam, maxuma copia fallendi erat, multis pollicitationibus adgreditur; ac primo efficit, uti ad se colloquendi gratia occultus veniat: dein fide data, *si Iugurtham vivum aut necatum tradidisset, fore, ut illi Senatus impunitatem, et sua omnia concederet*, facile Numidae persuadet, cum ingenio infido, tum metuenti: ne, si pax cum Romanis fieret, ipse per conditiones ad supplicium traderetur.

LXII. Is, ubi primum opportunum fuit, Iugurtham anxium ac miserantem fortunas suas accedit: monet atque lacrumans obtestatur, *uti aliquando sibi liberisque et genti Numidarum, optume merenti, provideat: omnibus praeliis sese victos, agrum vastatum, multos mortalis captos aut occisos, regni opes comminutas esse: satis saepe iam et virtutem militum, et fortunam tentatam: caveat, ne, illo cunctante, Numidae sibi consulant.* His atque talibus aliis ad deditionem regis animum impellit. Mittuntur ad Imperatorem legati, qui *Iugurtham imperata facturum* dicerent, *ac sine ulla pactione sese regnumque suum in illius fidem tradere.* Metellus propere cunctos Senatorii ordinis ex hibernis arcessiri iubet: eorum atque aliorum, quos idoneos ducebat, consilium habet. Ita more maiorum, ex consilii decreto, per legatos Iugurthae imperat, argenti pondo ducenta millia, elephantos omnis, equorum et armorum aliquantum. Quae postquam sine mora facta sunt, iubet omnis perfugas vinctos adduci. eorum magna pars, ut iussum erat, adducti: pauci, cum primum deditio coepit, ad regem Bocchum in Mauritaniam abierant. Igitur Iugurtha, ubi armis virisque et pecunia spoliatus est, cum ipse ad imperandum Tisidium vocaretur, rursus coepit flectere animum suum, et ex mala conscientia digna timere. Denique multis diebus per dubitationem consumtis, cum modo, taedio rerum adversarum omnia bello potiora duceret; interdum secum ipse reputaret, quam gravis casus in servitium ex regno foret; multis magnisque praesidiis nequidquam perditis, de integro bellum sumit. Et Romae Senatus de provinciis consultus Numidiam Metello decreverat.

LXIII. Per idem tempus Vticae forte C. Mario per hostias diis supplicanti, *magna atque mirabilia portendi* haruspex dixerat: *proinde, quae animo agitabat, fretus diis ageret: fortunam quam saepissume experiretur; cuncta prospere eventura.* At illum

ium anteâ consulatus ingens cupido exagitabat: ad quem capiundum, praeter vetustatem familiae, alia omnia abunde erant; industria, probitas, militiae magna scientia, animus belli ingens, domi modicus, lubidinis et divitiarum victor, tantummodo gloriae avidus. Sed is natus et omnem pueritiam Arpini altus, ubi primum aetas militiae patiens fuit, stipendiis faciundis, non Graeca facundia, neque urbanis munditiis sese exercuit: ita inter artis bonas integrum ingenium brevi adolevit. Ergo ubi primum tribunatum militarem a populo petit, plerisque faciem eius ignorantibus, facile notus per omnis tribus declaratur. Deinde ab eo magistratu, alium post alium sibi peperit: semperque in potestatibus eo modo agitabat, uti ampliore, quam gerebat, dignus haberetur. Tamen is ad id locorum talis vir, (nam postea ambitione praeceps datus est) Consulatum adpetere non audebat. Etiam tum alios magistratus plebes, consulatum nobilitas inter se per manus tradebat. Novus nemo tam clarus, neque tam egregiis factis erat, quin is indignus illo honore et quasi pollutus haberetur.

LXIV. Igitur ubi Marius haruspicis dicta eodem intendere videt, quo cupido animi hortabatur; ab Metello petundi gratia missionem rogat: cui quamquam virtus, gloria atque alia optanda bonis superabant, tamen inerat contemtor animus et superbia, commune nobilitatis malum. Itaque primum commotus insolita re, mirari eius consilium, et quasi per amicitiam monere, *ne tam prava inciperet, neu super fortunam animum gereret: non omnia omnibus cupiunda esse: debere illi res suas satis placere: postremo caveret id petere a populo Romano, quod illi iure negaretur.* Postquam haec atque alia talia dixit, neque animus Marii flectitur; respondit, *ubi primum potuisset per negotia publica, facturum sese, quae peteret.* Ac postea saepius eadem postulanti, fertur dixisse, *ne festinaret abire: satis mature illum cum filio suo con-*

*sulatum petiturum.* Is eo tempore contubernio patris ibidem militabat, annos natus circiter xx; quae res Marium cum pro honore, quem adfectabat, tum contra Metellum vehementer accenderat. Ita cupidine atque ira, pessumis consultoribus, grassari: neque facto ullo, neque dicto abstinere, quod modo ambitiosum foret: milites, quibus in hibernis praeerat, laxiore imperio, quam antea, habere: apud negotiatores, quorum magna multitudo Vticae erat, criminose simul, et magnifice de bello loqui: *dimidia pars exercitus si sibi permitteretur, paucis diebus Iugurtham in catenis habiturum: ab imperatore consulto trahi, quod homo inanis et regiae superbiae imperio nimis gauderet.* Quae omnia illis eo firmiora videbantur, quod diuturnitate belli res familiaris corruperant, et animo cupienti nihil satis festinatur.

LXV. Erat praeterea in exercitu nostro Numida quidam, nomine Gauda, Mastanabalis filius, Masinissae nepos, quem Micipsa testamento secundum heredem scripserat, morbis confectus, et ob eam caussam mente paullum imminuta. Cui Metellus, petenti, more regum uti sellam iuxta poneret: item postea, custodiae caussa, turmam equitum Romanorum, utrumque negaverat: honorem, quod eorum modo foret, quos populus Romanus reges adpellavisset; praesidium, quod contumeliosum in eos foret, si equites Romani satellites Numidae traderentur. Hunc Marius anxium adgreditur atque hortatur, uti contumeliarum imperatoris cum suo auxilio poenas petat. hominem, ob morbos, animo parum valido secunda oratione extollit: *illum regem, ingentem virum, Masinissae nepotem esse: si Iugurtha captus, aut occisus foret, imperium Numidiae sine mora habiturum: id adeo mature posse evenire, si ipse consul ad id bellum missus foret.* Itaque et illum, et equites Romanos, milites et negotiatores, alios ipse, plerosque spes pacis impellit, uti Romam ad suos necessarios aspere in Me-

tellum de bello scribant, Marium imperatorem poscant. Sic illi a multis mortalibus honestissuma suffragatione consulatus petebatur. simul ea tempestate plebes, nobilitate fusa per legem Mamiliam, novos extollebat. Ita Mario cuncta procedere.

LXVI. Interim Iugurtha, postquam, omissa deditione, bellum incipit, cum magna cura parare omnia, festinare, cogere exercitum: civitates, quae ab se defecerant, formidine, aut ostentando praemia adfectare: communire suos locos, arma, tela, aliaque, quae spe pacis amiserat, reficere, aut commercari: servitia Romanorum adlicere, et eos ipsos, qui in praesidiis erant, pecunia tentare: prorsus nihil intactum, neque quietum pati: cuncta agitare. Igitur Vagenses, quo Metellus initio, Iugurtha pacificante, praesidium imposuerat, fatigati regis suppliciis, neque antea voluntate alienati, principes civitatis inter se coniurant. (nam volgus, uti plerumque solet, et maxume Numidarum, ingenio mobili, seditiosum atque discordiosum erat; cupidum novarum rerum, quieti et otio advorsum: dein, compositis inter se rebus, in diem tertium constituunt: quod is festus celebratusque per omnem Africam ludum et lasciviam magis, quam formidinem ostentabat. Sed ubi tempus fuit, centuriones tribunosque militares, et ipsum praefectum oppidi T. Turpilium Silanum, alius alium domos suas invitant: eos omnis, praeter Turpilium, inter epulas obtruncant: postea milites palantis, inermis, quippe in tali die, ac sine imperio, adgrediuntur. Idem plebes facit, pars edocti ab nobilitate, alii studio talium rerum incitati: quis acta consiliumque ignorantibus tumultus ipse et res novae satis placebant.

LXVII. Romani milites, improviso metu, incerti ignarique, quid potissumum facerent, trepidare: ad arcem oppidi, ubi signa et scuta erant, praesidium hostium; portae, ante clausae, fugam prohibebant; ad hoc mulieres puerique pro tectis aedificiorum saxa, et

alia, quae locus praebebat, certatim mittere. Ita neque caveri anceps malum, neque a fortissumis infirmissumo generi resisti posse: iuxta boni malique, strenui et imbelles multi obtruncati. In ea tanta asperitate, saevissumis Numidis et oppido undique clauso, Turpilius unus ex omnibus Italicis profugit intactus: id misericordiane hospitis, an pactione, an casu ita evenerit, parum comperimus; nisi, quia illi in tanto malo turpis vita fama integra potior fuit, improbus intestabilisque videtur.

LXVIII. Metellus, postquam de rebus Vagae actis comperit, paulisper moestus e conspectu abit: deinde, ubi ira et aegritudo permixta sunt, cum maxuma cura ultum ire iniurias festinat. Legionem, cum qua hiemabat, et, quam plurimos potest, Numidas equites pariter cum occasu solis expeditos educit: et postera die circiter horam tertiam pervenit in quamdam planitiem, locis paulo superioribus circumventam. Ibi milites fessos itineris magnitudine, et iam abnuentis omnia, docet, *oppidum Vagam non amplius mille passuum abesse: decere illos reliquum laborem aequo animo pati, dum pro civibus suis, viris fortissumis atque miserrumis, poenas caperent.* praeterea praedam benigne ostentat. Sic animis eorum arrectis, equites in primo late, pedites quam artissume ire, signa occultare iubet.

LXIX. Vagenses ubi animadvertere, ad se vorsum exercitum pergere: primo, uti erat res, Metellum esse rati, portas clausere: deinde, ubi neque agros vastari, et eos, qui primi aderant, Numidas equites vident: rursum Iugurtham arbitrati, cum magno gaudio obvii procedunt. Equites peditesque, repente signo dato, alii volgum effusum oppido caedere; alii ad portas festinare; pars turris capere: ira atque praedae spes amplius, quam lassitudo posse. Ita Vagenses biduum modo ex perfidia laetati: civitas magna et opulens poenae cuncta, aut praedae fuit. Turpilius, quem prae-

fectum oppidi unum ex omnibus profugisse, supra ostendimus, iussus a Metello causam dicere, postquam sese parum expurgat, condemnatus, verberatusque capite poenas solvit. nam is civis ex Latio erat.

LXX. Per idem tempus Bomilcar, cuius impulsu Iugurtha deditionem, quam metu deseruit, inceperat, suspectus regi, et ipse eum suspiciens, novas res cupere: ad perniciem eius dolum quaerere; diu noctuque fatigare animum. denique omnia tentando, socium sibi adiungit Nabdalsam, hominem nobilem, magnis opibus, clarum acceptumque popularibus suis; qui plerumque seorsum ab rege exercitum ductare, et omnes res exsequi solitus erat, quae Iugurthae fesso, aut maioribus adstricto superaverant: ex quo illi gloria opesque inventae. Igitur utriusque consilio dies insidiis statuitur: cetera, uti res posceret, ex tempore parari placuit. Nabdalsa ad exercitum profectus, quem inter hiberna Romanorum iussus habebat, ne ager, inultis hostibus, vastaretur. Is postquam, magnitudine facinoris perculsus, ad tempus non venit, metusque rem impediebat; Bomilcar simul cupidus incepta patrandi, et timore socii anxius, ne, omisso vetere consilio, novum quaereret, literas ad eum per homines fideles mittit, in queis *mollitiem secordiamque viri accusare, testari deos, per quos iuravisset; monere, praemia Metelli in pestem ne converteret, Iugurthae exitium adesse, ceterum suane, an virtute Metelli periret, id modo agitari: proinde reputaret cum animo suo, praemia, an cruciatum mallet.*

LXXI. Sed cum hae literae adlatae, forte Nabdalsa, exercito corpore fessus, in lecto quiescebat. ubi, cognitis Bomilcaris verbis, primo cura, deinde, uti aegrum animum solet, somnus cepit. Erat ei Numida quidam negotiorum curator, fidus acceptusque et omnium consiliorum, nisi novissumi, particeps. Qui postquam adlatas literas audivit, ex consuetudine ratus opera aut ingenio suo opus esse, in tabernaculum

introivit, dormiente illo epistolam, super caput in pulvino temere positam, sumit ac perlegit; dein propere, cognitis insidiis, ad regem pergit. Nabdalsa, post paulo experrectus, ubi neque epistolam reperit, et rem omnem, uti acta erat, cognovit: primo indicem persequi conatus; postquam id frustra fuit, Iugurtham placandi gratia accedit, *dicitque, quae ipse paravisset facere, perfidia clientis sui praeventa;* lacrumans obtestatur *per amicitiam, perque sua antea fideliter acta, ne super tali scelere suspectum sese haberet.*

LXXII. Ad ea rex aliter, atque animo gerebat, placide respondit. Bomilcare aliisque multis, quos socios insidiarum cognoverat, interfectis, iram obpresserat, ne qua ex eo negotio seditio oriretur. Neque post id locorum Iugurthae dies, aut nox ulla quieta fuit: neque loco, neque mortali cuiquam, aut tempori satis credere: cives, hostis iuxta metuere: circumspectare omnia, et omni strepitu pavescere: alio atque alio loco, saepe contra decus regium noctu requiescere: interdum somno excitus, adreptis armis tumultum facere, ita formidine, quasi vecordia, exagitari.

LXXIII. Igitur Metellus, ubi de casu Bomilcaris et indicio patefacto ex perfugis cognovit, rursus, tamquam ad integrum bellum, cuncta parat festinatque. Marium, fatigantem de profectione, simul et invitum, et offensum sibi, parum idoneum ratus, domum dimittit. Et Romae plebes, literis, quae de Metello ac Mario missae erant, cognitis, volenti animo de ambobus acceperant. Imperatori nobilitas, quae antea decori fuerat, invidiae esse: at illi alteri generis humilitas favorem addiderat. ceterum in utroque magis studia partium, quam bona, aut mala sua moderata. Praeterea seditiosi magistratus volgum exagitare, Metellum omnibus concionibus capitis arcessere, Marii virtutem in maius celebrare. Denique plebes sic accensa, uti opifices agrestesque omnes, quorum res fidesque in manibus sitae erant, relictis operibus, frequenta-

retit Marium, et sua necessaria post illius honorem ducerent. Ita, perculsa nobilitate, post multas tempestates novo homini consulatus mandatur. et postea populus a Tribuno plebis Manilio Mancino rogatus, *quem vellet cum Iugurtha bellum gerere?* frequens Marium iussit. Sed Senatus paulo ante Metello Numidiam decreverat: ea res frustra fuit.

LXXIV. Eodem tempore Iugurtha, amissis amicis, quorum plerosque ipse necaverat, ceteri formidine, pars ad Romanos, alii ad regem Bocchum profugerant; cum neque bellum geri sine administris posset, et novorum fidem in tanta perfidia veterum experiri periculosum duceret, varius incertusque agitabatur. Neque illi res, neque consilium aut quisquam hominum satis placebat: itinera praefectosque in dies mutare; modo advorsum hostis, interdum in solitudines pergere: saepe in fuga; ac post paulo spem in armis habere: dubitare, virtuti an fidei popularium minus crederet. Ita, quocumque intenderat, res advorsae erant. Sed inter eas moras repente sese Metellus cum exercitu ostendit. Numidae ab Iugurtha pro tempore parati instructique sunt: dein praelium incipitur. Qua in parte rex pugnae adfuit, ibi aliquamdiu certatum: ceteri omnes eius milites primo concursu pulsi fugatique. Romani signorum et armorum aliquanto numero, hostium paucorum potiti. nam ferme Numidas in omnibus praeliis pedes magis, quam arma tutata sunt.

LXXV. Ea fuga Iugurtha impensius modo rebus suis diffidens, cum perfugis et parte equitatus in solitudines, dein Thalam pervenit, in oppidum magnum et opulentum, ubi plerique thesauri, filiorumque eius multus pueritiae cultus erat. Quae postquam Metello comperta sunt, quamquam inter Thalam flumenque proximum, spatio millium quinquaginta, loca arida atque vasta esse cognoverat: tamen spe patrandi belli, si eius oppidi potitus foret, omnis asperitates su-

pervadere, ac naturam etiam vincere adgreditur. Igitur omnia iumenta sarcinis levari iubet, nisi frumento dierum decem: ceterum utres modo, et alia aquae idonea portari. Praeterea conquirit ex agris, quam plurimum potest, domiti pecoris; eoque imponit vasa cuiusque modi, pleraque lignea, collecta ex tuguriis Numidarum. Ad hoc finitumis imperat, qui se post regis fugam Metello dederant, quam plurimum quisque aquae portaret, diem locumque, *ubi praesto forent*, praedicit. Ipse ex flumine, quam proximam oppido aquam supra diximus, iumenta onerat. Eo modo instructus ad Thalam proficiscitur. Deinde ubi ad id loci ventum, quo Numidis praeceperat, et castra posita munitaque sunt, tanta repente coelo missa vis aquae dicitur, ut ea modo exercitui satis superque foret. Praeterea commeatus spe amplior, quia Numidae, sicuti plerique in nova deditione, officia intenderant. Ceterum milites religione pluvia magis usi, eaque res multum animis eorum addidit: nam rati sese diis immortalibus curae esse. Deinde postero die, contra opinionem Iugurthae, ad Thalam perveniunt. Oppidani, qui se locorum asperitate munitos crediderant, magna atque insolita re perculsi, nihilo segnius bellum parare; idem nostri facere.

LXXVI. Sed rex nihil iam infectum Metello credens, quippe qui omnia, arma, tela, locos, tempora, denique naturam ipsam, ceteris imperitantem, industria vicerat, cum liberis et magna parte pecuniae ex oppido noctu profugit: neque postea in ullo loco amplius una die, aut una nocte moratus, simulabat sese negotii gratia properare; ceterum proditionem timebat, quam vitare posse celeritate putabat: nam talia consilia per otium, et ex opportunitate capi. At Metellus, ubi oppidanos praelio intentos, simul oppidum et operibus, et loco munitum, videt, vallo fossaque moenia circumvenit. Deinde iubet locis ex copia maxume idoneis vineas agere, superque eas aggerem

iacere, et super aggerem impositis turribus opus et administros tutari. Contra haec oppidani festinare, parare: prorsus ab utrisque nihil reliquum fieri. Denique Romani, multo ante labore praeliisque fatigati, post dies quadraginta, quam eo ventum erat, oppido modo potiti: praeda omnis ab perfugis corrupta. Ii postquam murum arietibus feriri, resque suas adflictas vident, aurum atque argentum, et alia, quae prima ducuntur, domum regiam comportant: ibi vino et epulis onerati, illaque, et domum, et semet igni corrumpunt; et quas victi ab hostibus poenas metuerant, eas ipsi volentes pependere.

LXXVII. Sed pariter cum capta Thala legati ex oppido Lepti ad Metellum venerant, orantes, *uti praesidium praefectumque eo mitteret; Hamilcarem quemdam, hominem nobilem, factiosum, novis rebus studere; advorsum quem neque imperia magistratuum, neque leges valerent; ni id festinaret, in summo periculo suam salutem, et illorum socios fore.* Nam Leptitani iam inde a principio belli Iugurthini ad Bestiam consulem, et postea Romam miserant, amicitiam societatemque rogatum. Deinde, ubi ea impetrata, semper boni fidelesque mansere, et cuncta a Bestia, Albino, Metelloque imperata nave fecerant. Itaque ab imperatore facile, quae petebant, adepti. Emissae eo cohortes Ligurum quatuor, et C. Annius praefectus.

LXXVIII. Id oppidum ab Sidoniis conditum est, quos accepimus profugos ob discordias civilis, navibus in eos locos venisse: ceterum situm inter duas Syrtis, quibus nomen ex re inditum. Nam duo sunt sinus, prope in extrema Africa, impares magnitudine, pari natura: quorum proxuma terrae praealta sunt; cetera, uti fors tulit, alta; alia in tempestate vadosa. Nam ubi mare magnum esse, et saevire ventis coepit, limum arenamque et saxa ingentia fluctus trahunt: ita facies locorum cum ventis simul mutatur. Eius civi-

gitatis lingua modo conversa connubio Numidarum; legum, cultusque pleraque Sidonica. quae eo facilius retinebant, quod procul ab imperio regis aetatem agebant. Inter illos et frequentem Numidiam multi vastique loci erant.

LXXIX. Sed quoniam in has regiones per Leptitanorum negotia venimus; non indignum videtur, egregium atque mirabile facinus duorum Carthaginiensium memorare. eam rem locus nos admonuit. Qua tempestate Carthaginienses pleraeque Africae imperitabant, Cyrenenses quoque magni atque opulenti fuere. Ager in medio arenosus, una specie; neque flumen, neque mons erat, qui finis eorum discerneret; quae res eos in magno diuturno bello inter se habuit. Postquam utrimque legiones, item classes, fusae fugataeque, et alteri alteros aliquantum adtriverant; veriti, ne mox victos victoresque defessos alius adgrederetur, per inducias sponsionem faciunt, *uti certo die legati domo proficiscerentur; quo in loco inter se obvii fuissent, is communis utriusque populi finis haberetur*. Igitur Carthagine duo fratres missi, quibus nomen Philaenis erat, maturavere iter pergere: Cyrenenses tardius iere. Id secordiane, an casu acciderit, parum cognovi. Ceterum solet in illis locis tempestas haud secus, atque in mari retinere. Nam ubi per loca aequalia et nuda gignentium ventus coortus arenam humo excitavit; ea magna vi agitata, ora oculosque implere solet: ita prospectu impedito, morari iter. Postquam Cyrenenses aliquanto posteriores se esse vident, et ob rem corruptam domi poenas metuunt; criminari Carthaginienses ante tempus domo digressos, conturbare rem: denique omnia malle, quam victi abire. Sed cum Poeni aliam conditionem, tantummodo aequam, peterent, Graeci optionem Carthaginiensium faciunt, *vel illi, quos finis populo suo peterent, ibi vivi obruerentur; vel eadem conditione sese, quem in locum vellent, processuros*. Philaeni, conditione

probata, seque vitamque suam reipublicae condonavere. ita vivi obruti. Carthaginienses in eo loco Philaenis fratribus aras consecravere; aliique illis domi honores instituti. Nunc ad rem redeo.

LXXX. Iugurtha postquam, amissa Thala, nihil satis firmum contra Metellum putat, per magnas solitudines cum paucis profectus, pervenit ad Gaetulos, genus hominum ferum incultumque, et eo tempore ignarum nominis Romani. Eorum multitudinem in unum cogit: ac paulatim consuefacit ordines habere, signa sequi, imperium observare, item alia militaria facere. Praeterea regis Bocchi proxumos magnis muneribus, et maioribus promissis ad studium sui perducit, quis adiutoribus regem adgressus, impellit, uti advorsum Romanos bellum suscipiat. Id ea gratia facilius proniusque fuit, quod Bocchus initio huiusce belli legatos Romam miserat, foedus et amicitiam petitum. quam rem opportunissumam incepto bello pauci impediverant, caeci avaritia, quis omnia honesta atque inhonesta vendere mos erat. Etiam antea Iugurthae filia Bocchi nupserat. Verum ea necessitudo apud Numidas Maurosque levis ducitur; quod singuli, pro opibus quisque, quam plurimas uxores, denas alii, alii plures habent; sed reges eo amplius. Ita animus multitudine distrahitur; nullam pro socia obtinet: pariter omnes viles sunt.

LXXXI. Igitur in locum ambobus placitum exercitus conveniunt. ibi, fide data et accepta, Iugurtha Bocchi animum oratione accendit: *Romanos iniustos, profunda avaritia, communis omnium hostis esse: eamdem illos causam belli cum Boccho habere, quam secum et cum aliis gentibus, lubidinem imperitandi: quis omnia regna advorsa sint: tum sese, paulo ante Carthaginienses, item regem Persen, post, uti quisque opulentissumus videatur, ita Romanis hostem fore.* His atque aliis talibus dictis ad Cir-

tam oppidum iter constituunt: quod ibi Metellus praedam captivosque et impedimenta locaverat. Ita Iugurtha ratus, aut, capta urbe, operae pretium fore; aut, si Romanus auxilio suis venisset, praelio sese certaturos. Nam callidus id modo festinabat, Bocchi pacem imminuere; ne, moras agitando, aliud, quam bellum, mallet.

LXXXII. Imperator postquam de regum societate cognovit, non temere, neque, uti saepe iam victo Iugurtha consueverat, omnibus locis pugnandi copiam facit: ceterum haud procul ab Cirta, castris munitis, reges opperitur: melius esse ratus, cognitis Mauris, quoniam is novus hostis accesserat, ex commodo pugnam facere. Interim Roma per literas certior fit, provinciam Numidiam Mario datam. nam consulem factum, iam antea acceperat. Quibus rebus supra bonum atque honestum perculsus, neque lacrumas tenere, neque moderari linguam: vir egregius in aliis artibus, nimis molliter aegritudinem pati. Quam rem alii in superbiam vortebant: alii bonum ingenium contumelia accensum esse: multi, quod iam parta victoria ex manibus eriperetur. nobis satis cognitum, illum magis honore Marii, quam iniuria sua excruciatum, neque tam anxie laturum fuisse, si ademta provincia alii, quam Mario, traderetur.

LXXXIII. Igitur eo dolore impeditus, et quia stultitiae videbatur alienam rem periculo suo curare, legatos ad Bocchum mittit, postulatum, *ne sine causa hostis populo Romano fieret. habere eum magnam copiam societatis amicitiaeque coniungendae, quae potior bello esset; quamquam opibus suis confideret, tamen non debere incerta pro certis mutare, omne bellum sumi facile, ceterum aegerrume desinere: non in eiusdem potestate initium eius et finem esse: incipere cuivis, etiam ignavo licere; deponi, cum victores velint. proinde sibi regnoque suo consuleret; neu florentis res suas cum Iugurthae perditis*

*misceret.* Ad ea rex satis placide verba facit: *sese pacem cupere, sed Iugurthae fortunarum misereri. si eadem illi copia fieret, omnia conventura.* Rursus imperator contra postulata Bocchi nuncios mittit. ille probare partim, alia abnuere. Eo modo saepe ab utroque missis remissisque nunciis, tempus procedere, et, ex Metelli voluntate, bellum intactum trahi.

LXXXIV. At Marius, ut supra diximus, cupientissuma plebe Consul factus, postquam ei provinciam Numidiam populus iussit, antea iam infestus nobilitati, tum vero multus atque ferox instare: singulos modo, modo universos laedere: dictitare, *sese consulatum ex victis illis spolia cepisse:* alia praeterea magnifica pro se, et illis dolentia. Interim, quae bello opus erant, prima habere: postulare legionibus supplementum, auxilia a populis et regibus sociisque arcessere; praeterea ex Latio fortissumum quemque, plerosque militia, paucos fama cognitos accire, et ambiendo cogere homines emeritis stipendiis secum proficisci. Neque illi Senatus, quamquam adversus erat, de ullo negotio abnuere audebat; ceterum supplementum etiam laetus decreverat: quia neque plebi militia volenti putabatur, et Marius aut belli usum, aut studia volgi amissurus. Sed ea res frustra sperata. tanta lubido cum Mario eundi plerosque invaserat: sese quisque praeda locupletem, victorem domum rediturum, alia huiuscemodi animis trahebant. et eos non paullum oratione sua Marius adrexerat. Nam postquam, omnibus, quae postulaverat, decretis, milites scribere volt, hortandi causa, simul et nobilitatem, uti consueverat, exagitandi, concionem populi advocavit; deinde hoc modo disseruit.

LXXXV. *Scio ego, Quirites, plerosque non iisdem artibus imperium a vobis petere, et, postquam adepti sunt, gerere: primo industrios, supplices, modicos esse; dehinc per ignaviam et superbiam aetatem agere. sed mihi contra videtur. Nam*

*quo universa respublica pluris est, quam consulatus aut praetura, eo maiore cura illam administrari, quam haec peti debere. Neque me fallit, quantum cum maxumo beneficio vestro negotii sustineam. Bellum parare, simul et aerario parcere; cogere ad militiam eos, quos nolis offendere; domi forisque omnia curare; et ea agere inter invidos, occursantis, factiosos, opinione, Quirites, asperius est. Ad hoc, alii si deliquere, vetus nobilitas, maiorum facta fortia, cognatorum et adfinium opes, multae clientelae, omnia haec praesidio adsunt: mihi spes omnes in memet sitae, quas necesse est et virtute et innocentia tutari: nam alia infirma sunt. Et illud intellego, Quirites: omnium ora in me conversa esse: aequos bonosque favere: quippe benefacta mea reipublicae procedunt; nobilitatem locum invadendi quaerere. Quo mihi acrius adnitendum est, ut neque vos capiamini, et illi frustra sint. Ita ad hoc aetatis a pueritia fui, ut omnis labores, pericula consueta habeam. Quae ante vestra beneficia gratuito faciebam, ea uti, accepta mercede, deseram, non est consilium, Quirites. Illis difficile est in potestatibus temperare, qui per ambitionem sese probos simulavere: mihi, qui omnem aetatem in optimis artibus egi, benefacere iam ex consuetudine in naturam vertit. Bellum me gerere cum Iugurtha iussistis; quam rem nobilitas aegerrume tulit. Quaeso, reputate cum animis vestris, num id mutare melius sit, si quem ex illo globo nobilitatis ad hoc, aut aliud tale negotium mittatis, hominem veteris prosapiae ac multarum imaginum, et nullius stipendii: scilicet ut in tanta re, ignarus omnium, trepidet, festinet, sumat aliquem ex populo monitorem officii sui. Ita plerumque evenit, ut, quem vos imperare iussistis, is sibi imperatorem alium quaerat. At ego scio, Quirites, qui postquam Consules facti sunt, acta maiorum et Graecorum militaria prae-*

*cepta legere coeperint; homines praeposteri. Nam gerere, quam fieri, tempore posterius, re atque usu prius est. Comparate nunc, Quirites, cum illorum superbia me hominem novum. Quae illi audire et legere solent, eorum partim vidi, alia egomet gessi: quae illi literis, ea ego militando didici. Nunc vos existumate, facta, an dicta pluris sint. Contemnunt novitatem meam; ego illorum ignaviam. Mihi fortuna, illis probra obiectantur. Quamquam ego naturam unam et communem omnium existumo, sed fortissumum quemque generosissumum. Ac, si iam ex patribus Albini, aut Bestiae quaeri posset, mene, an illos ex se gigni maluerint; quid responsuros creditis, nisi, sese liberos quam optumos voluisse? Quod si iure me despiciunt, faciunt idem maioribus suis, quibus, uti mihi, ex virtute nobilitas coepit. Invident honori meo; ergo invideant et labori, innocentiae, periculis etiam meis, quoniam per haec illum cepi. Verum homines corrupti superbia, ita aetatem agunt, quasi vestros honores contemnant; ita hos petunt, quasi honesti vixerint. Nae illi falsi sunt, qui divorsissumas res pariter exspectant, ignaviae voluptatem et praemia virtutis. Atque etiam cum apud vos, aut in senatu verba faciunt, pleraque oratione maiores suos extollunt; eorum fortia facta memorando clariores sese putant: quod contra est. Nam quanto vita illorum praeclarior, tanto horum secordia flagitiosior. Et profecto ita se res habet: maiorum gloria posteris quasi lumen est, neque bona eorum neque mala in occulto patitur. Huiusce rei ego inopiam patior, Quirites, verum id, quod multo praeclarius est, meamet facta mihi dicere licet. Nunc videte, quam iniqui sint. Quod ex aliena virtute sibi adrogant, id mihi ex mea non concedunt: scilicet, quia imagines non habeo, et quia mihi nova nobilitas est; quam certe peperisse, quam acceptam corrupisse melius est. Equi-*

*dem ego non ignoro, si iam mihi respondere velint, abunde illis facundam et compositam orationem fore. Sed in maxumo vestro beneficio, cum omnibus locis me vosque maledictis lacerent, non placuit reticere; ne quis modestiam in conscientiam duceret. Nam me quidem, ex animi mei sententia, nulla oratio laedere potest. quippe vera, necesse est bene praedicet; falsam vita moresque mei superant. Sed quoniam vestra consilia accusantur, qui mihi summum honorem, et maxumum negotium imposuistis: etiam atque etiam reputate, num eorum poenitendum sit. Non possum fidei causa imagines, neque triumphos, aut consulatus maiorum meorum ostentare; at, si res postulet, hastas, vexillum, phaleras, alia militaria dona; praeterea cicatrices adverso corpore. Hae sunt meae imagines, haec nobilitas, non hereditate relicta, ut illa illis, sed quae ego meis plurimis laboribus et periculis quaesivi. Non sunt composita verba mea: parum id facio; ipsa se virtus satis ostendit. illis artificio opus est, uti turpia facta oratione tegant. Neque literas Graecas didici: parum placebat eas discere, quippe quae ad virtutem doctoribus nihil profuerant. At illa multo optuma reipublicae doctus sum: hostem ferire, praesidia agitare, nihil metuere, nisi turpem famam; hiemem et aestatem iuxta pati; humi requiescere; eodem tempore inopiam et laborem tolerare. His ego praeceptis milites hortabor. neque illos arte colam, me opulenter; neque gloriam meam laborem illorum faciam. Hoc est utile, hoc civile imperium. Namque cum tute per mollitiem agas, exercitum supplicio cogere, id est dominum esse, non imperatorem. Haec atque talia maiores vestri faciundo, seque remque publicam celebravere. Quis nobilitas freta, ipsa dissimilis moribus, nos illorum aemulos contemnit; et omnis honores non ex merito, sed quasi debitos a vobis repetit. Ceterum homines superbissumi*

*procul errant. Maiores eorum omnia, quae licebat, illis reliquere, divitias, imagines, memoriam sui praeclaram: virtutem non reliquere; neque poterant: ea sola neque datur dono, neque accipitur. Sordidum me et incultis moribus aiunt; quia parum scite convivium exorno, neque histrionem ullum, neque pluris pretii coquum, quam villicum, habeo, quae mihi lubet confiteri Quirites. Nam ex parente meo, et ex aliis sanctis viris ita accepi, munditias mulieribus, viris laborem convenire, omnibusque bonis oportere plus gloriae, quam divitiarum esse; arma, non supellectilem decori esse. Quin ergo, quod iuvat, quod carum aestumant, id semper faciant: ament, potent; ubi adolescentiam habuere, ibi senectutem agant, in conviviis, dediti ventri et turpissimae parti corporis: sudorem, pulverem et alia talia relinquant nobis, quibus illa epulis iucundiora sunt. Verum non est ita. Nam ubi se omnibus flagitiis dedecoravere turpissumi viri, bonorum praemia ereptum eunt. Ita iniustissume luxuria et ignavia, pessumae artes, illis, qui coluere eas, nihil obficiunt; reipublicae innoxiae cladi sunt. Nunc, quoniam illis, quantum mores mei, non illorum flagitia poscebant, respondi; pauca de republica loquar. Primum omnium de Numidia bonum habetote animum, Quirites. Nam, quae ad hoc tempus Iugurtham tutata sunt, omnia removistis, avaritiam, imperitiam, superbiam. Deinde exercitus ibi est, locorum sciens; sed mehercule magis strenuus, quam felix. Nam magna pars eius avaritia, aut temeritate ducum adtrita est. Quamobrem vos, quibus militaris est aetas, adnitimini mecum et capessite rempublicam: neque quemquam ex calamitate aliorum, aut imperatorum superbia metus ceperit. Egomet in agmine, in praelio consultor idem, et socius periculi vobiscum adero; meque vosque in omnibus rebus iuxta geram. Et profecto, diis iuvantibus,*

*omnia matura sunt, victoria, praeda, laus: quae si dubia, aut procul essent, tamen omnis bonos reipublicae subvenire decet. Etenim ignavia nemo immortalis factus: neque quisquam parens liberis, uti aeterni forent, optavit; magis, uti boni honestique vitam exigerent. Plura dicerem, Quirites, si timidis virtutem verba adderent: nam strenuis abunde dictum puto.*

LXXXVI. Huiuscemodi oratione habita, Marius postquam plebis animos adrectos videt, propere commeatu, stipendio, armis, aliisque utilibus navis onerat; cum his A. Manlium legatum proficisci iubet. Ipse interea milites scribere, non more maiorum, neque ex classibus, sed uti cuiusque lubido erat, capite censos plerosque. Id factum alii inopia bonorum, alii per ambitionem consulis memorabant; quod ab eo genere celebratus auctusque erat; et homini potentiam quaerenti egentissumus quisque opportunissumus; cui neque sua cara, quippe quae nulla sunt, et omnia cum pretio honesta videntur. Igitur Marius cum aliquanto maiore numero, quam decretum erat, in Africam profectus, paucis diebus Vticam advehitur. Exercitus ei traditur a P. Rutilio legato. nam Metellus conspectum Marii fugerat: ne videret ea, quae audita animus tolerare nequiverat.

LXXXVII. Sed consul, expletis legionibus cohortibusque auxiliariis, in agrum fertilem et praeda onustum proficiscitur. omnia ibi capta militibus donat. dein castella et oppida natura et viris parum munita adgreditur: praelia multa, ceterum levia, alia aliis locis facere. Interim novi milites sine metu pugnae adesse: videre fugientis capi, aut occidi; fortissumum quemque tutissumum: armis libertatem, patriam parentesque et alia omnia tegi: gloriam atque divitias quaeri. Sic brevi spatio novi veteresque coaluere, et virtus omnium aequalis facta. At reges, ubi de adventu Marii cognoverunt, divorsi in locos difficilis abeunt.

Ita Iugurthae placuerat, speranti, mox effusos hostis invadi posse; Romanos, sicuti plerosque, remoto metu, laxius licentiusque futuros.

LXXXVIII. Metellus interea Romam profectus, contra spem suam, laetissumis animis excipitur: plebi patribusque, postquam invidia decesserat, iuxta carus. Sed Marius impigre prudenterque suorum et hostium res pariter adtendere; cognoscere, quid boni utrisque, aut contra esset; explorare itinera regum, consilia et insidias eorum antevenire: nihil apud se remissum, neque apud illos tutum pati. Itaque et Gaetulos, et Iugurtham, ex sociis nostris praedam agentes, saepe adgressus in itinere fuderat, ipsumque regem haud procul ab oppido Cirta armis exuerat. Quae postquam gloriosa modo, neque belli patrandi cognovit, statuit urbis, quae viris aut loco pro hostibus, et adversum se obportunissumae erant, singulas circumvenire: ita Iugurtham aut praesidiis nudatum, si ea pateretur, aut praelio certaturum. Nam Bocchus nuncios ad eum saepe miserat, *velle populi Romani amicitiam; ne quid ab se hostile timeret.* Id simulaveritne, quo improvisus gravior accederet, an mobilitate ingenii, pacem atque bellum mutare solitus, parum exploratum est.

LXXXIX. Sed Consul, uti statuerat, oppida castellaque munita adire; partim vi, alia metu, aut praemia ostentando avortere ab hostibus. Ac primo mediocria gerebat, existumans, Iugurtham ob suos tutandos in manus venturum. Sed ubi illum procul abesse, et aliis negotiis intentum accepit; maiora et magis aspera adgredi tempus visum est. Erat inter ingentes solitudines oppidum magnum atque valens, nomine Capsa, cuius conditor Hercules Libys memorabatur. Eius cives apud Iugurtham inmunes, levi imperio, et ob ea fidelissumi habebantur: muniti adversum hostis non moenibus modo, et armis atque viris, verum etiam multo magis locorum asperitate.

Nam, praeter oppido propinqua, alia omnia vasta, inculta, egentia aquae, infesta serpentibus: quarum vis, sicuti omnium ferarum, inopia cibi acrior. adhoc natura serpentium ipsa perniciosa, siti magis, quam alia re accenditur. Eius potiundi Marium maxuma cupido invaserat; cum propter usum belli, tum quia res aspera videbatur; et Metellus oppidum Thalam magna gloria ceperat, haud dissimiliter situm munitumque: nisi quod apud Thalam haud longe a moenibus aliquot fontes erant; Capsenses una modo, atque ea intra oppidum, iugi aqua, cetera pluvia utebantur. Id ibique, et in omni Africa, quae procul a mari incultius agebat, eo facilius tolerabatur, quia Numidae plerumque lacte et ferina carne vescebantur, neque salem, neque alia irritamenta gulae quaerebant: cibus illis advorsum famem atque sitim, non lubidini, neque luxuriae erat.

XC. Igitur Consul, omnibus exploratis, credo, diis fretus; nam contra tantas difficultates consilio satis providere non poterat: quippe etiam frumenti inopia tentabatur; quod Numidae, pabulo pecoris magis, quam arvo student, et quodcumque natum fuerat, iussu regis in loca munita contulerant, ager autem aridus et frugum vacuus ea tempestate erat; (nam aestatis extremum erat:) tamen pro rei copia satis providenter exornat: pecus omne, quod superioribus diebus praedae fuerat, equitibus auxiliariis agendum adtribuit; A. Manlium legatum cum cohortibus expeditis ad oppidum Laris; ubi stipendium et commeatum locaverat, ire iubet, dicitque, se praedabundum post paucos dies eodem venturum. Sic incepto suo occultato, pergit ad flumen Tanam.

XCI. Ceterum in itinere quotidie pecus exercitui per centurias, item turmas aequaliter distribuerat, et ex coriis utres uti fierent, curabat: simul et inopiam frumenti lenire, et, ignaris omnibus, parare, quae mox usui forent. denique sexto die, cum ad flumen

ventum est, maxuma vis utrinum effecta. Ibi castris levi munimento positis, milites cibum capere, atque, uti simul cum occasu solis egrederentur, paratos esse iubet: omnibus sarcinis abiectis, aqua modo seque et iumenta onerare. Dein, postquam tempus visum, castris egreditur, noctemque totam itinere facto, consedit. idem proxuma facit. dein tertia, multo ante lucis adventum, pervenit in locum tumulosum, ab Capsa non amplius duum millium intervallo: ibique, quam occultissume potest, cum omnibus copiis opperitur. Sed ubi dies coepit, et Numidae nihil hostile metuentes multi oppido egressi, repente omnem equitatum, et cum his velocissumos pedites cursu tendere ad Capsam, et portas obsidere iubet: deinde ipse intentus propere sequi, neque milites praedari sinere. Quae postquam oppidani cognovere; res trepidae, metus ingens, malum improvisum, ad hoc pars civium extra moenia in hostium potestate, coëgere, uti deditionem facerent. Ceterum oppidum incensum: Numidae puberes interfecti; alii omnes venum dati: praeda militibus divisa. Id facinus contra ius belli, non avaritia, neque scelere Consulis admissum; sed quia locus Iugurthae opportunus, nobis aditu difficilis: genus hominum mobile, infidum, neque beneficio, neque metu coërcitum.

XCII. Postquam tantam rem Marius, sine ullo suorum incommodo patravit; magnus et clarus antea, maior atque clarior haberi coepit. Omnia non bene consulta in virtutem trahebantur. Milites modesto imperio habiti, simul et locupletes, ad coelum ferre: Numidae magis, quam mortalem timere: postremo omnes, socii atque hostes, credere, illi aut mentem divinam esse, aut deorum nutu cuncta portendi. Sed Consul, ubi ea res bene evenit, ad alia oppida pergit: pauca, repugnantibus Numidis, capit; plura deserta, propter Capsensium miserias, igni corrumpit: luctu atque caede omnia complentur. Denique multis locis

potitus, ac plerisque exercitu incruento, aliam rem adgreditur, non eadem asperitate, qua Capsensium, ceterum haud secus difficilem. Namque haud longe a flumine Mulucha, quod Iugurthae Bocchique regnum disiungebat, erat inter ceteram planitiem, mons saxeus, mediocri castello satis patens, in immensum editus, uno perangusto aditu relicto: nam omnis, natura, velut opere atque consulto praeceps. Quem locum Marius, quod ibi regis thesauri erant, summa vi capere intendit. Sed ea res forte, quam consilio, melius gesta. Nam castello virorum atque armorum satis, magna vis frumenti, et fons aquae: aggeribus turribusque et aliis machinationibus locus importunus: iter castellanorum angustum admodum, utrimque praecisum. Vineae cum ingenti periculo frustra agebantur. nam cum eae paulum processerant, igni, aut lapidibus corrumpebantur: milites neque pro opere consistere, propter iniquitatem loci; neque inter vineas sine periculo administrare: optumus quisque cadere aut sauciari; ceteris metus augeri.

XCIII. At Marius, multis diebus et laboribus consumtis, anxius trahere cum animo suo, omitteretne inceptum, quoniam frustra erat, an fortunam opperiretur, qua saepe prospere usus fuerat. Quae cum multos dies, noctesque aestuans agitaret, forte quidam Ligus, ex cohortibus auxiliariis miles gregarius, castris aquatum egressus, haud procul ab latere castelli, quod avorsum praeliantibus erat, animadvortit inter saxa repentis cochleas: quarum cum unam atque alteram, dein plures peteret, studio legundi paulatim prope ad summum montis egressus est. Vbi postquam solitudinem intellexit, more humani ingenii, cupido ignara visundi invadit. Et forte in eo loco grandis ilex coaluerat inter saxa, paululum modo prona, dein flexa atque aucta in altitudinem, quo cuncta gignentium natura fert: cuius ramis modo, modo eminentibus saxis nisus Ligus, castelli planitiem perscribit; quod

cuncti Numidae intenti praeliantibus aderant. Exploratis omnibus, quae mox usui fore ducebat, eadem regreditur, non temere, uti escenderat, sed tentans omnia et circumspiciens. Itaque Marium propere adit; acta edocet, hortatur, ab ea parte, qua ipse escenderat, castellum tentet; pollicetur sese itineris periculique ducem. Marius cum Ligure, promissa eius cognitum, ex praesentibus misit: quorum uti cuiusque ingenium erat, ita rem difficilem aut facilem nunciavere. Consulis animus tamen paulum adrectus. Itaque ex copia tubicinum et cornicinum, numero quinque quam velocissumos delegit, et cum his, praesidio qui forent, quatuor centuriones: omnisque Liguri parere iubet, et ei negotio proxumum diem constituit.

XCIV. Sed ubi ex praecepto tempus visum; paratis compositisque omnibus, ad locum pergit. Ceterum illi, qui centuriis praeerant, praedocti ab duce, arma ornatumque mutaverant, capite atque pedibus nudis, uti prospectus nisusque per saxa facilius foret: super terga gladii et scuta; verum ea Numidica ex coriis, ponderis gratia simul, et offensa, quo levius streperent. Igitur praegrediens Ligus saxa, et si quae vetustate radices eminebant, laqueis vinciebat, quibus adlevati milites facilius escenderent, interdum timidos, insolentia itineris, levare manu: ubi paulo asperior adscensus erat, singulos prae se inermos mittere; deinde ipse cum illorum armis sequi: quae dubia nisui videbantur, potissumum tentare, ac saepius eadem adscendens descendensque, dein statim digrediens, ceteris audaciam addere. Igitur diu multumque fatigati, tandem in castellum perveniunt, desertum ab ea parte: quod omnes, sicuti aliis diebus, advorsum hostis aderant. Marius ubi ex nunciis, quae Ligus egerat, cognovit, quamquam toto die intentos praelio Numidas habuerat, tum vero cohortatus milites et ipse extra vineas egressus, testudine acta succedere, et simul hostem tormentis sagittariisque et funditoribus eminus

terrere. At Numidae saepe antea vineis Romanorum subvorsis, item incensis, non castelli moenibus sese tutabantur; sed pro muro dies noctesque agitare: maledicere Romanis, ac Mario vecordiam obiectare; militibus nostris Iugurthae servitium minari; secundis rebus feroces esse. Interim omnibus Romanis hostibusque praelio intentis, magna utrimque vi pro gloria atque imperio his, illis pro salute certantibus, repente a tergo signa canere: ac primo mulieres et pueri, qui visum processerant, fugere; deinde, uti quisque muro proxumus erat, postremo cuncti armati inermesque. Quod ubi accidit, eo acrius Romani instare, fundere, ac plerosque tantummodo sauciare, dein super occisorum corpora vadere, avidi gloriae certantes murum petere, neque quemquam omnium praeda morari. Sic forte correcta Marii temeritas, gloriam ex culpa invenit.

XCV. Ceterum dum ea res geritur, L. Sulla Quaestor cum magno equitatu in castra venit: qui, uti ex Latio et a sociis cogeret, Romae relictus erat. Sed quoniam nos tanti viri res admonuit; idoneum visum est, de natura cultuque eius paucis dicere. neque enim alio loco de Sullae rebus dicturi sumus: et L. Sisenna optume et diligentissume omnium, qui eas res dixere, persecutus, parum mihi libero ore locutus videtur. Igitur Sulla gentis patriciae nobilis fuit, familia prope iam exstincta maiorum ignavia, literis Graecis atque Latinis iuxta atque doctissume eruditus, animo ingenti, cupidus voluptatum, sed gloriae cupidior: otio luxurioso esse; tamen ab negotiis numquam voluptas remorata, nisi quod de uxore potuit honestius consuli: facundus, callidus, et amicitia facilis ad simulanda negotia, altitudo ingenii incredibilis: multarum rerum, ac maxume pecuniae largitor. atque felicissumo omnium ante civilem victoriam, numquam super industriam fortuna fuit: multique dubitavere, fortior,

an felicior esset. nam postea quae fecerit, incertum habeo, pudeat magis, an pigeat disserere.

XCVI. Igitur Sulla, ut supra dictum est, postquam in Africam atque in castra Marii cum equitatu venit, rudis antea et ignarus belli, sollertissumus omnium in paucis tempestatibus factus est. Ad hoc milites benigne adpellare; multis rogantibus, aliis per se ipse dare beneficia, invitus accipere, sed ea properantius, quam aes mutuum reddere; ipse ab nullo repetere: magis id laborare, ut illi quam plurimi deberent: ioca atque seria cum humillumis agere: in operibus, in agmine atque ad vigilias multus adesse: neque interim, quod prava ambitio solet, Consulis, aut cuiusquam boni famam laedere: tantummodo neque consilio, neque manu priorem alium pati; plerosque antevenire. Quis rebus et artibus brevi Mario militibusque carissumus factus.

XCVII. At Iugurtha, postquam oppidum Capsam aliosque locos munitos et sibi utilis simul, et magnam pecuniam amiserat, ad Bocchum nuncios mittit, *quam primum in Numidiam copias adduceret; praelii faciundi tempus adesse.* Quem ubi cunctari accepit, dubium belli atque pacis rationes trahere: rursus, uti antea, proxumos eius donis corrumpit, ipsique Mauro pollicetur Numidiae partem tertiam, si aut Romani Africa expulsi, aut, integris suis finibus, bellum compositum foret. Eo praemio inlectus Bocchus, cum magna multitudine Iugurtham accedit. Ita amborum exercitu coniuncto, Marium iam in hiberna proficiscentem, vix decima parte die reliqua, invadunt: rati noctem, quae iam aderat, victis sibi munimento fore; et, si vicissent, nullo impedimento, quia locorum scientes erant: contra Romanis utrumque casum in tenebris difficiliorem fore. Igitur simul Consul ex multis de hostium adventu cognovit, et ipsi hostes aderant, et priusquam exercitus aut instrui, aut sarcinas colligere, denique antequam signum, aut imperium ullum

accipere quivit, equites Mauri atque Gaetuli, non acie, neque ullo more praelii, sed catervatim, uti quosque fors conglobaverat, in nostros incurrunt. qui omnes trepidi improviso metu, ac tamen virtutis memores, aut arma capiebant, aut capientis alios ab hostibus defensabant: pars equos ascendere, obviam ire hostibus: pugna latrocinio magis, quam praelio similis fieri: sine signis, sine ordinibus, equites peditesque permixti; caedere alios, alios obtruncare, multos, contra advorsos acerrume pugnantis, ab tergo circumvenire: neque virtus, neque arma satis tegere; quod hostes numero plures et undique circumfusi erant. denique Romani veteres, novique, et ob ea scientes belli, si quos locus, aut casus coniunxerat, orbes facere: atque ita ab omnibus partibus simul tecti et instructi hostium vim sustentabant.

XCVIII. Neque in eo tam aspero negotio Marius territus, aut magis, quam antea, demisso animo fuit; sed cum turma sua, quam ex fortissumis magis, quam familiarissumis paraverat, vagari passim; ac modo laborantibus suis succurrere, modo hostis, ubi confertissumi obstiterant, invadere: manu consulere militibus, quoniam imperare, conturbatis omnibus, non poterat. Iamque dies consumtus erat, cum tamen barbari nihil remittere; atque, uti reges praeceperant, noctem pro se rati, acrius instare. Tum Marius ex copia rerum consilium trahit, atque, uti suis receptui locus esset, collis duos propinquos inter se, occupat. quorum in uno, castris parum amplo, fons aquae magnus erat: alter usui opportunus, quia magna parte editus et praeceps pauco munimento egebat. Ceterum, apud aquam, Sullam cum equitibus noctem agitare iubet. Ipse paulatim dispersos milites, neque minus hostibus, conturbatis, in unum contrahit: dein cunctos pleno gradu in collem subducit. Ita reges, loci difficultate coacti, praelio deterrentur. neque tamen suos longius abire sinunt, sed, utroque colle multitu-

sine circumdato, elisi consedere. Dein crebris ignibus factis, plerumque noctis barbari suo more laetari, exsultare, strepere vocibus: ipsi duces feroces, quia non fugere, atque pro victoribus agere. Sed ea cuncta Romanis ex tenebris et editioribus locis facilia visu magnoque hortamento erant.

XCIX. Plurimum vero Marius imperitia hostium confirmatus, quam maxumum silentium haberi iubet: ne signa quidem, uti per vigilias solebant, canere: deinde, ubi lux adventabat, defessis iam hostibus et paulo ante somno captis, de improviso vigiles, item cohortium, turmarum, legionum tubicines simul omnis signa canere, milites clamorem tollere atque (portis) erumpere iubet. Mauri atque Gaetuli ignoto et horribili sonitu repente exciti, neque fugere, neque arma capere, neque omnino facere aut providere quidquam poterant. Ita cunctos strepitu, clamore, nullo subveniente, nostris instantibus, tumultu, terrore, formido, quasi vecordia, ceperat. Denique omnes fusi fugatique: arma et signa militaria pleraque capta: pluresque eo proelio, quam omnibus superioribus interemti. Nam somno et metu insolito impedita fuga.

C. Dein Marius, uti coeperat, in hiberna proficiscitur: quae, propter commeatum, in oppidis maritumis agere decreverat. neque tamen secors victoria, aut insolens factus: sed pariter ac in conspectu hostium, quadrato agmine incedere. Sulla cum equitatu apud dextumos, in sinistra A. Manlius cum funditoribus et sagittariis, praeterea cohortes Ligurum curabat: primos et extremos cum expeditis manipulis tribunos locaverat. Perfugae, minume cari et regionum scientissumi, hostium iter explorabant: simul Consul, quasi nullo imposito, omnia providere: apud omnes adesse: laudare, increpare merentis. Ipse armatus intentusque, item milites cogebat, neque secus, atque iter facere, castra munire, excubitum in portas cohor-

tis ex legionibus, pro castris equites auxiliarios mittere. praeterea alios super vallum in munimentis locare, vigilias ipse circuire, non tam diffidentia futuri, quae imperavisset, quam uti militibus exaequatus cum imperatore labos volentibus esset. Et sane Marius illo et aliis temporibus belli Iugurthini pudore magis, quam malo exercitum coërcebat: quod multi per ambitionem fieri aiebant; pars, quod a pueritia consuetam duritiam, et alia, quae ceteri miserias vocant, voluptati habuisset. Nisi tamen respublica pariter, ac saevissumo imperio, bene atque decore gesta.

CI. Igitur quarto denique die, haud longe ab oppido Cirta undique simul speculatores citi sese ostendunt: qua re hostis adesse intellegitur. Sed quia divorsi redeuntes, alius ab alia parte, atque omnes idem significabant, Consul incertus, quonam modo aciem instrueret, nullo ordine commutato, advorsum omnia paratus, ibidem opperitur. Ita Iugurtham spes frustrata, qui copias in quatuor partis distribuerat: ratus, ex omnibus aeque aliquos ab tergo hostibus venturos. Interim Sulla, quem primum hostes adtigerant, cohortatus suos, turmatim et quam maxume confertis equis ipse aliique Mauros invadunt: ceteri in loco manentes, ab iaculis eminus emissis corpora tegere, et si qui in manus venerant, obtruncare. Dum eo modo equites praeliantur, Bocchus cum peditibus, quos Volux filius eius adduxerat, neque in priore pugna, in itinere morati, adfuerant, postremam Romanorum aciem invadunt. Tum Marius apud primos agebat, quod ibi Iugurtha cum plurimis erat. Dein Numida, cognito Bocchi adventu, clam cum paucis ad pedites convortit: ibi Latine (nam apud Numantiam loqui didicerat) exclamat: *nostros frustra pugnare; paulo ante Marium sua manu interfectum;* simul gladium sanguine oblitum ostendere, quem in pugna, satis impigre occiso pedite nostro, cruentaverat. Quod ubi milites accepere, magis atrocitate rei, quam fide nuncii ter-

rentur: simulque barbari animos tollere et in perculsos Romanos acrius incedere. Iamque paulum ab fuga aberant, cum Sulla, profligatis iis, quos advorsum ierat, Mauris, rediens ab latere incurrit. Bocchus statim avortitur. At Iugurtha, dum sustentare suos et prope iam adeptam victoriam retinere cupit, circumventus ab equitibus, dextra, sinistra omnibus occisis, solus inter tela hostium vitabundus erumpit. Atque interim Marius, fugatis equitibus, occurrit auxilio suis, quos pelli iam acceperat. Denique hostes undique fusi. Tum spectaculum horribile in campis patentibus: sequi, fugere, occidi, capi: equi atque viri adflicti: ac multi, volneribus acceptis, neque fugere posse, neque quietem pati; niti modo, ac statim concidere: postremo omnia, qua visus erat, constrata telis, armis, cadaveribus; et inter ea humus infecta sanguine.

CII. Post ea loci Consul, haud dubie iam victor, pervenit in oppidum Cirtam, quo initio profectus intenderat. Eo post diem quintum, quam iterum barbari male pugnaverant, legati a Boccho veniunt, qui regis verbis ab Mario petivere, *duo quam fidissumos ad eum mitteret; velle de suo, et de populi Romani commodo cum iis disserere.* Ille statim L. Sullam et A. Manlium ire iubet. Qui quamquam acciti ibant, tamen placuit verba apud regem facere: ingenium aut avorsum uti flecterent: aut cupidum pacis vehementius accenderent. Itaque Sulla, cuius facundiae, non aetati a Manlio concessum, pauca verba huiuscemodi locutus:

*Rex Bocche, magna nobis laetitia est, cum te talem virum dii monuere, uti aliquando pacem, quam bellum, malles; neu te optumum, cum pessumo omnium Iugurtha miscendo commaculares; simul nobis demeres acerbam necessitudinem, pariter te errantem et illum sceleratissumum persequi. Ad hoc populo Romano iam a principio (inopi) melius*

*visum, amicos, quam servos quaerere: tutius rati volentibus, quum coactis imperitare. Tibi vero nulla opportunior amicitia nostra: primum, quod procul absumus, in quo offensae minimum, gratia par, ac si prope adessemus; dein, quod parentes abunde habemus, amicorum neque nobis, neque cuiquam omnium satis fuit. Atque hoc utinam a principio tibi placuisset! profecto ex populo Romano ad hoc tempus multo plura bona accepisses, quam mala perpessus esses. Sed quoniam humanarum rerum fortuna pleraque regit; cui scilicet placuit te et vim, et gratiam nostram experiri: nunc, quando per illam licet, festina, atque, ut coepisti, perge. Multa atque opportuna habes, quo facilius errata officiis superes. Postremo hoc in pectus tuum demitte, numquam populum Romanum beneficiis victum esse: nam bello quid valeat, tute scis.*

Ad ea Bocchus placide et benigne, simul pauca pro delicto suo verba facit: *se non hostili animo, sed ob regnum tutandum arma cepisse: nam Numidiae partem, unde vi Iugurtham expulerit, iure belli suam factam, eam vastari ab Mario pati nequivisse: praeterea missis antea Romam legatis, repulsum ab amicitia. Ceterum vetera omittere, ac tum, si per Marium liceret, legatos ad Senatum missurum.* Dein, copia facta, animus barbari ab amicis flexus, quos Iugurtha, cognita legatione Sullae et Manlii, metuens id, quod parabatur, donis corruperat.

CIII. Marius interea, exercitu in hibernis composito, cum expeditis cohortibus et parte equitatus proficiscitur in loca sola, obsessum turrim regiam, quo Iugurtha perfugas omnis praesidium imposuerat. Tum rursus Bocchus, seu reputando, quae sibi duobus praeliis evenerant, seu admonitus ab aliis amicis, quos incorruptos Iugurtha reliquerat, ex omni copia necessariorum quinque delegit, quorum et fides cognita, et ingenia validissima erant. Eos ad Marium, ac dein,

ni placeat, Romam legatos ire iubet; agendarum rerum, et quocumque modo belli componendi licentiam ipsis permittit. Illi mature ad hiberna Romanorum proficiscuntur: deinde in itinere a Gaetulis latronibus circumventi spoliatique, pavidi, sine decore ad Sullam profugiunt, quem Consul, in expeditionem proficiscens, pro Praetore reliquerat. Eos ille non pro vanis hostibus, ut meriti erant, sed accurate ac liberaliter habuit. qua re barbari et famam Romanorum avaritiae falsam, et Sullam, ob munificentiam in sese, amicum rati. Nam etiam tum largitio multis ignota erat, munificus nemo putabatur, nisi pariter volens: dona omnia in benignitate habebantur. Igitur Quaestori mandata Bocchi patefaciunt; simul ab eo petunt, uti fautor consultorque sibi adsit: copias, fidem, magnitudinem regis sui, et alia, quae aut utilia, aut benevolentiae esse credebant, oratione extollunt; dein, Sulla omnia pollicito, docti, quo modo apud Marium, item apud Senatum verba facerent, circiter dies XXXX ibidem opperiuntur.

CIV. Marius, postquam, confecto, quod intenderat, negotio Cirtam redit, de adventu legatorum certior factus, illosque et Sullam venire iubet, item L. Bellienum Praetorem Utica, praeterea omnis undique Senatorii ordinis; quibuscum mandata Bocchi cognoscit. Legatis potestas eundi Romam fit ab Consule; interea induciae postulabantur. Ea Sullae et plerisque placuere: pauci ferocius decernunt, scilicet ignari humanarum rerum, quae fluxae et mobiles semper in advorsa mutantur. Ceterum Mauri, impetratis omnibus rebus, tres Romam profecti cum Cn. Octavio Rufo, qui Quaestor stipendium in Africam portaverat: duo ad regem redeunt. Ex his Bocchus cum cetera, tum maxume benignitatem et studium Sullae lubens accepit. Romae legatis eius, postquam errasse regem et Iugurthae scelere lapsum, deprecati sunt, amicitiam et foedus petentibus hoc modo respondetur.

*Senatus et populus Romanus beneficii et iniuriae memor esse solet. Ceterum Boccho, quoniam poenitet, delicti gratiam facit; foedus et amicitia dabuntur, cum meruerit.*

CV. Quibus rebus cognitis, Bocchus per litteras a Mario petivit, uti Sullam ad se mitteret, cuius arbitratu de communibus negotiis consuleretur. Is missus cum praesidio equitum atque peditum, item funditorum Balearium: praeterea iere sagittarii et cohors Peligna cum velitaribus armis, itineris properandi causa; neque his secus atque aliis armis, adversum tela hostium, quod ea levia sunt, muniti. Sed in itinere, quinto denique die, Volux, filius Bocchi, repente in campis patentibus, cum mille non amplius equitibus, sese ostendit: qui temere et effuse euntes, Sullae aliisque omnibus et numerum ampliorem vero, et hostilem metum efficiebant. Igitur se quisque expedire, arma atque tela tentare, intendere: timor aliquantus, sed spes amplior, quippe victoribus, et adversum eos, quos saepe vicerant. Interim equites, exploratum praemissi, rem, uti erat, quietam nunciant.

CVI. Volux adveniens Quaestorem appellat, dicitque, *se a patre Boccho obviam illis simul, et praesidio missum.* Deinde eum, et proximum diem sine metu coniuncti eunt. Post, ubi castra locata, et diei vesper erat, repente Maurus incerto vultu pavens ad Sullam adcurrit, dicitque, *sibi ex speculatoribus cognitum, Iugurtham haud procul abesse:* simul, uti noctu clam secum profugeret, rogat atque hortatur. Ille animo feroci negat, *se toties fusum Numidam pertimescere: virtuti suorum satis credere: etiam si certa pestis adesset, mansurum potius, quam proditis, quos ducebat, turpi fuga, incertae ac forsitan post paulo morbo interiturae vitae, parceret.* Ceterum ab eodem monitus, *uti noctu proficiscerentur,* consilium adprobat: ac statim milites coenatos esse; in castris ignis quam creberrimos fieri, dein prima vi-

silentio egredi iubet. Iamque nocturno itinere fessis omnibus, Sulla pariter cum ortu solis castra metabatur, cum equites Mauri nunciant, *Iugurtham circiter duum millium intervallo ante eos consedisse.* Quod postquam auditum, tum vero ingens metus nostros invadit: credere se proditos a Voluce et insidiis circumventos. Ac fuere, qui dicerent, manu vindicandum, neque apud illum tantum scelus inultum relinquendum.

CVII. At Sulla, quamquam eadem existumabat, tamen ab iniuria Maurum prohibet: suos hortatur, *uti fortem animum gererent: saepe ante a paucis strenuis, adversum multitudinem bene pugnatum: quanto sibi in proelio minus pepercissent, tanto tutiores fore: nec quemquam decere, qui manus armaverit, ab inermis pedibus auxilium petere, in maxumo metu nudum et caecum corpus ad hostis vortere.* Deinde Volucem, quoniam hostilia faceret, maxumum Iovem obtestatus, ut sceleris atque perfidiae Bocchi testis adesset, ex castris abire iubet. Ille lacrumans orare, *ne ea crederet; nihil dolo factum, ac magis calliditate Iugurthae, cui videlicet speculanti iter suum cognitum esset. Ceterum, quoniam neque ingentem multitudinem haberet, et spes opesque eius ex patre suo penderent, credere, illum nihil palam ausurum, cum ipse filius testis adesset. Quare optumum factum videri, per media eius castra palam transire: sese, vel praemissis, vel ibidem relictis Mauris, solum cum Sulla iturum.* Ea res, ut in tali negotio, probata; ac statim profecti, quia de improviso accesserant, dubio atque haesitante Iugurtha, incolumes transeunt. Deinde paucis diebus, quo ire intenderant, perventum est.

CVIII. Ibi cum Boccho Numida quidam, Aspar nomine, multum et familiariter agebat: praemissus ab Iugurtha, postquam Sullam accitum audierat, orator, et subdole speculatum Bocchi consilia. praeterea

castra Iugurthae venit. Deinde ab illo cuncta edoctus, properato itinere, post diem octavum redit ad Bocchum, et ei nunciat, *Iugurtham cupere omnia, quae imperarentur, facere: sed Mario parum fidere: saepe antea cum imperatoribus Romanis pacem conventam frustra fuisse. Ceterum Bocchus, si ambobus consultum et ratam pacem vellet, daret operam, ut una ab omnibus, quasi de pace, in colloquium veniretur; ibique sibi Sullam traderet. cum talem virum in potestate haberet, tum fore, uti iussu Senatus atque populi Romani foedus fieret: neque hominem nobilem, non sua ignavia captum, sed ob rempublicam in hostium potestate relictum iri.*

CXIII. Haec Maurus secum ipse diu volvens, tandem promisit. ceterum dolo, an vere, cunctatus parum comperimus. Sed plerumque regiae voluntates, ut vehementes, sic mobiles, saepe ipsae sibi advorsae. Postea, tempore et loco constituto, in colloquium uti de pace veniretur, Bocchus Sullam modo, modo Iugurthae legatum adpellare, benigne habere, idem ambobus polliceri. Illi pariter laeti, ac spei bonae pleni esse. Sed nocte ea, quae proxuma fuit ante diem colloquio decretum, Maurus adhibitis amicis, ac statim immutata voluntate remotis ceteris, dicitur secum ipse multa agitavisse, voltu corporis pariter atque animo varius: quae scilicet, tacente ipso, occulta pectoris patefecisse. Tamen postremo Sullam arcessiri iubet, et ex eius sententia Numidae insidias tendit. Deinde, ubi dies advenit, et ei nunciatum est, Iugurtham haud procul abesse; cum paucis amicis et Quaestore nostro, quasi obvius honoris causa, procedit in tumulum, facillumum visu insidiantibus. Eodem Numida cum plerisque necessariis suis, inermis, ut dictum erat accedit; ac statim, signo dato, undique simul ex insidiis invaditur. Ceteri obtruncati: Iugurtha Sullae vinctus traditur, et ab eo ad Marium deductus est.

CXIV. Per idem tempus advorsum Gallos ab ducibus nostris, Q. Caepione et M. Manlio male pugnatum. quo metu Italia omnis contremuerat. Illique et inde usque ad nostram memoriam Romani sic habuere: alia omnia virtuti saepe prona esse; cum Gallis pro salute, non pro gloria certare. Sed postquam bellum in Numidia confectum, et Iugurtham vinctum adduci Romam nunciatum est; Marius Consul absens factus est, et ei decreta provincia Gallia. isque Kalendis Ianuariis magna gloria Consul triumphavit. Ex ea tempestate spes atque opes civitatis in illo sitae.

